Vagedes, Heinrich, / Pastoir, Philipp Ludwig, / Förster, Nicolaus,

Henrici Vagedes, Dum viveret, Histor. ac Eloqventiæ Professoris in Academ. Hasso. Schaumb., qvæ est Rintelii, Opera Academica Qvæ Seorsim antehâc edita in unum corpus collegit, typisque denuò describenda curavit Philip. Ludovicus Pastoir, In eadem Universitate Historiarum ac Eloqventiæ

Francofurti & Lipsiæ ; [Hannover] Anno 1703

4 Diss. 209#Beibd.3
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10644634-5
VD18 10882448

HENRICI VAGEDES,

Dum viveret, Histor. ac Eloqventiæ Professoris in Academ. Hasso-Schaumb., qvæ est RINTELII,

OPERA ACADEMICA,

QVÆ

Seorsim antehâc edita in unum corpus collegit, typisqve denuò describenda curavit

PHILIP. LUDOVICUS PASTOIR,

In eadem Universitate Historiarum ac Eloqventiæ Professor Ordinarius.

Accedit Editoris DISSERTATIO

DE

CURA PRINCIPUM ALIORUMq; MAGISTRATUUM CHRISTIANORUM CIRCA OPPRESSOS FIDEI SUÆ CONSANGUINEOS.

Anno 1703.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,

Prostat NICOLAI FORSTERI, Bibliopol. Hannov.

RINTELII,

Sumptibus & Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typ.

SERENISSIMO
POTENTISSIMOQVE
PRINCIPI ac DOMINO,
DOMINO
CAROLO,
HASSIÆ LAND-
GRAVIO, HIRSFELDIÆ
PRINCIPI, CATTIMELIBOCI,
DECIÆ, ZIEGENHAINÆ,
NIDDÆ, SCHAUMBURGI-
QVE COMITI,

PRINCIPI DOMINOQVE
Suo Clementissimo.

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME.

QUæ ſeparatim quondam Deceſſor meus publicavit ingenii ſui, doctrinæq; monumenta, cùm *Tuæ Serenitatis* juſſu & auctoritate hiſtoricen ac eloquentiam Romanam in hac academia doceret, ea, quòd eruditorum ſententiâ virorum non eſſent in iis nulla, quæ typis deſcribi denuò mereantur, unô faſciculô edenda eſſe cenſui, edita verò Tibi, Sereniſſime Princeps, offerenda. Neque enim mihi perſuadere poteram, nec fas eſſe ducebam, me alii potiùs illa conſecrare, quàm Tuæ Serenitati, non modò, quòd in iſthâc Univerſitate Tua, Tuæque Serenitatis ſub auſpicio eſſent auctori ſuo nata, ſed etiam, quòd illius curâ & operâ denuò prodirent, qui à Tua Serenitate defuncto ſurrogatus, ſuæ ſibi tenuitatis tametſi probè conſcius, quia tamen benigniſſimo Tanti Principis de ſeſe judicio confidebat, vacuefactam auctoris morte provinciam, difficilem illam quidem & arduam ſuſcipere non dubitavit, cuique proin antiquius nihil eſſe debeat, quàm ut illi *Tuæ Serenitatis* illuſtri gratiæ, & fide, & induſtriâ, obſequioſæ-

que pietatis cultu reſpondeat. Itaque ſi me nihil aliud moviſſet, ut Tuæ potisſimùm SERENITATI hæc academica mei Deceſſoris Opera dicarem, ſola tamen cupiditas meæ pietatis Tibi tanquam benefico cuidam ac Tutelari DEO declarandæ votivâ quâdam Tabulâ, quam ad pulvinar Tuum deponerem, acerrimos mihi ſtimulos addidiſſet. Sunt tamen & alia complura, quæ in cauſis juſtæ dedicationis allegare queo; è quibus tamen prætermiſſis cæteris, quia nequeunt omnia hûc adferri, hoc unum tuâ pace commemorabo, quòd iſthæc opera quodammodo ſint monumenta quædam Virtutum Tuæ Serenitatis ſanè pulcherrimarum, ac pænè cœleſtium, quia in iis exſtat oratio, quâ celebratur non ſine præconiô virtutum rerumque Tuarum immortalium Auguſtus ille ſeculi ſuperioris annus ſeptimus ſuprà ſeptuageſimum, quô adſpirante Divinâ gratiâ, inter Auguſtæ Domûs Haſſiacæ gaudia, plauſusque Tuæ Gentis, atque bonorum omnium gratulationes Principalis Tui Regiminis Tibi traditum ab Auguſta Tua Matre ſceptrum capeſſere cœpiſti, quod Tu pro Tua incredibili pænèque divina ſapientia, quàm ſapienter hucusque tractaveris, proque Tua mirifica naturæ bonitate, quàm leniter & tranquillè, nemo eſt, qui neſciat, nulla certè memoria ſilebit, nulla obliviſcetur poſteritas. Qvò luculentiùs confido, fore, ut, quidquid hoc eſt

mu-

munusculi, ſerenâ fronte, benigniſſimaque manu ſuſcipias, ac editorem ejus eâdem, quâ ipſum quondam auctorem proſequebare, clementiâ, ne dedigneris. DEus autem immortalis, qui, quæ illius eſt ergà gentem Haſſiacam infinita bonitas, Illi Serenitatem Tuam hucusque ſalvam incolumemque præſtitit, Eandem ulteriùs tueatur & conſervet, in hoc præcipuè concuſſi orbis terræ tumultu, Tuamque Sereniſſimam Conjugem, Tuarumque virtutum ac Dignitatis Hæredem cum regia ſua Conjuge, ſed & Auguſtam Tuam ſobolem univerſam florere ſempiternâ felicitate jubeat, isque rebus omnibus, quæ beatæ vitæ ſint effectrices, augeat & ornet, Ita voveo

SERENITATI TUAE
SERENISSIME PRINCEPS,

Subjectiſſimus

PHILIPPUS LUDOVICUS PASTOIR.

L. B. S.

N*On multis Te morabor, quòd pauca ſint oppidò, quæ tum de auctore meo, tum de ipſo, quod hîc comparet, opere, præfanda habeo. Illius certè laudes nihil attinet hôc locô prædicare multis, quia, quô valuerit ingeniô, quantaque fuerit ejus eruditio, ſine meo præconio cognoſces ex iſthoc ejus ingenii doctrinæque monumentorum corpore, mole quidem exiguo, ſed tamen nihiloſeciùs inſigni, ubi reſpicias argumentorum, quæ ille ſibi ſumſit elaboranda, partim dignitatem plenumque judicii delectum, partim ingenioſam doctamque tractationem. Hæc ſanè, quin eruditi cujusvis judicio ſeſe ſint probatura, de eo minimè me dubitare ſinit vel ſola Diſſertatio* de Spiritu Bullari Bulgarique Concilii Tridentini, *quippe quâ quondã celeberrimus Tigurinorũ Theologus Heideggerus tantopere delectatus eſt, ut imperare ſibi nequiverit, quin eam ſuo Concilii Tridentini Tumulo præfigeret. Cæterùm ea, quæ nos in hac editione præſtitimus, tanti non ſunt, ut in iis commemorandis multus eſſe debeam; neque enim quidquam nobis debetur præter ſummaria Diſſertationum*

com-

commodiori, nî fallor, locô posita, (*ac in iis factum fuerat exemplis, quæ quondam seorsim prodierunt*) *sublataq; pauca quædam* ἁμαρτήματα μνημωνικά, *veluti p.*199. *ubi Lotharius junior dicebatur Ludovici Carolique Calvi frater, cùm tamen nemo sit, qui nesciat, fuisse eum utriusque nepotem è Lothario* I., *fratremque potiùs Ludovici II. Carolique Burgundiæ Regis; similiter in tabella Regum Austrasiæ p.* 202. *Carolo simplici nativitatis annus assignabatur* 924. *annoque* 912. *totam Lotharingiam dicebatur occupâsse; itaque meritô substituimus illi a.* 879. *è Labbei Chronol. Franc. T. IV. ad sec. IX. Indicem refero acceptum industriæ doctissimi cujusdam Jurisprudentiæ Candidati, à cujus tamen modestia impetrare non potui, ut mentionem ejus nominatim hôc locô facerem. Unicum adhuc, moneo idque circa* dissertationem VIII, quæ est de Reputatione, *scil. eam non esse Præsidis sed Respondentis, ob eamque causam, & alias vix mihi Typographum persuasisse, ut illam cæteris passus fuerim addi.*

Vale B. L. judica, mecumque, si libet, fruere.

INDEX OPUSCULORUM,

Qvæ hôc volumine continentur.

DISSERTATIONES.

I. De CATHEDRA PETRI. Pag. 1.

II. De USU ET ABUSU LINGUÆ LATINÆ. 22.

III. De TRANSLATIONE CONCILII TRIDENTINI. 41.

IV. De SPIRITU BULLARI ET BULGARI CONCILII TRIDENTINI. 68.

V. De TONSURA CHILDERICI. 88.

VI. De LUDIBRIIS AULÆ ROMANÆ *ad Menzamb.* 110.

VII. De REGNO AUSTRASIÆ. 177.

VIII. De REPUTATIONE. 220.

IX. Decas QVÆST. PHILOSOPHICO-HISTORICARUM. 1. De Translatione Imperii Romani. 2. De Origine Electorum. 3. De Origine discriminis inter Unser Vater/ & Vater unser. 4. De Modo distributionis S. Cœnæ apud Germanos observato. 5. De Priscorum Canonicorum Statu. 6. An Transsubstantiatio rationi repugnet. 7. An Dæmones in inferno igne corporeo ustulentur. 8. An Dentur Universalia. 9. Qvomodo resolvendæ sint propositiones personales, homo est Deus, & Deus est homo. 10. An detur idea Dei insita? 252.

X. Decas QVÆST. MISCELLANEARUM. 1. De Occasione & causa promulgati cap. unam sanctam. de maj. & obed. 2. De Virgula mercuriali. &c. 262.

XI. Πέντας QVÆST. HISTOR. 1. De Loqvendi formula, ich wil dich schlagen/du solt Jodut ruffen. 2. De Statuis Rolandinis. 3. De Origine Ordinis aureæ periscelidis. &c. 288.

ORATIONES.

I. SIDUS HASSIACUM, qvod nunqvam occidit, sed semper oritur, sive Panegyr. Seren. Hassor. Principi CAROLO dictus, cum an. 1677. Imperii sui curam susciperet. 306.

II. ORATIO FUNEBRIS in obitum D. DAVIDIS PESTELII Professf. Juris Prim. habita. 322.

PROGRAMMATA ACADEMICA. 331.

PHIL. LUD. PASTOIR, Dissertatio De CURA PRINCIPUM, aliorumqve MAGISTRATUUM CHRISTIANORUM CIRCA OPPRESSOS FIDEI SUÆ CONSANGUINEOS. 345.

Q. D. B. V.

DISSERTATIONUM SELECTARUM PRIMA Ex *Historia Civili-Ecclesiasticâ* DE CATHEDRA ROMANA S. PETRI.

PROOIMION.

Paulus IV. novorum consiliorum artifex in firmando dominatu. Inqvisitionem Romanam stabilivit. Et instituit festum Cathedræ Romanæ S. Petri. 1. Ad captandam reverentiam. 2. Ad Carolum Cæsarem ejusque filium Philippum opprimendum. Paulus voluit Cæsarem Imperio & regnis privare. Qvo medio? An Petrus Romæ sederit per 24. annos.

PAulus IV. *postqvam* Anno 1555. 23. Maji *suffectus* Marcello, *delectusqve velut novus Atlas sustinendæ Sedi Romanæ, persenserat Reip. mala, formidaretqve indies graviora Romano dominatui, novâ sub inde consiliorum indagine prudentiam, cujus ille opinionem, famamqve unicè adamasse*

 visus

visus est, fatigavit, qvò simul arceret ab Italiâ, velut Religionis capite, *illud, qvo ex* lacu lemano *jam afflabatur, (ita arbitrari lubebat) opinionum virus, ac simul vacillantem in populorum animis paparum reverentiam, validioribus, qvam à* Clemente VII. *&* Paulo III. *factum erat, munimentis firmaret.*

Et inducto qvidem in Urbem Romam Inqvisitionis *tribunali (cui tuendo, velut* unico *adversus propinqvas hæreses propugnaculo*, deficientem *jam, atqve* ultimam *vocem commodavit etiam moribundus) exterruit Italiam, per occultos undiqve delatores, genus hominum publico repertum exitio, qvi velut aures, oculiqve dominantis, hominum voces, vultum, gemitus, & occultum etiam murmur exciperent, ut verborum libertas, & morte sanciretur, & æterni silentii restis vocem intercluderet. Quâ sanè viâ maluit secando, urendoqve perdomare serpentem cancrum, ne molliori manu corruptus, omnem deinde medentis curam eluderet, detineretqve* Sancti Patris Sollicitam *dextram* domestica *plaga, quò minus* aliis *quoque regnis eam porrigeret.*

Ut verò & vetera renovaret in nutantibus populorum animis erga Sedem Romanam reverentiæ argumenta, qvâ solâ tantæ molis nititur fastigium, & nova simùl inderet iis, qvi obtentui reputabant sumi Petrinam *Cathedram, ut sub magni nominis reverentia dominationem exerceret Romana Curia,* diem 18. Jan. *qvo primùm in Ecclesia Romana, producto ad 24. annos imperio Petrus consedisset,* Cathedræ *ejus* Romanæ *sacrum, An. 1557. sanxit, firmavitqve id ipsum diplomate,*

*mate, An.*1558. 14. Jan. *inducto priùs in senatum* Sirleto, *Protonotario Apostolico, qvi magnis veterum testimoniis, & Petrum Romæ fuisse, & martyrio ibidem decoratum comprobaret. Hoc erat fabulæ argumentum, in qvâ, velut publico in theatro* qvotannis *de orbis libertate triumpharetur.*

Etsi autem hæc palam ferebantur Pauli consilia, crediderim tamen altius quid insedisse Pontificis animo, qvod fœtum hunc truderet, qvi in publicam aliqvando orbis calamitatem adolesceret.

Magna namqve coqvebat vasto, fervidoqve animo Paulus adversus Cæsarem Carolum, Philippumque *ejus filium, amarus semper Austriacorum hostis, nec unqvam his Principibus benignus, adeò coortæ utrinque suspiciones, & damnorum, qvibus Romam Carolus afflixerat, recordatio, Pauli mentem exulcerarant. Et sanè jam præluserat Pontifex* An. 1556. 27. Jul. *ferali in hos Principes sententiæ, atqve irâ deinde acriùs exæstuans,* An. 1557. indicia dedit in senatu, (*verbis utor* Cardin. Pallavicini lib. 14. Concil. Trident. cap. I. n. 7.) velle se adversum duos illos Principes ad censuram, regnorumqve privationem progredi, ac proinde proximâ feriâ qvinta sanctioris hebdomadæ in diplomate consveto *in Cœna domini* peculiariter percussi sunt anathemate ii, qvi suas terras Campaniæ, Oræqve maritimæ occupassent, qvantumvis dignitate eminentes, etiam *Imperatoriâ*, & omnes consiliarii, fautores, & Asseclæ, atqve in sacrificio Pontificio feriæ sextæ consveta pro imperatore precatio fuit omissa. *Sed hæc tela,*

qvam erat exorſus Pontifex, integro, incorruptoqve in Cæſarem populorum obſeqvio abſolvi non poterat: unde, cum unum *imperare tot millibus, in populi* conſenſu *ſitum ſit, conſenſum* reverentia *præprimis, ac* metus *firmet, Paulus per iſtam celebrandæ* S. Petri, *velut Apoſtolorum* Principis, *Cathedræ Romanæ opportunitatem hæc imperii Carolini firmamenta, ſe convulſurum autumabat.*

Poſtqvam enim delecti buccinatores per ſpeciem tuendæ dignitatis Apoſtolicæ, *ſupra* Regum Principumqve *thronos extuliſſent audaci manu* Sedem Romanam, *facilè fuiſſet, in populorum animis, qvos illud hominum genus citò occupat, excitare novam adverſus Paulum reverentiam, eamqve qvotidianis declamationum flabris ad ipſa regnorum incendia atrociùs impellere. Et hæc circumacta populorum credulitas, ubi ſollicitata fuiſſet à* Pontifice *ad defectionem à* Carolo, *abduci qvoqve ſe paſſa fuiſſet, præſertim tuta, fidensqve religionis objectu, à ſui Imperatoris reverentiâ, qvem Paulus* Petri *armatus cultro, iræ Romanæ immolaſſet victimam. Ita demum in* jejunium *abiiſſet Auſtriacæ domui hic* feſtus Petri dies, *dies pro* nefaſto *habendus, qvo* Caraffa *vinum adeò amarum propinaſſet. Sed hæc conſilia Caroli abdicatio corrupit. Manet tamen adhucdum hodie iſta* Feſti Cathedræ Romanæ *celebritas, luditurque hæc fabula de* Petro, *qvaſi à* 18. Jan. *die*, 24. *& amplius annorum decurſu* Eccleſiam Romanam, *velut* ſacrum Orbis Chriſtiani *caput*, ac Princeps *obſediſſet. Unde mihi nunc curæ erit, ſuis evolvere*

invo-

involucris hanc Petri *Sedem, ac simul repetere originem hujus Ecclesiastici* totatus, *qvam velut partium medius, & proprior qvidem inqvirenti, ita, Deo duce explicabo, ut neqve abrupta contumacia, neqve accersita credulitas justè accusari possit.*

DISSERTATIONIS
SUMMARIUM.

I. *Lignea Petri Cathedra adducitur. Perhibetur ratio, qvare nemo Pontificum 24. Imperii annos attingat?*

II. *Examinatur hæc Romanorum sententia. An historia de Simone Mago certa sit. Statuitur Petrum Romæ fuisse.*

III *Probatur Petrum non fuisse Romæ per 24. annos.*

IV. *Refutatur exceptio Baronii.*

V. *Solvuntur objectiones. Eusebii testimonium repellitur. Ex scriptura non patet, Petrum fuisse Romæ. Innocentii I. ambitio redarguitur.*

VI. *Refutatur Pallavicinus Innocentium defendens.*

VII. *Pallavicini objectiones scil. 1. 2. & 3. proponuntur, & ad easdem respondetur.*

VIII. *Ejusdem 4. 5. obj. cum responsione.*

IX. *Cur Romani S. Petrum Romæ fuisse Episcopū pervelint. Probatur S. Petrum non fuisse Monarcham Ecclesiæ.*

X. *In rebus fidei Soli Deo tenemur credere.*

XI. *Pontifex tenetur probare suam infallibilitatem. Et qvidem tabulis à Deo datis. Sed non potest. Opinio infallibilitatis est primum Monarchiæ Papalis fundamentum.*

XII. *Certò sciri non potest, hunc, illumve Pontificem esse legitimum Petri Successorem. 1. Ob incertudinem baptismi. 2. Ob metum electionis simoniacæ. 3. Ob Schisma. 4. Ob occultos defectus.*

XIII. *Erbermanni responsio refellitur. Ecclesia non potest supplere occultos defectus aut Simoniæ labem.*

XIV. *Qvâ viâ ad primatum pervenerit Ecclesia Romana.*

§. I.

§. I.

IAcobus Gaulterius Secul. primo *Chronograph. pag.* 4. Petrum per annos 36. Ecclesiæ primatum tenuisse, non dubius asserit, qvorum *qvinqve* Hierosolymis ab An. *Chr.* 34. *Septem* Antiochiæ ab An. 39. Romæ deniqve annos 24. menses 5. dies 12. exorsus ab An. 45. 18. *Jan.* velut delectus à Christo Ecclesiæ princeps exegerit, donec An. 69. 3. *calend. Julii* Imperii finem martyrii corona imponeret. De *Hierosolymitano*, atqve *Antiocheno* S. Petri principatu hìc qvoqve acturum, præfixa meta continuit, nec repugnantem, cum aperta per *Lucam* in *Act. Apost.* hujus fabulæ temeritas ab hac me curâ facilè liberet. Cathedræ *Romanæ* famam constantiùs retinent Romani, ostentantqve inter *Instrumenta dominationis* adhuc hodie *ligneum suggestum*, ipsius *Petri* calcatum pedibus qvem ne caries exedat, *sanctitatis opinio* facit, ac simplicitas, qvam tanto etiam apparatu illi exprobrant. Et hæc qvidem fama Romæ primum enata, superatis deinde alpibus, alias qvoqve gentes corrupit, indiditqve prima servitutis semina, qvæ in *Germaniâ* præ primis, etiam fidâ in extremis malis, postea maturuerunt. Postqvam deniqve invaluit credulitas, arte qvoqve fovendam esse hanc famam censuerunt *Itali*, dum per opportunitatem brevioris Pontificum imperii spargere *miraculi* vocem, qvo cœlitus provisum sit, ne qvis producti ad annos 24. à *Petro* Imperii gloriam aut adæqvare possit, aut superare. Unde recens electo pontifici Præco feralis adest, qvi fatorum decreta insonet: *Non Videbis dies Petri:* & trahitur in subsidium longa Paparum series, in qvâ

re-

reperiri nemo poterit, qvi *Soli Petro* diuturnioris Imperii gloriam non reliqverit. Hinc major fabulæ fides. Hæc tamen rerum mortalium ludibria facilè comperio ſperni ab iis, qvibus curæ eſt, *ne divulgata, atqve incredibilia, avidè accepta, veris, neqve in miraculum corruptis antehabeant, Tacit. Annal* 4. iidemqve artium Romanarum gnari haud vanò ſuſpicantur, huc tendere eorum plerumqve electionem pontificum, qvibus vergens ætas, & gravi curarum mole premenda, cui firma etiam juventus impar eſt, Vix *trium* annorum pollicetur imperium, aut ſi fortè pertinax alicujus Vita, & oblita moriendi *plurium* annorum famam *S. Petro* invidere viſa fuerit: de Romanorum callidate impetrari tantum poterit (ad qvid enim non cogit mortales retinendæ dominationis libido) ut acceleratâ *unius* morte *Arcana Imperii* redimant, qvibus aliàs per vitæ productæ audaciam convulſis, dominatus ipſe Romanus emoreretur.

§. II.

Interim ſubit animum admiratio, *Paulum* Petrini auctorem feſti, callidum alias, & tegendis arcanis obſcurum, hùc veniſſe confidentiæ, ut Romanam hanc Cathedram, adjecto etiam *annorum, dierumqve* calculo, rem adeo incertam, barioqve jactatam rumore, & *unius* duntaxat *Euſebii* ſubnixam teſtimonio, credendam obtruderet, pontificiamqve authoritatem in diſcrimen daret apud eos, qvi adverſum res prætenitas, qvod nulli amplius viciſſitudini ſubjectæ ſint, omnem exſpirare authoritatem, cum *Soave lib. 6. del. Conc. Trident. p.* 551. *verſ. perche dove ſi tratta &c.* non imperitè aſſerunt. Etſi enim me non lateat vulgatus paſſim rumor de *Simone Mago*, qvem *Neroni* intimum, circumacto pravis artibus populo Romano in aëra evolaturum, *S. Petrus* ſuis dejeciſſet precibus; popularis tamen hæc fama me non deterret, qvin eruditorum ſuſpicionem referam, hæc *vana* arguentium. Poſtqvam enim ab Apoſtolorum obitu, invaleſcente per Urbem Romam Chriſtianorum pietate, populus comperiſſet ad Tiberim dicatam *Semoni* ſtatuam (cujus apud *Livium* men-

mentio *lib.* 8.) legiſſetqve inſcripta ſaxo verba: *Semoni Deo ſancto*, ſimulqve luſam à Nerone *Icari* fabulam obſervaſſet (*Sveton. cap.* 12. *Neron.*) in qva *Icarus* primo ſtatim conatu juxta cubiculum Principis delapſus, ipſum cruore reſperſit, in *Simonem Magum*, notum malas per artes nomen, qvi Urbem rumorum avidam, ſui famâ compleverat, aut *abſens*, aut forte ſuâ *præſentiâ* famam augens, cum Romam omnia undiqve pudenda confluxerint, hæc facilè inflexa ſunt cupidine ingenii humani, libentius obſcura credentis. Hæc autem fieri potuiſſe facilè perſvadebunt *Rulandi* Statuæ, qvibus, velut in libertatis ſignum à *Carolo Magno* qvondam repoſitis, hodiedum etiam nonnullæ urbes, mari Balthico propiores ſuperbiunt, cum tamen vel ſola vocis **Rügeland** in **Rulandt** inflexio, huic fabulæ, per plures etiam hominum ætates creditæ originem dediſſe comperta ſit. Et in *Petrum* qvidem conjecta eſt hujus victoriæ gloria à Romanis ex eo, qvod gravem ejus iram adverſus *Simonis* impietatem inaudierant, crederentqve haud alienum a vero eſſe, prima illa diſcordiæ initia eò usqve exarſiſſe, ut *Petrus*, intentus ſemper in ſcelera *Magi*, qvò ea diſpelleret, nunqvam ejus lateri abſceſſerit, donec hominem Romæ, ipſo deprehenſum flagitio *Victor* ſterneret, ſed in *cruce* acturus triumphum. Hæc erroris primordia in vulgus transferunt eruditi, qvod ex incerto religiones captat, & ſicut futura ſuſpenſis ominatur animis; ita & fluctuans ejus eſt de præteritis, præſentibusq; credulitas, dum *alii qvoqve modo pro compertis habent: alii vera in contrarium vertunt, & gliſcit utrumqve poſteritate. Tacit. An.* 3. Interim pudori meo decorum non eſt, legere qvicqvam ex his, aut evitare; qvamqvam citra cauſæ detrimentum non invitus pertrahar in illorum Sententiam, qvi magni ſanè nominis ſcriptores è *Proteſtantium* numero, *Petrum* & Romæ *docuiſſe* & *cruci* ibidem *affixum* modeſtè comprobant. An verò id ipſum ex 1. *Petr.* V. *verſ.* 1. ubi Apoſtolus ſe συμπρεσβύτερον appellat, elici poſſit, uti ſcriptores illi qvidem vellent, haud æqve determinarim.

§. II.

§. III.

Illa autem 24. & amplius annorum ſeries, qvibus Petrus Romanum tenuiſſe principatum ab Aula Romana, ejusqve corruptis in adulationem ingeniis creditur, confuſior eſt, & ab omni veritate hiſtoricâ alienior, qvam ut ſimplicitati meæ aſſenſum imperare poſſit. Diſpulit jam pridem hanc Cathedræ Romanæ umbram, qvâ tamen ſolâ ſeſe abdit curiæ iſtius ambitio, *Marcus Antonius de Dominis lib.* 4. *de Republ. Eccleſ. cap.* 1. *à n.* 8. unde conſilum mihi, pauca ſublegere, qvibus errorem hunc arguam. *Petrum* ergo evolutis 37. poſt Chriſti paſſionem annis neci datum, mihi vel ultro concedent Romani, è qvibus 25. Romanæ, *ſex ſeptemve* Antiochenæ præſederit Eccleſiæ: utra autem priùs fundata ſit, in diverſum comperio abire *Onuphrium à Baronio*, qvam ego litem illis relinqvo. Creditur autem Apoſtolus *An. Chriſti* 42. Claudii 2. Romam primum adiiſſe, uti *Petav. lib.* 1. *Ration part.* 1. *cap.* 3. annotat, qvanqvam alii 45. præferant; jam verò concilium *Hieroſolymitanum*, *Actor.* XV. expreſſum, cui *Petrus* interfuit, *Ann. Chr.* 48. eſſe celebratum, utrinqve non abnuitur: qvod ſi deinde *ſeptem* Cathedræ *Antiochenæ* annos adjiciam (illam namqve prius fundatam non eſſe ex *Galat.* I. *v.* 18., II. *v.* 1. 9. abunde conſtat) *duodecim* duntaxat ſupererunt, qvibus Roma gloriari poſſit. Lubens contraxi calculum, oblitus illius etiam temporis intervalli, qvod *Petrus* incerto huc illuc itinere, delectus Judæorum præco, abſumpſit, ne minor deinde annorum numerus, majorem Romanis pudorem extrahat.

§. IV.

Scio, qvam anxiè ſe torqveant Romani, ut hanc componant annorum ſeriem: *ducunt*, *reducunt* Româ ſenio defeſſum ſenem, ita miſer undeqvaqve truditur: & audet *Haunoldus in redarg. perempt. Conring.* §. *XLI. pag.* 38. cum *Baron.* aliisqve, Petrum velut ab Urbe reducem, novâ præfulgentem dignitate, tanqvam *Papam Romanum*, coacto ab

Apoſtolis in Urbe Hieroſolymorum concilio, ſuperbum exponere. Sed qvo teſte tanta hæc confidentia nititur? Rerum geſtarum veritas inane fingentis arbitrium reſpuit, in teſtium auctoritate fluctuans hac parte fides conqvieſcit. Qvid? qvod ex *Gal* I. *v*.18. II. *v*.1.9. vel cœcus viderit, Petrum *Ann. Chr*. 45. ne Judæâ qvidem exiiſſe, ne dicam Româ, ſuperbo *Papæ Romani* gravem titulo, *An*. 48. Solymæam in urbem remeâſſe. Sed qvid pluribus confutandæ huic fabulæ inhæreo? Auſim namqve confidenter aſſerere, mihi ex *Actor*. XXVIII. *v* 21. 22. *Rom*. I. *v*. 11. *ad* 15. 16. *a v*. 3. *ad* 18. 2. *Tim*. IV. *v*. 17. certum eſſe, ne illâ qvidem tempeſtate Romam jam adveniſſe *Petrum*, qvâ *Paulus* (id eſt *Ann. Neronis* 2.) illuc in vinculis abductus eſt. Jacet ergo hic error, 24. annorum ſpatio deformis, cui lambendo, tuendoqve ne *centum* qvidem *Olympiades* ſufficient.

§. V.

Interim cum & falſitas variis picta coloribus, veritatis imaginem ambiat, ne nimium deformis a primo ſtatim aſpectu terreat, extrahenda in lucem eſt amplius, ut fabulæ appareat fœditas. Omnis rerum geſtarum aſſertio teſtium auctoritate ſuſtinetur, has grallas ſi dempſeris, corruit deſpecta fabula. In *Euſebium* (ex hoc enim lacu hauſit hoc turbidum ſeqvior ætas) conſpirant omnes, velut hujus ſententiæ vindicem. Sed fruſtra opponitur authoritas, qvam ipſe *Petavius*, magni ſanè ſcriptor ingenii *part*. 1. *Ration. lib*. 5. *cap*. 3. homini detrahit: ad comprobandam facti veritatem, qvod jam aliunde erroris convictum, *unius* duntaxat auctoritatem, & à *te* qvidem *ipſo* jam convulſam, in caſſum adhibueris. Sed *Gaulter. Secul. prim. verit*. 11. *§*. 7 *pag*. 157. *etiam ſcripturam in ſui ſubſidium ſollicitat*; aſt reluctantem. 1. *Petr*. V. *v*. 13. *per Babylonem Roma intelligitur*, mirum! cur nova illa *Babylon*, in Ægypto prope Memphim, ubi & conſediſſe magna Judæorum examina, & *Marcum* fuiſſe Epiſcopum veteres prodidere, hîc locum non inveniat? ſed qvid miror, *Gaulterium*, alie-

alieni hic ſenſus interpretem, *Scripturam* vel *ſemel* admordere, cum *immani iſto opere* nihil agat aliud, qvam ut alienam affricando ſententiam, inſontiumqve lacerando famam deſpumet? Ad *Petavium* redeo: hic *pag.* 273. *Innocentium* I. collaudat, inſtitutas unius Petri, velut Romani præſulis arbitrio, in *Italia*, *Gallia*, *Hiſpania*, *Africa* & ubi non? Eccleſias, *Epiſt.* 1. intonantem, miſer *Paulus*, cui, velut æmulo, hanc gloriam *Cephas* vel invitus præripit. Sed *Innocentii* ingenium, cui etiam jam corrupta *ſeculi qvinti* ætas auctoritatem imminuit, vi dominationis convulſum, & Africanis inſultans patribus, *Suavis lib.*4. *Concil. Trident. pag. mihi* 351. jam pridem coarguit, notavitqve callidam ejus artem, qva coactos *Carthaginenſi concilio* patres, verba ſubdolè attemperans, circum egerit: non tædebit ſenſa Auctoris exſcribere, ut pateſcat, qvid valeat radicata in Pontificum animis ambitio: *Egliriſpoſe* (inqvit) *lodandogli, che, come memori dell' antica traditione, & dell' eccleſiaſtica diſciplina haveſſero il tutto al giudicio ſuo, dal qvale tutti debbono imparerc, chi aſſolvere, & chi condannare. Et veramente qveſto è un modo gratioſo di fardir agli huomini* conſilentio *qvello, che non Vogliono* con parole. Ita *Suavis* ſapienter judicat.

§. VI.

Hæc cum ſatis arguant ſubdolos papalis animi receſſus, ægrè patior me ad alia pertrahi; Sed cum *Pallavicinum* comperiam præfidentis ſanè ingenii Cardin. *lib.* 12. *Hiſtor. Concil. Trident. cap* 9. in *Suavem* atrociùs arietare, veritatis tuendæ ſtudium perbrevem hìc moram mihi facilè imperabit; Convenerant ergò Patres *Carthagine* (præmunire mihi his licet lectoris animum) adverſus *Pelagium*, notum pravas per hæreſes nomen, facturi medelam ingraveſcenti malo, ne qvid ex eo Reſp. detrimenti caperet. Jamqve ſuppreſſerant gliſcentem in *Africa* peſtem, ultimamqve manum tum adhibebant cadenti malo: una tamen formido ſupererat, ne *Roma*, *veteri* æmulatione accenſa, *Pelagium* armaret in

Africam, qvi redintegratis deinde viribus ferocior, Romanorumqve favore lætus ac præfidens, Africanorum sententiam contumax eluderet. Et ſanè altiùs penetravit pavor *Patrum* animos, poſtqvam latitaſſe *Pelagium* Romæ inaudierant, multis cinctum aſſeclis, Sacerdotibus corruptis, ipsâ etiam *ſede Apoſtolicâ* ſubdole deceptâ invaleſcentem; hinc liberæ *Patrum* voces, qvas hæſuras altiùs Romam perſcripſerant, apud *Auguſtin. Epiſt.* 95. *audivimus in urbe Roma, ubi ille diu vixit, nonnullos, qvi ex diverſis cauſis ei faveant, qvidam ſcil. qvia vos talia perſuaſiſſe perhibent; plures verò, qvi eum talia ſentire non credunt &c.* Et de ipſo etiam *Innocentio* increbuerat gravis rumor, gravior ab ejus obitu *An.* 417. increbuit de *Zoſimo*, adeò, ut fuiſſe hominem in *Africanos* commotiorem ipſe *Petav. lib.* 6. *cap.* 15. *referat*, imo & ejus literæ apud *Baron.* fidem faciant. Inſtant ergò *Patres* fugienti *Pelagio*, mentis ſuæ ſenſa, nihil ſuſpensâ in *Pelagium* ſententiâ, Innocentio aperiunt, non *ſupplices*, ſed *pari* jure edomandis Eccleſiæ malis ſolliciti, conſiliorum ſocietatem parant, qvibus, admonito ſui officii *Innocentio*, omnem *Pelagio* ad pejora viam præcludant, abſuit hinc fœda illa *ſervitutis* imago, qvam in *Africanis* deformem *Pallavicinus* depingit.

§. VII.

Sed unde hæc ſervitutis ſigna pateſcent, cum *illi* libertas omnem facilè favorem præripiat? *Pallavicinus* varia ingerit. 1. dicit *n.* 5. *Confirmationem ab Innocentio petiiſſe Patres his verbis: hoc itaqve geſtum, domine frater, ſanctæ charitati tuæ inſinuandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas, qvæ loqvendi ratio palam facit, Integram illam Synodum unà ſcripſiſſe ad Innocentium, tanqvam ad ſupremum Pontificem.* Nihil minus! hæc ætas nondum monſtra pepererat: vocem *modeſtiæ* plenam nonniſi *tyrannus ſervitio* imputat; dubios verborum ſenſus conſtanti libertate *An.* 48. iidem Patres adverſus *Zoſimum* redemerunt. Pergit *n.* 6. *Julius Epiſcopus, qvi has literas attulit, potuit coram amplè*

decla-

declarare ſenſa ſubmiſsionis ab illis exhibita, qvæ breviter indicabantur Scripto, & pro certis habebantur. Vana ſuſpicio, & nihil profutura. Uti legato, cui ex mittentis præſcripto agendum, in fraudem Principis qvicqvam committere vetitum eſt; ita & aliena affingendo, ſuſpectam ejus fidem reddere, pernicioſi exempli eſt. *Julius* nec *jure* potuit, nec unqvam voluit alia exhibere *Innocentio*, qvam qvæ *Patrum* libertas comprobaret: abiiſſe in *diverſum*, qvi aſſerit, incorruptâ teſtium auctoritate fidem faciat. Ulterius. *quisnam mente validus ſibi perſuaverit, innocentium, niſi hunc celſitatis gradum in eccleſia jam tenuiſſet, illum fuiſſe ſibi temerè arrogaturum per eam reſponſionem, cum periculo publici dedecoris ſubeundi.* Qvaſi verò aurea ſemper comperta ſit Paparum modeſtia, ut non niſi, qvod ſuum eſt, expetant, aut adeò trepident adversùs certa incertave publicæ repulſæ pericula, ubi de firmando dominatu certamen ſuſcipitur: habet ſanè hoc ambitio, ut cujus *animum* jam obſidet, ejus qvoqve *frontem* adversùs pudorem facilè obarmet: niſi fortè iniqvas *Gregorii VII.* fraudes jure nixas exiſtimare oporteat, dum vectigalem ſibi Hiſpaniam pelliciebat, antiqvis id temporibus obſervatum jactitans, priusqvam à Mauris everſa jacuiſſet: qvibus tamen conatibus pari animorum conſtantiâ itum obviam eventus declarat, retentâ ſemper ab omnibus immunitate, uti *Mariana*, magni ac ſeveri judicii ſcriptor. *lib. 9. Hiſpan. cap. 5.* aperit, & *donationem Conſtantini*, rancidum illud commentum ac protritam jam pridem ab eruditis fabulam veritati inſcribere, qvod *Leo IX. An.* 1054. hoc glaucoma oculis objecerit, uti *Baron.* meminit: aut reſignandam, in *Pontificis* manus *imperii coronam* qvis arbitretur, qvod P*aulus IV.* novus ille *Hildebrandus* à *Carolo V.* id exegerit, *Imperiiqve* titulum *Ferdinando* contumacius denegatum, tumulo ſecum intulerit, uti ipſe P*allavicin. lib.* 14. *Conc. Trident. cap. 6. n. 5. 6. 7.* usqve ad finem, non occultus Imperii Germanici hoſtis intonat. Sed plura effari apud rerum expertos putidum foret;

&

& tamen tantus Cardinalis tam levi ſocco in tuendis Pontificum actionibus ubiqve contra *Servitam* paratragœdiat.

§. VIII.

Nondum finis. *Illi Patres* (inqvit P*allavicin.*) *præſertim Auguſtinus, ſilentio transmiſſuri non fuiſſent, ſi conſpexiſſent hoc jus non deberi Innocentio.* Scilicet Cardinali *Romanæ* ſuperbiæ ſueto, non eſt notitia *Africanæ* modeſtiæ, apud qvos Patres *vis imperii valebat, inania transmittebantur, Tacit. An.* 15.*cap.*31. *rebus* intenti *verborum* licentiam facilè condonabant: non ea erat temporum conditio, ut importunâ verborum interpretatione confuſos Romanorum animos, à cauſæ communis ſtudio retraherent, ſpatiumqve concederent *Pelagio*, qvo æmulorum favorem ſubdolâ arte captaret: diſtulere antiquum libertatis impetum, donec *Zoſimus Innocentii* ſucceſſor *An.*418. per ſubmiſſos ad *Concilium Carthaginenſe* legatos, qvi debitum *Romanæ Eccleſiæ* è *Concilii Nicæni* præſcripto *primatum* urgerent, raram *Patrum*, liberamqve vocem extorſit, *hæc* vana arguentium, nec ferenda *unius ſedis* molimina, ut *ignoto* Eccleſias jugo premeret. *Commune adagium eſt*, inqvit ipſe P*allavicin. lib.*6.*cap.*3.*n.*4. *ad evincendam litem plus valere drachmam unam facti, qvàm multas libras juris.* I nunc & *Africanis* ſervitutem exprobra, poſtqvam tam generoſo impetu, *Romanorum*, qvam moliebantur, tyrannidem retuderunt. Ultimus nunc impetus P*allavic.* ſuccedit: P*roſper in Chron ad An.*420. (ait) *ſic ſcribit de Zoſimo: Concilio apud Carthaginem habito* 217. *Epiſcoporum ad Papam Zoſimum Synodalia decreta perlata, qvibus probatis* per totum mundum *hæreſis* P*elagiana damnata eſt, ea verba*, per totum mundum, *obſerventur pendentia à comprobatione Zoſimi* P*ontificis.* Latet anguis in herba; diviſa *Africanos* inter & *Zoſimum* extincti P*elagii* gloria eſt: ab *illis* jam ſemi enectum ultimo hominem ictu *Italia* proſtravit: ab *utrisqve* cæteras in provincias exemplum profluxit: integram monſtri debellati gloriam qvi *Zoſimo* addicit, nullo jure addicit; in gloriæ ſocietatem

utri-

utriqve veniunt. Certè si hodie Christianorum Principes, mutuo animorum consensu, in ejiciendam, suis è ditionibus, fœdam illam recutitæ gentis colluviem coirent; probaretq; consilium exempli paritate *Romana in Urbe* Pontifex, decuteretqve probrosos illos *Crocei coloris* pileos, relictam *Pauli IV.* tesseram, enim verò tum ejectos *Christiano ex orbe* Judæos, *rectè* dixeris, sed *Pontificis* id factum auctoritate, *stultè* dixeris. Manet ergo illibata Africanæ libertatis gloria, nec atro Romani Cardinalis ungue carpenda.

§. IX.

Verum me vindicandæ *Africanorum* libertatis studium longiùs tulit: nunc ad Cathedram Petri redeo. Curiæ Romanæ consilium, cur Apostolorum Principem *Roma* vel invitum detineat, explicaturus ex lucro tantum hospitem æstimat; cùm enim delatam ipsi, qvasi supremis Christi ad cœlum abeuntis, relictam tabulis credat *Vicariam* in Ecclesia potestatem, summumqve rerum *sacrarum* arbitrium, opimam hanc hæreditatem ad *se duntaxat* ex *asse* devolutam gloriatur. Ast subtili indagine *supponunt* Romani testamenta, *vera* corrumpunt. Et *primò* qvidem a *S. Petri* modestia, qvi in partem curarum duntaxat vocati gloriam amat, 1. *Petr.* V. *vers.* I. facilè impetrabo, ne vi dominationis convulsus in indebitum sibi soli, absolutum Ecclesiæ regimen irrumpat. Et certè vel imperii ejus *primordia* omnem exerciti dominatus suspicionem, qvem tamen repetita sæpius occasio exegisse visa est, abunde abolet, magno sanè argumento, non competiisse *Apostolo* summam rerum sacrarum curam, præsertim cum *primum* demandatæ auctoritatis exercitium, ob dubios multorum animos, & vel insitam â naturâ adversus imperia contumaciam, arripiatur ardentiùs ab iis, qvi gnari *primis eventibus metum aut fiduciam gigni* Tacit. An. 12. firmato potestatis initio, famam in cætera præparant. Qvod si qvis ad hæc acrem illam & oblitam obseqvii *S. Pauli* cum *Petro* luctam *Galat.* II. *vers.* 2. adjiciat, in subditorum conspectu, dubiis plu-

plurimorum ſtudiis, ſuſceptam, qvantâ cum jactura illi⁹ reverentiæ ſacræ, qvæ iſtius Monarchiæ baſis eſt? aut in *Petro* vis *imperii*, aut *modeſtia* in *Paulo*, & *obſeqvium* deſiderabitur. Scio, qvo impetu, in visâ hâc cum luctâ colluctentur Romani Pugiles; nec mihi nunc conſilium, vires, atqve arma expendere, contentus inſinuaſſe, *Simplicius, & ad eorum principia accommodatius (leges enim Scripturæ Eccleſia præſcribit) argui poſſe Pauli ambitionem, atqve ardentem juventutis ſangvinem, qvi ſeni frigido, timidoqve, niſi qvòd aliqvando, volaticus ardor eruperit, parere dedignatus, primis Apoſtolis ſe minorem non ferens eòqve æmulationis certus multâ de ſuâ auctoritate, præfervidè protulerit.* Hæc ſi dixerint (*ſatius enim illis erit, vel cum Pauli jacturâ integrum retinere Petri dominatum*) non erit qvod evertendo aliàs hoc argumento ita diversùm ſe fatigent: neqve ut in tanto periculo ad *Petri, Pauliqve* vafritiem, & peritum utrimqve ſimulandi animum deſcendatur, neceſſe eſt (qvod effugium apud complures comperio) aut ut *novus* in ſcenam inducatur *Petrus*, qvi ſuo periculo Apoſtoli velut principis auctoritatem redimat. *Beata illa Apoſtolorum tempora, qvibus virulenta illa ambitio Sacerdotum animos nondum corruperat, pariqve poteſtate commendatam à Chriſto pietatem feliciùs propagabant.*

§. X.

Sed concedamus, ſi ita lubet, *B. Petro*, cujus ipſe magnam inter Apoſtolos exiſtimationem ex Galat. I. verſ. 19. non dubius comperio, aliqvam principatus imaginem; qvo verò jure idem imperium, & majus qvidem, Curia Romana invadit, *ætheris, erebiqve* clavibus formidandum? qvâ in causâ cum omnem in *ſucceſſione* ſpem collocari videam, irridentibus tamen iis, qvi famæ id dari à Pontificibus norunt, ut *vocati, electiqve potius à Chriſto in Petri locum, qvam, per callidas artes, Romanamqve ambitionem irrepſiſſe videantur, Tacit An.* I. altiùs aliqvanto hoc Romanæ Eccleſiæ fundamentum ſubruam. Et primò qvidem cum à DEO menti humanæ indita ſit

ratio,

ratio, qvâ duce, rerum extra ſe poſitarum veritatem in *naturâ* exploret, ad firmum certumqve alterius partis aſſenſum illa ſeſe nunqvam inflectit, niſi validâ demonſtratione convicta: qvoniam verò, qvæ ſit ad æternam ſalutem via, lumine naturali percipere non poſſumus, ſed ſola nos docet revelatio, qvæ extra mentis noſtræ ambitum ſepoſita ſunt; Hinc abs humani ſubtilitate ingenii tantum impetrare qvilibet poterit, ut memor imbecillitatis ſuæ habeat fidem illi, qvem nec fallere credimus, & hæc cum in *ſolo* Deo reperiamus, ſolus qvoqve hanc hominum fidem ſibi vindicat, relicto apud eos argumento, tantam eſſe hujus Entis ſapientiam, ac potentiam, ut ſublimius qviddam ab illo præſtari posſit, qvàm qvò nobis penetrare conceſſum. Ex adverſo, cum in vitâ civili communem hanc videam hominum labem, ex affectuum dominio plerumqve ingraveſcentem, ut fallantur, & fallant, cautæ prudentiæ eſt, ab aſſenſu temperare, donec dicto fidem faciant. Qvòd ſi verò hominem reperire liceat, qvi à communi aliorum ſorte ſeſe exemptum venditet, expoſcatqve in rebus credendis omnium aſſenſum, velut errare neſcius; ne tum qvidem impetrari à nobis id patimur, niſi divini hujus privilegii tabulas ac documenta afferat.

§. XI.

Qvantum ergo onus, & Ætnâ qvidem gravius devolvatur in *Pontificem Romanum*, ſatis jam patet: *Chriſti vicariatum*, *Infallibilitatem*, *auctoritatem divinæ parem* ſibi arrogat, *privilegia*, qvæ nec hominum conſenſu, nec longi temporis uſurpatâ poſſeſſione conſeqvi unqvam potuit, ſed ſolo divini Numinis beneficio, cujus tabulas Uſurpator oſtendat, neceſſe eſt; qvæ enim non ſunt in pleno hominum dominio, ſed à ſolius Dei nutu & arbitrio dependent, illa per nudam ceſſionem ab hominibus factam, aliorum in dominium tranſire neqveunt: procul hinc uſucapio, procul diuturnus hominum conſenſus, procul longisſimi etiam temporis præſcriptio! *Solius* hac in cauſa *Dei* voluntas evidentibus indiciis

de-

demonſtrari debet: fatetur hæc *Erberm. Exam. Conring. Interrog. IV. §. 1. pag.* 44. explicet ergo indubias illas tabulas voluntatis divinæ teſtes! hic rhodus, hic ſaltus. Scio, qvam anxiè ſudet, *Interrog. VIII. §. 4 pag.* 95. *Iren. part. 2. cap. 3. & 4.* ut & *Matth. XVI. Luc. XXII. Joh. XXI.* neſcio qvid exſculpat, ſed cujus vanitatem laboris, ipſis hic oculis exponerem, niſi alieni fori conſcientia mihi qvietem imperaret. Id juvat addidiſſe, cum Curia Romana Papalem Vicariatum ita cœlò inſcribat, qvaſi latâ à Chriſto lege usqve adeò firmatum, ut nemo Pontificis è cathedra docentis decreto, absqve *æternâ morte* poſſit obluctari, & ſimul aliunde conſtet, omnem legem, utpote intellectus practici regulam, ita promulgandam eſſe à legislatore, ut ii, qvos obligat, dummodo prudentes ſint, ejus ſententiam, voluntatemqve poſſint perſpicere; hanc legem, qvæ Chriſtianos ad exhibendum ſedi Romanæ obſeqvium tam ſeverè aſtringat, unde per Deum immortalem, *Erbermannus* apportabit! Hoc tamen facilè conceſſerim, illam opinionem, qvæ fovetur, atqve alitur arte in hominum animis, *primum Monarchiæ Papalis arcanum* eſſe, qvo firmati piſcatores, è Tiberina Petri navicula, in dementandam plebem, trahendasqve etiam balænas hamos jaciunt. Natura enim metus infinita res eſt, dolendi autem modus qvidam: dolemus, qvantum patimur, timemus, qvantum pati poſſumus, inqvit *Mariana lib. 3. de Inſtit. Regis cap. 15. pag* 331. Interim non defuere, qvi paria *Curiæ Romanæ* cum *Ottomannis* vota agitari crediderint, qvibus idem, retinendis in obſeqvio populis, arcanum *Boccalin. cent. 2. ragguagl. 68. p. 218.* adſcribit, ibidemq; ſapienter confutat: *quaſi che un'huomo per ſcelerato, ch'egliſia, con la contritione di rauvederſi col pentimento, e con la condegna penitenza non poſſa conciliarſi con Iddio, qvando ha offeſo gli huomini.* Hæc ille.

§. XII.

Jacet ergo ſub *inviſo* probationis onere Romana curia, qvod nunqvam amolietur: premam amplius. Ubi qvis ex *ſucceſsionis jure* auctoritatem in *Chriſti vicariatum* ſibi arrogat, *ligi-*

legitima ejus ſucceſſio mihi priusconſtet, neceſſe eſt, qvâ ſublatâ omnis imperii vis ſimul concidit: jam verò, qvid vel ex ipſis hujus curiæ principiis incertius eſt, qvam hunc, illumvè pontificem verum eſſe ac legitimum Petri ſucceſſorem? primò enim cum de vero ipſius baptiſmate, *quo tamen omnis gratiæ collatio nititur*, addubitem, ſubveritus, ne illa, qvam *Pallavicin. l. 9. Concil. Trident. c. 6. n. 4.* abſolutè reqvirit, Miniſtri intentio abſuerit, quomodo de ipſo *vicariatu* non addubitem? creſcit hic metus, ubi recurret animo id, qvod de *Simoniaci* electione ſcribunt *Angelus de Clavaſio in ſumma. Verbo Simonia n. 9. f. CCXXIII. Aloza in flor. ſummar. f. 594. Pallavicin. lib. 2. cap. 10.* Papas ſimoniacè electos ipſo jure nullos eſſe, ac ſimoniacum ſeu occultum ſeu manifeſtum, de jure & facto excommunicatum, qvod exactè etiam firmat notiſſima illa *Julii II.* bulla, cujus apud *Marianam* mentio *lib. 30. Hiſp. cap. 1.* ac ſimul reputabo varias illas artes, qvibus in *Conclavi* in Cathedram Petri irrepunt, ne vel umbram certitudinis *Paparum* electio mihi objiciet. Qvid nunc dicam de *ſchismate*, qvo diviſis Cardinalium ſtudiis plura ſimul Eccleſiæ capita imponuntur, Schiſma præſertim loqvor illud immane, qvo poſt *Gregorium XI. evulgato Imperii arcano, poſſe Papam alibi, qvam Romæ fieri, Tacit. Hiſtor. 1.* per 50. annos Petri Cymba fluctuavit, qvid faciet hoc in ſtatu miſera anima? cum Papale illud cælum, adverſis inſeſſum tonitribus, remugire inaudiet, & accendi conſpexerit fulminum flammis, qvas *Irati hi Joves* in ſe mutuo contorqvent; qvid dicam de monſtris qvibusdam, qvæ potius *umbræ* (verba ſunt *ipſius Erbermanni*) qvàm *Petri* ſucceſſores in ſanctam ſedem intruſa ſunt? qvid dicam deniqve de *occultis defectibus*, qvibus omnis *vicariatus ac ſucceſſionis* incapacitas inducitur? Horreſcit animus, dum fluctuanti illâ cymbâ miſeri mortales ita in incertum pelagus raptantur, & ab ipsâ veritatis cynoſurâ abducti. Qvid ergò tandem ab incerto illo ſucceſſore, certi exſpectari poterit, cum ipſe *Pallavicin. lib. 3. cap. 15. n. 10.* diſertè ſtatuat: *dogmata reli-*

religionis Pontificiæ simul accepta nihil habere certi ac stabilis, à qvo pendeant, nisi pontificis auctoritatem. I nunc, & Papam fidei regulam deprædica, qvando & *ipsa* ipsius *successio*, ne vel umbram certitudinis appingit.

§. XIII.

Qvam æstuat hîc *Erbermannus*! luctatur, sed non eluctaतur: procellas disiicit, sed qvò altius subsidat, donec jam lassus, rebus conclamatis, fluctuantem illam Petri cymbulam huic saxo illidat: *Interrog.* 10. §. 5. *Assert.* 4. *p.* 129. *Ecclesia his in casibus, etiam ubi Simoniaci electio irrita est, supplet, qvidqvid potest supplere.* Sed, Vite, tuis te brachiis fortiùs implicas, nec *te ipsum*, credo, intelligis, uti evenire solet iis, qvos, jam jam morituros, ratio deserit. Primo enim qvid per *Ecclesiam* exprimis, cum eam à *Pontifice*, velut *suo* sejunctam *capite* hîc necessariò exponas? an *soli Cardinales* hunc supplendi honorem præripiunt? sed id putidum est, & licet hi *velint*, non tamen *possunt*; adeò severum est illud *Julii* II. decretum, qvod *n.* 12. innui. Qvos ergo vis? an *omnes Ecclesiæ Episcopos?* sed nihil efficies: *multitudini* enim ac *populo* nulla potest adscribi actio, nisi mutuo animorum consensu in idem conspiret; hæcqve voluntas certis indiciis manifestetur, oportet. Explica ergo, qvomodo in unum coëant hi Episcopi, ubi *occultus* ille in Papa defectus supplendus est: & qvomodo coiret, cum defectus *occultus* sit, omnemqve notitiam impediat? deinde illa supplentium actio non *naturalis*, sed *libera* erit, vel ergò in *omnium* paparum Electione exercetur, vel in *aliqvorum*; si *omnium*, stulta erit, & inanis, cum *occulti* defectus in *omnibus* fortè non subsint; si *aliqvorum*, unde subesse defectum cognoscunt, cum *occultus* sit, & ne *ipsis* qvidem *Papis*, ac *Cardinalibus* cognitus? Secundò qvî *supplet* Ecclesia? ænigma hoc est; an *adimit* in Papis aliqvid, an *addit*? aut qvid agit? qvid deniqve id est, supplet, *qvantum potest supplere*; qvantum ergò potest? Vides, vite, qvàm implicatus hæreas? sed jam pridem compertum est, hos homines

Eccle-

Ecclesiam in *Ideam Platonicam* sibi expingere, qvæ certam paparum actionibus notam imprimat: *Ecclesia*, *Ecclesia*, *Gorgonis* caput est, qvod homines, nisi *Pallade* munitos, in *lapides* convertit.

§. XIV.

Ad finem propero: Sed brevem adhuc moram injicit *Pallavicinus*. Hic *lib.1. Concil. Trident. cap.25. n.15. lib.12. cap.3. n.8. arguit*, Pontificem Romanum, *Sacerdotem inermem*, *nullis instructum armis* ad *Monarchiam* pervenire non potuisse, nisi primatus à *Christo* Institutus esset. Perperam cælo in scribitur, qvod fraudibus, dolo, ac callidis artibus debetur: in Aula Romana est *animus audax*, *sui obtegens*, *juxta adulatio & superbia*, *palam compositus pudor*, *intus summa adipiscendi libido*, *ejusqve causa*, *modo industria*, *ac vigilantia*, *semper religionis obtentus*, *haud minus noxius*, *qvoties parando regno fingitur*, *Tacit. An.4.* si *arma* defuere ab initio, non *animus* defuit: armati, pro *unius Romani Præsulis* Imperio, in mutuam necem, Regum exercitus: *principatum scelere qvæsitum iisdem mediis retinuit: Tacit. Histor. 1. 83. nemo enim Imperium flagitio qvæsitum bonis artibus exercuit Tacit. Histor. 1. 30.* rem hanc *alio opere* perseqvar, qvo *Papalis Monarchiæ originem* & qvibus artibus *dominationem* captaverit, obtinueritqve, expediam. Sed qvid miramur Pallavicinum huic *primatui* è *Christi* præscripto gloriam qværere, cum & *civile* pontificis in Urbem Romam imperium *cælo* audeat *lib. 1. cap. 25. n. 18. & alibi*, imprudentius inscribere. Nihil ergo in *Pontificum successione* certi est: fluctuat hæc cymba, in incertùm pelago oberrans: absorbetur syrtibus, scopulis alliditur, cum & destituatur *verâ acu magneticâ*, & *verbi divini cynosura* conspectum fugiat: *felix illorum iter*, *qvi hâc cynosurâ tuti DEO duce navigant.*

Q. D. B. V.

DISSERTATIONUM SELECTARUM SECUNDA

Ex

Historia Civili-Ecclesiasticâ

De

PROPAGATIONE LINGUÆ ROMANÆ, PROFANÆ, SACRÆQVE DOMINATIONIS ARCANO.

PROOIMION.

EX antiqvi Romanorum Imperii ruderibus novus surrexit dominatus. Is est Ecclesiasticus Pontificis Romani. Qvi in ipso Civili Principum Imperio novam è Sacerdotibus Rempubl. conflavit. Qvibus consiliis? Inter Arcana Imperii est usus Linguæ latinæ in rebus sacris.

URbis Romæ *in orbem Imperium, variis licet casibus per temporum injurias jactatum sit, ut ad ruinam ipsa etiam fata tantam molem ursisse visa fuerint; fortunam tamen in sui obseqvium adeò obstinatam semper expertum est, ut ipsa etiam pericula, & jam collabentis Imperii minæ in gloriam, ac firmamentum huic Urbi cesserint. Seculum à Christo nato qvartum properabat ad exitum, (nam cetera* veteris Reipubl. *& in* unius *etiam arbitrium transeuntis prospera, & adversa facilè reticeo) cum disjectis Imperii limitibus,*

qvos

qvos Conſtantinus *dimotis in Orientem legionibus nudârat, irrupêre in Italiam Barbari, docueruntqve, debellari poſſe illam Urbem, qvæ antea inermi etiam* Nominis Romani *majeſtate gentes exterruerat. Qvæ mala per ſubſeqventium deinde calamitatem temporum, confluentibus undiqve, velut conſpiratione gentium, in Italiam bellis, Urbis Romæ dignitatem ita oppreſſerunt, ut propriæ etiam libertatis jacturam lugeret illa, qvæ toti propemodum orbi, injectis antea vinculis, lachrymas extorſerat. Hæc inter nondum tamen Romanos, tot licet malis feſſos, deſtituit animus dubiis fortunæ caſibus ſemper exercitus, Sed in hoſtium intenti diſcordias* novum *acriori conſilio moliti ſunt dominatum, qvi ex ipſis* Imperii collapſi *ruderibus demum ſurrexit, uti* Machiavel. libr. I. delle Hiſtor. Fiorent. *ſolerter commemorat.* Pontificis *enim* Romani, *qvi jam multò ante* Summus *etiam* hominum *dicebatur*, Tacit. An. 3. cap. 58. *illâ tempeſtate mirum qvantum gliſcebat auctoritas, qvi ferox* Religione *ipſum etiam cœlum armabat in æmulos, adegitqve tam ſuperſtitioſa Majeſtas, colla ſubmittere Principes, qvi infracto priùs animo Romanam tyrannidem exciderant. Hic itaqve cum facilè intelligeret, civilis Imperii clavum Romæ ſemel excuſſum, easdem ad manus ægrè rediturum, ſimul haud ignarus, qvantum valeat in hominum animis* religio, *verſatili conſilio ad ſacram hanc anchoram confugit, & Sacerdotes aut obſeqvio, aut ſocietate ſibi conjunxit, ex qvibus novam deinde Rempubl. cujus ipſe caput foret, in ipſo civili Principum Imperio conflaret: mollibus*

tamen

tamen his initiis futurum qvandoqve non dubitabat, ut occupato semel Sacrorum *dominatu* politicæ *etiam Principum causæ ad* Romæ unius *leges componerentur. Cum enim Religio, seu boni, malive opinio hominum voluntati, è qvâ omnes profluunt actiones, constanter imperet, hujusqve metu sibi laicos devinciant clerici, ipsa etiam Regum* Sceptra *suo* pedo *per* Religionis speciem *subdi posse reputabat pontifex &* Sacerdotum *auctoritate, velut nervis qvibusdam, magnitudinem suam sustineri, qvi eodem motu in solius arbitrium pontificis populum impellerent, uti* Thomas Hobbes de Cive cap. VI. & XVIII. *prudenter explicat. Hæc ergò est nova illa Resp. qvæ ex ipso* Imperii Romani *busto primùm enata*, parente ambitione, superstitione obstetricante, *ipsorum deniqve principum favore, atqve opibus adolevit in regnorum, civilisqve imperii exitium, postqvam principum sinu exceptus hic Serpens revocato in dolum ingenio incautam foventium manum admordit. Qvibus autem consiliis captârit dominationem Pontifex, facile comperiet is, qvi* Veteris Reip. *artes, &* Arcana Imperii *cum* Ecclesiastico *hoc principatu composuerit. Par enim utrinqve origo, solertia eadem, pares in Imperio propagando artes, Arcana eadem, idem deniqve fortunæ nutantis metus* Tacit. Germ. cap. 33. *ut crederes*, antiqvum *revixisse Imperium, nisi in* hoc *omnia ad Sacrum* Religionis *horrorem adornata cerneres. E qvibus Imperii utriusqve* Arcanis *haud erit alienum abs re*, Linguæ Romanæ Propagationem, *artem sua in Republ. â* Pontifice *non minori pervicaciâ, qvàm olim*

olim â Romanis exercitam, in præsentis operis argumentum eligere, præsertim, cum Monachos *videam, rerum, temporumqve ignaros, in, nescio, quæ* Mysteria *procurrere.*

DISSERTATIONIS
SUMMARIA.

I. *Romani semper in devictis provinciis propagarunt linguam Romanam. Qvibus artibus id perfecerint? Lingua Celtica Gallorum iis artibus planè extincta est. Qvæ sit origo linguæ Gallicæ. In curiis Galliæ permansit Lingua latina usqve ad Ludovicum XI. In Germaniam latina lingva non fuit invecta à Romanis. Cur Romani propagârint suam linguam in subjugatis provinciis?*

II. *Lingua Romana ubiqve in Imperio invaluit. Primordia Religionis Christianæ inciderunt in tempora, qvibus lingua Romana jam erat vulgaris. Ergo linguâ Vulgari Sacra tum peracta sunt. Origo rituum in Ecclesiâ Romanâ explicatur. Ritus Gentilium Christianæ Religioni sese miscuerunt. Et per viam communis Linguæ ab Urbe Roma alias in provincias profluxerunt.*

III. *Lingua Romana per Barbarorum irruptiones corrupta est. Unde, & qvando exorta sit lingua Italica, Gallica, Hispanica, Anglica. Qvomodo nihilominus in sacris permanserit Linguæ Latinæ usus. Qvâ occasione spissa illa nox Ignorantiæ orbi cœpit incubare. Qvando dispulsa?*

IV. *Status linguæ Germanicæ veteris. Hæc scribi olim non poterat. Symbolum Apostolicum & oratio dominica prisci German. Idiomatis. In negotiis etiam civilibus lingua latina dominata est. Qvam diu? & qvomodo hoc mutatum? Germania hoc medio in Romæ servitutem venit.*

V. *Qvid in aliis Provinciis factum? Qvid Johannes VIII. egerit cum Sfento Dalmatiæ comite,*

comite. Refutatur Pallavicinus. lib.6 p.591. Cur Sfentus abhorruerit à linguâ Romanâ.

VI. *Gregorius VII. nullo modo voluit permittere Bohemis Vulgarem lingvam in ſacris. Opponitur Johanni VIII. rejicitur Pallavic. exceptio.*

VII. *Ridicula Monachorum probatio de tribus linguis in cruce Chriſti rejicitur.*

VIII. *Expenduntur cauſæ, cur lingua vulgaris non uſurpetur in Sacris? Galli petierunt in Conc. Trid. Linguæ vulgaris uſum. Afferuntur tres cauſæ ex Card. Pallav. omnesqve rejiciuntur.*

IX. *Sola & unica cauſa hujus Arcani eſt Sacerdotum utilitas. Qvomodo hi beneficio hujus linguæ ad tantam potentiam pervenerint? Cur in Confeßione Abſolutio Lingva latina perficiatur. Germania per linguam latinam à Pontifice ſubjugata eſt. Superiori Seculo orbis ad libertatem rediit expulsâ à Sacris hac lingua. Qvodnam ſit Intereſſe Proteſtantium.*

§. I.

ROmani igitur, ut jugum, qvo ſubactos à ſe populos premebant, firmarent acriùs, omnem dominantis ingenii ſolertiam has in curas cogebant, ut *patriam* ſervientium *linguam* ſenſim exſcinderent, inqve emorientis locum *Victoris Idioma* ſurrogarent. Diverſis autem artibus id conſilium conſtitiſſe innotuit. Primum enim delecti *provinciarum* præſides, qvi non viſis antea *Securibus*, *virgisqve* exterrebant gentes: erexêre tribunalia, qvæ *Romanorum* conſtituta legibus, *Romanâ* duntaxat linguâ perſonarent, ut negotiorum, qvæ tranſigenda erant, neceſſitas, linguæ etiam *Romanæ* ſtudium à contumacibus extorqveret. Ad hæc præter *Colonias*, & varia *latinorum* examina, qvæ ab Italiæ provolabant oris, devictisqve incumbebant gentibus, ultimum libertatis ſenſum corruptura

ruptura, surgebant etiam Scholæ in *Linguæ popularis* exitium, qvæ rudes, & patriis adhuc moribus innexos juventutis animos ad *Linguæ Romanæ* usum, amoremqve efformarent v. *Tacit. in Agric. cap.* 21. His ergo artibus ita succrevit alieno in solo Romanum hoc lolium, ut nativum etiam germen præ-repto vigore tandem suffocârit. In Galliâ, ut de Hispaniâ, aliisqve provinciis nihil dicam, per 500. *ann.* obseqvium invalescens Romanorum lingua *Celticum* sermonem ita obtrivit, ut hujus ne vestigia qvidem superesse compertum sit. Et qvanqvam postea sub *Francorum* imperio, qvi in Gallias sese effuderant, ex linguâ *Teutonica* & *Romana*, qvam ob devictæ gentis vilitatem, *Rusticam* appellabant, inter se mixtis, nova, qvam hodie *Gallicam* dicimus, velut cinnus qvidam emerserit; in Publicis tamen, Privatisqve etiam regni negotiis solius *latini idiomatis* permansit usus, donec *Ludovici XI.* Sapientiâ & consilio hæc lingua ê curiis eliminata obmutuit. In *Germaniæ* autem viscera, qvæ acerrimo semper bello Romanam fatigabat potentiam *latinus* hic cancer non penetravit, qvanqvam primores ad Rheni ripam in qvotidianæ, qvam exercebant cum accolis, consvetudinis subsidium lingvam utramqve, tam *Romanam*, qvam *Teutonicam* callerent. Cur autem *Romani* hoc *dominationis Arcanum* tam solerter exercuerint, nemo facile mirabitur, qvi intelliget, *dubio, nec duraturo contineri obseqvio populum, qvi in alterius transiit imperium, nisi in linguæ etiam Societatem transierit.* Friget enim amicitia, qvæ linguæ commercio non accenditur, & fluctuat subactæ gentis fides, nisi abolitis *patriæ* institutis ad *victoris* leges, moresqve traducatur; id autem *linguæ dominantis* beneficium est, qvæ populorum insinuata animis emollit servitutem, & qvod mirêre, ipsam *pristinæ libertatis* memoriam adimit, uti *Machiav. libr.* 2 *di discorf. cap.* 4 & 5. non malè explicat. Surculus trunco insitus vitalem succum tamdiu imbibit, donec sui oblitus coalescat cum trunco, & *Germaniam*, postqvam *gallici* dulcedine *Idiomatis* pellectam *patriæ linguæ* puduit, imminentis etiam servitutis non puduit.

D 2 §. II.

§. II.

Hic erat *lingua Romana* in plerisqve *Imperii* provinciis jam adultæ ſtatus, qvanqvam alibi adhuc adoleſceret, cum *Religio Chriſtiana* pulſis gentilium erroribus invaluit. Unde, licèt in ſacris exigeretur mutatio, permanebat tamen *linguæ latinæ* uſus, qvippe qvæ *Sacra* omnia, & *profana* jam ante occuparat. Ex qvo duo inprimis annotare non pigebit, qvæ ad præſentes *proteſtantium* cum *Romanis* lites non parum faciunt; *Alterum*, ſub illa tempora *Vulgari*, cunctisqve noto ſermone *Sacra* fuiſſe peracta, neqve tum auditam fuiſſe illam Sapientiam, *vulgare Idioma à ſacris arcendum*, qvam tamen hodie invenit *Roma*, ita qvidem, ut publico etiam *Tridentinorum* edicto notus populo, vulgatusqve ſermo ab aris proſcriptus ſit. *Si NEFAS* eſt, vulgari Idiomate ſacra exponere, uti protervè ſentit *Maſenius part. 2. Medit. concord. pag.* 89. miſera fuit *Religionis Chriſtianæ* conditio, cujus primordia tam enormi flagitio à gentibus excepta ſunt. Neqve crediderim, illum eſſe Chriſtianæ pietatis genium, ut notá orbi lingvam exhorreat, aut opus fuiſſe, ut in *Sacerdotum* gratiam novum Idioma Deus conderet, qvo ad horum duntaxat notitiam traducto, Religio conſiſteret. Et qvanqvam *Card. Pallavic. lib.* 18. *Concil. Trid. cap* 10. *n.* 4. negare comperiam, *latinum* Sermonem in *Gallia* unqvam vulgarem fuiſſe; id tamen non moror, cum & Gallicæ linguæ genius, & omnium qvoqve conſenſus hanc eruditi aliàs Cardinalis opinionem reprimat. Vide qvæ §. 1. jam dicta ſunt. *Alterum*, qvod noſſe permagni intereſt ad retundendam *Romanorum* ſuperbiam, qvi de *antiqvitate* hodiedum adeo ineptè triumphant, originem continet iſtorum *rituum*, qvos orbis *Pontificius* ita pervicacitet adorat. poſtqvam enim in *Primorum*, *Cæſarumqve* etiam qvorundam animis adaucta eſt *Chriſtianæ Religionis exiſtimatio*, ipſi etiam *Sacerdotes Romani*, aliorum exemplo admoniti Chriſtianam in pietatem tranſierunt; Interim tamen, cum *veteres* vivendi mores, & obſervati longo rerum uſu Sacrorum ritus ſubitâ mutatione haud facilè expelli poſſint,

poſſint, niſi prius lento temporis beneficio atterantur, ſacerdotes etiam in Chriſtianam licet Religionem transgreſſi, *Veteres* affectus nondum exuebant, ſed *ſvetos Sacrorum ritus*, *&* *priſca aræ myſteria* callido conſilio inflectebant in *Chriſtianæ Religionis* cultum, ſive, ut retinerent *inſtrumenta potentiæ*, ſive qvod populum, qvi externâ rerum ſpecie, qvippe qvæ ſenſibus obnoxia rudes animos ſacro qvodam horrore percellit, nimiùm detinetur, cœtera rudis, aut incurioſus, tantæ mutationi imparem vererentur. Hinc ceſſere qvidem Deorum nomina, qvos cœca Antiqvitas effinxerat, ſed *vacua pulvinaria*, *lectosqve novi* hoſpites ſtatim occuparunt, & nova etiam ſimulacra revocatis Deorum ſtatuis ſucceſſerunt, ut de reliqvis nihil hìc memorem, qvæ Chriſtianæ Religionis ſimplicitati ſeſe miſcuerunt. Ex qvo jam facilè licebit colligere, ab hoc fonte, cum prævalida eſſet *Pontificis*, *Sacerdotumq; Romanorum* in orbe auctoritas, reliqvas etiam *Imperii occidentalis* Provincias, qvippe jam in *lingua* Societatem transgreſſas, hauſiſſe Sacrorum ritus, qvos tam ſollicita *Mater* (ita enim *Eccleſiam Romanam* appellant) *filiæ* velut dotem transmiſerit. Tantum valuit ad adſciſcendam rituum paritatem aliis in Provincis *linguæ unius* comunio.

§. III.

Religionis ergo *Chriſtianæ* primordia ab *uno Idiomate Romano*, quippe cunctis in *occidente* provinciis vulgato excepta ſunt. Sed tandem erat in fatis, ut etiam hæc lingua, quæ antea exſciderat alias, aut everteretur ipſa, aut certè ruinæ proxima nutaret: Etenim poſtqvam *Gothi*, *Vandali*, *&* *Longobardi*, aliæq; barbaræ nationes in Italia, & reliqvis Imperii Romani provinciis conſederunt, *patriasqve* linguas, qvas nondum dedidicerant, miſcuerunt *latinæ*, tùm lenta mutatio, ac corruptio *Romanam* ita detorſit, ut à ſeipsà tandem deſciviſſe viſa ſit, & niſi *ſcholarum* Pulvis contexiſſet hanc linguam ab exitio, pari qvoqve clade attrita tandem concidiſſet. Et in *Italiâ* qvidem, *latinæ* licet Majeſtatis ſede, Romanum Idioma ſive ſub *Gothorum* Imperio uti *Machiav. libr. 1. delle Hiſt.* exiſtimat, vel ſub *Longobar-*

gobardis, uti ſcribit ex *Mutio Marta part.* 1. *de Jurisd. c.* 33. *n.* 33. ſive, qvod potius crediderim, ſub utrisqve, cum linguarum corruptio non tam ſubitæ mutationis opus ſit, in novum loqvendi modum ſenſim detortum eſt, qvem barbaris mixtum verbis, *Italicum* appellamus. Qvam in *Gallia* fortunam ſubierit *lingua Romana*, §. 1. jam retuli: in *Hiſpania* verò ex horridis *Gothorum* Arabicisqve *Maurorum verbis* lingua *latina* in novam intumuit, qvæ jam *Hiſpanica* dicitur. De *Britannia* nihil dicam, cujus lingua â Romanis primùm corrupta, variis poſtea convulſionibus per *Anglo-Saxones*, *Danos*, *Normannosqve* mutata fuit, ut tandem plurium coalitione linguarum in novum Symptoma eruperit, ſub nomine *Linguæ Anglicæ*, qvæ velut in eliqvatam vernis è floribus merdam degeneravit. Interim tamen, licet hos inter regnorum motus, *popularis*, ac domeſticus *linguæ Romanæ* uſus ſenſim exoleſceret, in *ſacris* tamen, & *judiciis*, iisqve omnibus, qvæ *Scripto* comprehendi ſolent, *Idioma latinum*, qvamvis ægrè trahens animam, perdurabat. Et certè id fieri aliter non poterat. Etenim, cum non ſubitò corrumpantur *linguæ*, ſed lentâ temporum morâ ſerpat hæc mutatio, ut mutari linguam non advertas, niſi cum mutatam jam eſſe cernis, in linguam nondum enatam receptæ, librisq; deſcriptæ *Sacrorum* formulæ tranſire non poterant. Præſertim cum *Monaſteria* aliqva retinerent *Linguæ Latinæ* veſtigia, ſed qvæ atrox vocum barbaries confuderat. Unde cum ad ſolos Sacerdotes per hanc temporum vicisſitudinem Lingua latina traduceretur, populo qvoqve *Sacrorum* cognitio, qvippe latino innexa Sermoni paulatim ſubducta eſt, atqve ita Orbi incubare cœpit horrida illa *nox Ignorantiæ*, donec Seculo *XVI.* nova lux eam diſpulit. Per hanc ergo temporis opportunitatem crevit immensùm *Sacerdotale Imperium*, & Pontifex qvidem, cum probè intelligeret, qvanti ad dominatum, qvem moliebatur, firmandum, intereſſet, *arceri à Sacrorum notitiâ Laicos*, ſolius *Romani* Sermonis in *Sacris* uſum, inter *Arcana Imperii* retulit.

§. IV.

§. IV.

Et in *Germaniâ* qvidem, qvæ ſeriùs Chriſtianam Pietatem amplexa eſt, cuncta ex Pontificis voto felicisſimè procedebant. Etſi enim hæc linguam ſuam ab exterarum contagione incorruptam ſervârit, priſcus tamen *Germanorum* ſermo horrido illo tempore adeò difficilis viſus eſt, ut illum nec ſcribi poſſe, nec literis exprimi omnes judicarint, cum huic absqve magno oris hiatu, rictuqve ac ſibilis proferendo ne ipſa qvidem vox ſuffecerit. Unde, cum *Bonifacius An. Chr.* 722. *â Sede Romana* ablegaretur in Germaniam, ut fidem Chriſtianam ibi propagaret, (*qvanqvam hæc meliori pietate ad Rhenum alibiqve jam conſederat*) in eumqve finem literarum commercio opus eſſet, & tamen *lingua Germanica* ſcribi non potuerit, *latina* ſeu *Romana* in ſubſidium evocanda fuit, qvâ ſcriberentur *Religionis* decreta, & Sacra peragerentur. Hocqve ex *neceſſitate* primò aſſumptum, poſtea in *Rationem ſtatus* ceſſit, ad Veteris Reipublicæ Romanæ exemplum, qvæ, ut propagaret *Imperii* fines, *linguam* qvoq; ad eosdem ſemel ſubactos extendit. Hunc autem fuiſſe veteris Germanorum linguæ genium, nemo diffitebitur, qvi eam cum noſtris temporibus compoſuerit. Non pigebit in hujus rei argumentum priſca *Symboli Apoſtolici*, ac *dominicæ Orationis* Verba probatis ê monumentis exſcribere: **Kilaubu in Kot Fader Almahticun/** ſunt Verba Symboli, **kiſcaf Himels enti Erdu. Enti in Jeſum Chriſt ſun ſinan ainacun/ unſeran Truthin/ der inphangen iſt fon wihemu Keſte/ kiporan fona Marian Macadi ewikeru/ kimartrot in kiwalti Pilates/ mervet Piſla cautot/ enti picrapan/ ſtehie in wizzi/ in dritten Take erſtoonte fona Totten/ ſtehie in Himmel/ ſitzitza ze ſuun Cotes Faters Almahtikin/ thana cuinftig iſt ſonen Quethe en ti Tote. Kilaubu in wihan Keſt/ in wiha Kirighun Catholica/ wihero kemenitha/ urlatz ſunti/ kero Fleiſces/ Urſtodahi/ int lup ewi/ Amen.** His verbis horreſcebat *Symbolum.* Oratio dominica Seqventibus: **Vatter unſeer thu piſt in Himile/ wihi Namun dinan/ queme Rihe din/ werde**

Wille

Wille din so in Himile sosa in Erdu / Proath unseer emezzhic kib uns hiutu / oblaz uns Sculdi unseero / so wir oblazen uns Sculdiken / enti ni un sitz firlitti in Khorunka. Uzz erlosih unsih fona Ubile. Ita ergò in Germania Romanorum lingua in sacris, Publicisqve etiam tribunalibus sedem occupavit, & qvidem sub *Francorum* Imperio e qvibus *Carolus M* hanc gentem antea divisam ad unius & Principis, & Romanæ Religionis obseqvium Primus traduxit; duravitqve hujus lingvæ latinæ usus in judiciis, Publicisqve Germaniæ negotiis ad usqve *Fridericum II.* qvi primus omnium *An.* 1236. Moguntiæ in Comitiis *Recessum Imperii*, ut vocant, *Germanicè* evulgavit, cujus Sapientiam postea Secutus *Rudolphus* Herbipoli *An.* 1287. edixit, ut linguæ Germanicæ usus introduceretur. Hac ergò lingvâ empta est â pontifice Germania, cujus etiam amor qvippe in *unius Romæ* nutus cœco semper impetu concedentis, hunc procum adeo pellexit, ut â duro alias patre titulum *Charißimæ filiæ* impetrârit; neqve jam miror pietatem *Martini V.* qvi se exoptabat *ciconiam*, modo Germani in *ranas* verterentur. Ita Simplices, rudesqve Germanorum animi Lingvæ Romanæ ludibriis circumacti sunt.

§. V.

In reliqvis etiam Provinciis, qvæ â *Seculo octavo* nomen dedêre *Christo*, pari pervicacia *lingua Romana* usus in *Sacra* â pontifice intrusus est. Mitiùs tamen inter primordia cum iis actum est, qvi veterem patriæ linguam constanter tuebantur. Hinc *Johannes VIII.* postqvam diu acerrimè obstitisset, tandem tamen in *Sfenti pulchri Dalmatiæ Comitis*, patriam linguam retinentis sententiam concessit, permisitqve, ut *Illyrico* Idiomate Sacra peragerentur, magno etiam adjecto argumento, *nullum esse Idioma, qvod Deus â Sacris excluserit.* Qvæ Pontificis *Imperii Arcana* negligentis facilitas *Card. Pallavicinum* non leviter, excruciat, ut etiam collectum

dolo-

dolorem, iramqve in *Paulum Servitam* evomat: regerit itaqve *lib.* 18. *conc. Trident. cap.* 10. *n.* 3. *Pontificem cordatum in eâ rerum conditione non recusâsse indulgere, eò qvod compertum esset illic non sufficere numerum Ministrorum, qvi ad latini sermonis usum idonei forent.* Sed confictam esse â Cardinali hanc causam facilè comprobabo, 1. qvia idem Papa scribebat, ut saltem *Evangelium* legeretur *latinè*, ac postea *Sclavonicè*; *hoc* ergò si latinè legi poterat, cur non & *alia* poterant? 2. cur ergo permisit, ut, si placeret, ipse Comes, aliiqve sibi *Missam latinè* legi curarent, si deessent, qvi *latina* nossent? 3. si deerant *Romani* Sermonis gnari, qvi hoc Idiomate Sacra perficerent, stultè profectò, ac præpostero consilio urgebat ab initio pontifex, ut non nisi *latinè* Sacra peragerentur. Ubi enim nemo est, qvi latinum sermonem exerceat, frustra etiam ad ejus usum Sacra adiges. Audiatur *Servita*, qvi silente ad hæc *Pallavicino* ita scribit: *il Papa, dopo hauer l'inanzi fatto una severißima riprensione a' Moraui, del celebrar la Messa in lingua Sclaua, conprecepto d'astenersene, nondimevo meglio informato scrisse â Sfento &c. una longa lettera, doue non per concesßione, mâ per dichiaratione afferma, che non è contrario alla fede, & sana dottrina, il dire la messa, & le attre hore in lingua Sclaua &c.* Hæc sanè omnem *Pallavicini* conatum evertunt. Alia ergo causa sit oportet, qvæ *Sfentum* ab *Romani* Idiomatis amore dimoverit, metus nempe *Romanæ servitutis*, qvam linguæ latinæ illiciis parari non vanò arbitrabatur: Qvæ formido *Frisios* qvoqve à *Religionis*, qvam emissi ab *Urbe Româ* præcones afferebant, amplexu retinuit, armavitqve in eos barbaras manus, qvæ *servitutem* apportari credebant.

§. VI.

Sed callidior *Arcanorum Imperii* custos *Hildebrandus* seu *Gregorius VII.*, acerrimus ille Pontificiæ Majestatis vindex omnem hac in re aliis gloriam præripit, crediderimqve vel hoc nomine *piißimum Præsulem* â *Laurentio à Dript* præcelsæ

eruditionis viro in *Anti decal.* appellari. Hic enim *lib. 7. Epist. II. Vladislao* Bohemiæ duci ita ſcribit: *qvod verò nobilitas tua poſtulavit, qvod Secundum Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari annueremus officium, ſcias, nos huic petitioni tuæ neqvaqvam poſſe favere!* ex hoc nempe &c. addit: *cum primitiva Eccleſia multa diſsimulaverit, qvæ à ſanctis patribus poſtmodum firmata Chriſtianitate & Religione creſcente ſubtili examinatione correcta ſunt.* Ita poſterior Nepotum ætas ſubtiliter reſecat, qvod Veterum pietas, ac Sapientia retinuit. Qvid hoc monſtri eſt? *diſsimulâſſe Eccleſiam linguæ vulgaris uſum*, cum inter *Chriſtianæ Religionis* primordia ipſa etiam *Romana* lingua, qvâ excepta ſunt ſacra, in *Occidentali* Imperio *Vulgaris* fuerit; vide, qvæ §. 2. hanc in rem expenſa ſunt. Diſſimulari non poteſt illa lingua, qvâ cuncti loqvuntur! ſed qvî diſſimulabat *Johannes VIII.* id, qvod magnis è ſcripturâ rationibus comprobabat? aut *Johannes* aut *Gregorius* errârit neceſſe eſt, qvi immane qvantum hic diſſident, neqve ullâ *Pallavicini* induſtriâ hi pontifices componi poterunt, qvidqvid ille *n.* 4. tentet. Sed jam pridem compertum eſt hanc unicam eſſe viam, veteres pontificum mores, ubi in exemplum trahuntur, eludendi, ut cum P*allavicin. lib. 23. cap. 9. n.* 12. dicatur, oportuiſſe interdum, ut Pontifices palpebras ſubmitterent, qvas poſtea triſti ſupercilio, ac ſeverâ fronte reducerent.

§. VII.

Hactenus variam *linguæ Romanæ* fortunam expoſui, oſtendiqve occaſionem, qvæ poſt varias temporum linguarumqve vicisſitudines *latinam linguam* Sacris illigarit. *Monachi* autem, cum jam dominantem in *Sacris* linguam latinam cernerent, cauſam tamen atqve originem hujus rei ignorarent, alibi verò legiſſent, *Crucis Chriſti* titulum tribus conſtitiſſe Linguis, ad myſteria confugerunt, ut ſolet ignarum, ignavumqve pecus, qvaſi *tres* dunxat *hæ linguæ* â *Chriſto* ſanctæ eſſent, ut in *Sacris* prævalerent, &, qvod mirêris, cum intelli-

intelligerent ex *Joh* 19. 20. linguam latinam *capiti Christi* propius appenſam præ ceteris, in ſanctam qvoqve reverentiam effuſi linguam latinam Hebrææ, Græcæqve hoc ſolo argumento prætulerunt. Sed miræ huic ſubtilitati ægrè fidem facient, poſtqvam nondum compertum eſt, *acetum vino, & auro ferrum* ab hoc hominum genere præferri, qvorum tamen *hoc* Sacroſanctum *Christi* corpus terebravit, *illud* vero Salvator jam jam moriturus libavit.

§. VIII.

Illud verò mihi cum curâ nunc expendendum eſt, qvid cauſæ ſit, qvod *linguam* populo *notam* â ſacris tam ſollicitè pontifices arceant? neqve enim tam vile crediderim vulgare nationum Idioma, aut Romanum adeo præcellens, ut *Christianam Religionem* pudere poſſit, vulgato ſermoni alligari, aut Religionem tam avidam *ſecreti*, ut linguæ notitiam exhorreat. Chriſtiana enim pietas (*qvod probe notandum*) ſtatim â prima ſui origine in notum populo Idioma incidit, Romanum, latinumve in *occidente*, Græcum alibi, cujus beneficio infima etiam plebs ad Sacrorum cognitionem perveniebat; qvod verò nunc è vulgi oculis *Romanæ* duntaxat linguæ ſecretis abdantur *Sacra*, ex iisdemqve tam ſevero edicto proſcribatur *Vulgaris*, id cum *Apoſtoli* 1. *Cor. XIV.* ſententiâ qvomodo componi poſſit, Romani Sacrorum Magiſtri viderint. *Galli* qvidem *An.* 1562. linguæ etiam vulgaris uſum in *Concilio Tridentino* expoſcebant, uti meminit *Servita lib.* 7. *del concil. di Trento*; Sed haud dubium erat, illa poſtulata altius penetrare, & *Arcana Imperii* tentari: unde pontifex non ignarus, qvantum *è Republ.* peteretur, repulit *Gallorum* vota, ſcriptoqve edicto adverſus linguam vulgarem, *Imperii* ſui vim retinuit. Vide *Concil. Trident. ſeſſ.* 22. *c.* 8. Interim lubet hic ex *Pallavicino*, *Cardin.* erudito, & rerum Romanarum ſummè gnaro tanti conſilii cauſas exſcribere, ut, *pietasne*, an *Ratio ſtatus* hoc *Arcanum* produxerit, integrè dijudicari poſſit. Hic itaqve *lib.* 18. *cap.* 10. *n.* 2, *tres* affert rationes,

cur Missa vulgari Idiomate celebrari non debeat. Primò *inqvit, non rarò ab uno idiomate alterius sententia* Omnino *exprimi neqvit, ergo si variis etiam linguis celebrandum esset, difficile foret eandem prorsus sententiam retinere, adeoqve unitatem Ecclesiæ.* Sed cur exprimi non posset? qvivis ex horridâ etiam antiqvitate scriptores, nostrorum temporum solertiâ transierunt in *linguam Gallicam*, & qvod mireris, ipsum etiam *B. Virginis officium*, ut vocant, Jesuitarum studio non ita pridem *Parisiis* excusum prostat (*les offices de S. Marie Vierge*) & *Germanicus* qvoqve sermo ad gloriam jam pervenit, & *Missa* vulgato Idiomate exprimi non posset? concedam tamen non invitus in Cardinalis sententiam, si, qvid in *Missa* tam abstrusum sit, ut â Gallica, Germanica, aliave etiam lingua exprimi non possit, ipse expromat: cedet in gentium dedecus tam *jejunæ, sterilisqve linguæ* possessio, qvæ uni missæ verba sensumqve dare haut possit: qvod sanè si verum esset, nescio, qvâ ineptiâ edixerint P*atres Tridentini*, ut *Missa* populo â Ministris explicetur, cujus etiam mysteria vulgatis qvoqve libellis publicata jam prostant. 2. *Sacerdotes extra patrium solum celebrare non possent, si suo qvisqve Idiomate celebraret.* Qvid tum? non crediderim eqvidem in unius alteriusve sacerdotis è patriâ exerrantis gratiam integrarum nationum linguas debere obmutescere, aut multum detrahi de Christianâ pietate, licèt è Gallia sacerdos in *Germanorum* aris non ostentet, qvàm agili manu aërem lacessat, aut, si interest, tam venerabilem immolare hostiam, non deerit secretior angulus, in qvo linguam *Romano* Sermone turgidam qvis possit exserere. 3. *Hæreses, ac præcipuè recentes (uti mos est iniqvè litigantibus ignorantes Judices cupere) concitant Idiotarum multitudinem ad ferendam de rebus divinis Sententiam. Idcirco magnæ prudentiæ est, prohibere, ne fidei nostræ Mysteria qvotidiè communi sermone circumferantur â vulgo.* Perversè igitur actum est cum Religione Christiana, cum vix enata *communi* populorum sermone circumferretur, licèt & tum Christianum

nomen

nomen plures in partes dehiſceret. *Juſtæ cauſæ* confidentia eſt, neminem formidare judicem, ſed cuivis etiam è trivio, ſi libet, arbitrium permittere: Ubi anxia indagine ſeligitur judex, partium obnoxius ſtudio, dubiæ, ac ſibi metuentis cauſæ argumentum eſt. Iniqvè transfertur in plebem *Sacrarum* litium culpa, quarum originem ſoli *Sacerdotes* ſibi vindicant, qui etiam optimè moniti, cœlum mox armant & avaritiam, ambitionem, & cetera turbidi, diſtortiqve ingenii mala in diſcordias exacuunt: abſit á vulgari lingua tantum dedecus: *fruſtra incuſatur cibus, ſi ſtomacho exceptus ægro coaceſcat.*

§. IX.

Poſtqvam igitur *Cardin. Pallavicini* rationes compertæ ſunt debiliores, qvam ut iis tantum eccleſiæ Romanæ *Arcanum* inniti poſſit, haud vanò ſuſpicari licet, altius qvid eſſe, qvod Sacerdotes ad *Linguam latinam* in *ſacris* tam anxiè retinendam impellat, Illud verò nihil aliud eſſe, quam ut Sacerdotum opes, potentia, & auctoritas immenſum gliſcat, quæ ſola eſt Sacræ hujus Reipubl. *Ratio Status*, facile ſibi perſuadebit, qvi *Religionis Romanæ* indolem aliquanto profundiùs inſpexerit. Vide *Severin. de Monzamb.* præcelſi ingenii virum, qui *cap.* 8. *de ſtat. Imp. Germ.* §. 8. arguto ſtylo has Sacerdotum artes perſequitur. Hi namque, ubi primum in ipſo Laicorum Imperio novum ſibi dominatum moliti ſunt, hamos quoque ut jacerent, oportuit, quibus Laicorum, qui ſolâ duntaxat *cleri* ditati, defenſique gloriâ contenti eſſe debent, opes, ac potentiam ad ſe pertraherent. Huic autem conſilio opportuna videbatur *Lingua latina*, quam iſtorum temporum infelix conditio offerebat. Cùm enim cernerent, nec *Sacra* in aris, nec *profana* in Aulis, curiisque principum negotia abs *latino Idiomate* confici poſſe, telam ita exordiri placuit, ut objectâ latinæ hujus linguæ difficultate ab ejus ſtudio abſterrerent laicos, ſuoque tantum ordini illam ſolerter illigarent. Quâ arte

arte id tandem perfecerunt, ut ſua in manu ſeponerentur arcana *Regum* conſilia, & *clericorum* arbitrio Publica, privataque *Laicorum* negotia conficerentur. Ex quo deinde ſucceſſu temporis tantas in opes, tamque formidabilem in potentiam ſuccrevit ſacer hic ordo, cujus validam adhuc vim, alibi etiam ſua mole callapſæ rudera orbis admiratur. Rudes autem laicorum animos *lingua hujus latina* vinculis, *Religionisque* terrore qvamvis in partem circumagi potuiſſe, facile intelliget is, qvi, qvos pariat in hominum animis affectus *Ignorantia*, aliquantò altiùs expenderit. Ubi enim hæc *Sacrorum* inſcitia ſimplicem, trepidumqve animum obſidet, hæret ille primum attonitus, præſertim ſi *caerimoniarum, rituumqve* multitudine obruatur; ſtupor deinde, atqve admiratio reverentiam parit, ſacrumque horrorem concitat, quo in Spem, metumque, prout Sacrorum Miniſtro allibuerit, tam anxia mens haud difficulter impellitur: unde promptum obſequium, & immenſæ opes, quibus triſtis, ac durus Myſta placetur, â quo Salutis, mortisque arbitrium expectatur adeo ſeverum, validumque, ut ne *Deo* qvidem, illi intercedere, relictum ſit. Et hanc ob cauſam quoque crediderim in *confeßione Abſolutionem* linguâ latinâ confici. Cum enim *in cunctis confeßionibus* (verba ſunt *Pallavic. lib. 9. cap. 6. n. 4.*) *nihil ſit Sacerdoti facilius, quam dum abſolvit voce ſubmiſſa, voculam Sacramento neceſſariam omittere, adeoqve Sacram illam actionem irritam reddere, ut proinde homines innumeri Deum ſibi conciliatum arbitrati, ſub Dæmonis jugo perſiſtant*, quid hoc in periculo aliud trepidans reus, qvam ut oblatis muneribus obliviosi Sacerdotis memoriam provocet, ne, ubi hic in vacuas clientis manus avidos oculos detorſerit, retineat jam labentia verba, malitque *Dæmoni* immolare illam victimam, quæ nulla adipe diſtentos artus ad *Sacerdotis* aram attulerit. Nam quod *Pallav. lib. 12. cap. 14. n. 5.* aſſerit, *majorem Abſolutioni ſolennitatem deberi, Majeſtatem ac formæ præſtantiam, atque hinc etiam latinè illam pronuntiari*, id facile ſper-

ſperno, cum præpoſterè hîc exigatur *Majeſtas*, ubi de *Animæ Solatio* agitur, aut, ſi intereſt, *Abſolutionem* in *Majeſtatem* intumeſcere, ab *Hiſpania* potius, aut *Germaniâ* ſermo accerſendus ſit. Interim nihil mihi unqvam viſum eſt atrocius, qvàm ab unius fœdisſimi ſæpe canis arbitrio, *Animæ*, qvam *Chriſtus* ſuo redemit ſanguine, ſalutem ita ſuſpendere, ut ex eo duntaxat, qvod Sacerdos voculas nonnullas aut obliviosſus omittat, aut ultro ſceleſtè retineat, Anima ſerio dolore peccata expians, ſub *Dæmonis* jugo æternùm perſiſtat. Hæc ergo lingua latina in aras intruſa *Ignorantiam* populo adtulit, qvâ ſolâ tot opes in *Clerum* derivatæ ſunt. Vide *Boccacium Giornat.* 4. *nov.* 2. qvi temporum ſuorum apprime gnarus callidas illas Monachorum artes ſolerter explicat. ℣. *liqvali conpanni larghi, & lunghi, & co viſi artificialmente pallidi, & con le uoce humili &c.* Interim non ingratos experti ſunt Sacerdotes laici, cum glorioſum deniqve *Idiotarum* nomen ab iis impetrârint. In *Germaniâ* noſtra, poſtqvam *Romana* lingua in Sacris, profanisqve loqvi cœpit, *Laicorum* potentia obmutuit. Ex qvo traductis ad infulas tot laicorum bonis, ac ditionibus, captavit etiam optatam tam calidè opportunitatem *Sanctisſimus pater*, qva in hunc *Germanorum* gregem tam fœcundo turgentem ùbere, pedum extenderet, & tam placidas oves adeò molli beatas vellere, qvas tenerrimè ſemper præ aliis adamâſſe viſus eſt, vigili curâ paſceret; credo, qvod petulcientes alibi hædos extimeſceret, qvi Suppoſitum ſollicitâ manu polubrum excuterent; *Germaniam* verò religioſâ patientiâ tondentis, ſecantis, & ad ſanguinem emulgentis manum, facile toleraturam ſperaret, aut qvod pigeret, *alibi* ſterili obſeqvio curam impendere, cum è *Germano* grege, in qvo triti uberis liberalitatem ſubmiſſis ex agro Romano *Indulgentiis* avarâ ſolertiâ provocabat, lac plenis etiam congiis ſeſe hauſturum confideret. Sed de his *Romani Paſtoris* artibus, & qvibus gradibus in *Germania*

Sacer-

Sacerdotum potentia ad tam immane faſtigium aſcenderit, per aliam occaſionem memorabo. Ad finem properanti ſatis eſt addidiſſe, tum demum *Superiori ſeculo* reſtitutam orbi R*eligionem*, & petulcam R*omani pontificis* claudicaſſe potentiam, cum *Lingua latina* hic nervus inciſus eſt. Ubi *Eliſabetha* hanc linguam excîdit in *Anglia*, R*omana* obmuteſcebat auctoritas, ut ne vox qvidem ſuperfuerit, qvæ tam *carum S. Petrì denarium* expoſceret. Pari qvoqve ruina collabebatur in G*ermania Papalis Majeſtas*, ubi *latina lingua* è *Sacris* ſubmota eſt; manebat tamen, cùm in ſubitis mutationibus etiam noxia uno impetu reſecari non poſſint, aliqvis huic linguæ in *Sacris* honor, uti ex *Confeſſ. Auguſti* ſatis conſtat, qvem tamen morem poſtea ſenſim omitti, ob communem *Proteſtantium* utilitatem intererat; crediderimqve, vel ex *hujus* neglectu forſan pervicaci, manſiſſe apud nonnullos amorem in *illos*, qvos odiſſe oportuit, & ſimul odium adverſus *alios*, qvorum tamen concordiam, ac Societatem eadem pericula expoſcebant. Digna eſt, qvæ omnium animis inhæreat ſententia *Pauli Servitæ* ſummæ prudentiæ viri, qvam *lib. 1. del. Concil. di Trento pag.* 50. ſapienter expromit: *nelle cauſe di* R*eligione ongi ſubdiviſione è potente arma in mano della contraria parte* vide etiam *Tacit. de M. G. cap.* 33. faxit Deus, ut omnium coaleſcant linguæ, animiqve, & Romana facile obmuteſcet.

(o)

Q. D. B. V.

DISSERTATIONUM SELECTARUM TERTIA

Ex

Historia Civili-Ecclesiasticâ

DE

TRANSLATIONE CONCILII TRIDENTINI,

Contra

CARDIN. SFORTIAM Pallavicinum.

PROOIMION.

I. *Servitus orbis sub jugo Aulæ Romanæ. Lutherus illam sustulit.*

II. *Vitia, & corruptiones Aulæ Romanæ. Probantur testimonio ipsius Adriani P. R. arguitur Pallavic.*

III. *Germania maximè fuit oppressa. Qvare centum gravamina proponit. Deluditur à Clemente VII. Refutatur Pallavicinus.*

IV. *Germania postulat Concilium. Timet curia Romana. Cur? Clemens VII. metuit sibi. Cur? Qvibus artibus Pontifex Concilium præpedierit.*

V. *Paulus III. callidè agit in Concilii negotio, Tridenti tandem coalescit Synodus. Paulus locum Concilii timet, neqve tamen potest mutare. Artes qvibus Pontifices in Concilio Tridentino usi sunt. Papa respuit reformationem morum. Deprimit auctoritatem Concilii. Omnia prius Romæ decernebantur. Soli Legati proponebant. Cogebant Italorum cœtus. Suffragia secundùm capita numerabantur, & qvare? Cur Monachis concessum jus suffragii? Cur Ingens Italorum multitudo ibi fuerit? Captantur suffragia promißis.*

VI. P*aulus tandem Synodum Bononiam transtulit.*

§. I.

GEmebat adhuc orbis ſub *Aulæ Romanæ* jugo, & contumax malum, qvod atroci morâ populorum exederat vires, ipſum penè doloris ſenſum ademerat, cùm per *Martinum Lutherum* ardentis ingenii virum ſubita ultio excepit has furias jam felici ſcelerum uſu nimiùm ſecuras, ne vel unqvam improbis artibus timor, vel ſpes abeſſet calamitoſæ libertati. Hæsêre primùm ſuſpenſis animis, & attonitæ rei novitate ſtupuêre gentes, ubi conſpexerunt hæc monſtra, qvibus verſatilem larvam *Martinus* audaci manu detraxerat, ſubiit deinde pudor, atqve indignatio non minùs *Italiæ* flagitiis, qvàm propriæ credulitati iraſcentium.

§. II. Nulla namqve erat Reipubl. pars, qvam non hæc ab *Urbe Româ* ſervitus oppreſſerat. Ibat per calcatos Principes Romanus Pontifex, & tergeminum diadema Regum coronas decuſſerat: jacebat exciſa Romanis artibus Epiſcoporum auctoritas, & horum jura unum in Tiberim derivata confluxerant: circumacta pudendo errore populorum ſimplicitas, & illuſum plebi per *bullatas* merces, qvas avaræ Italorum manus in patentes dolo provincias invexerant: nihil priſci moris, ſed cuncta in Romanam ambitionem conceſſerant. Non eſt mihi conſilium in hujus rei argumentum accire aut *famam*, cujus perſæpe incuſatur iniqvitas, aut hoſtes, qvi urgent omnia, attoluntqve non raro in pejus, ſed malo hæc ſinceris *Adriani VI. P.R.* qvi illâ tempeſtate

ſtate ſub *Carolo V.* rerum potiebatur, indiciis deprehendere. Hic enim, ut erat *Belgici* candoris adhuc retinens, qvi *Italico* fuco nondum deceſſerat, per ſubmiſſum in Germaniam Nuncium *Cheregatum* An. 1522. Norimbergæ in Principum cœtu faſſus eſt *Aulæ Romanæ* flagitia, elicuitqve magnitudo mali raram vocem, *irrepſiſſe aliqvot jam annos in eam ſedem vitia, abuſus in rebus ſacris, in legibus violationes, in cunctis deniqve perverſionem: à Summis pontificibus velut à capite morbū in omnes defluxiſſe &c.* uti *Soaue lib.1. del concil.p.26.* & *Pallav.lib.2.cap.7.n.6.* enarrant. Qvanqvam de *Pallavicino* id reticere non licet, qvod non modò *Adriani* velut artium Italicarum rudis illudat probitati, ſed & ingenuè fatentem acriùs admordeat, auſus qvoqve Pontifici verba præſcribere arte, ac dolo contexta, qvibus & *ſedis Romanæ* flagitia premere, & ſimplices Germanorum animos circumagere oportuiſſet *l. V. n.* 11. quo tamen ipſo omnem *Hiſtoriæ ſuæ*, qvam tam vaſto opere molitus eſt, fidem abſtulit, cùm *fruſtrà exſpectetur incorrupta rerum enarratio ab illo, qvi adeò callidum vitiis premendis Magiſtrum ipſi Pontifici ſeſe oſtentat.*

§. III. Et *Germania* præcipuè immiſſis ab *Româ* malis premebatur, qvippe qvæ non æſtimatis *Italorum* ingeniis, cùm illorum fidei ita crederet, ut ſibi credi par eſſe ex virtute ſentiebat, non aliter, qvàm ſua bonitate capi potuit, donec ſtrepente jam *Religionum* bello excitata cœpit & nominis ſui meminiſſe, & jam abeuntem libertatem revocare. Ex

 qvo

qvo publicis omnium votis *centum Gravamina*, qvibus ſeſe â *curiâ Romanâ* oppreſſam ingemuit, *Adriano* ſublevanda Romam Norimbergâ ê Comitiis An. 1522. Germania transmiſit: Et poterat ab *Adriani* integritate tanti mali medela exſpectari, niſi feſtinatus ejus obitus & ſpem *Germaniæ* & *Pontificis* conſilia deſtituiſſet. Etenim ſuffectus *Adriano Clemens VII.* callidi ingenii Princeps, tantùm abfuit, ut primas imperii curas ad Germanorum poſtulata inflexerit, ut potiùs certus Germaniam *Italicis* deluſam artibus circumagere, Legato Campegio id mandati dederit, ut *diſſimularet* (verbis loqvor *Pallavic. lib.*2. *cap.*10. *n.*9.10.) *hæc Principum nomine Romam perveniſſe, Pontificem privatim ea reſciviſſe, ſubderetqve poſtulata eſſe iniqva, importune &c.* Miſera enimverò *Germaniæ* conditio, cui & aperire vulnera, crimen erat, & præ medicâ manu, qvæ plagas demulceret, mordax, & acerba lingua obtrudebatur. Sed mihi conſilium non eſt, *Poſtulatorum Germaniæ* adversùs *Pallavic.* hîc tueri æqvitatem, cùm ex ipſo *Pallavic. lib.*6. *cap.*13. *n.*6. *lib.*7. *cap.*2. *n.*3.4. comperiam, *Cervinum, ac Montanum* ſubmiſſos ad *Concilium Tridentinum à Paulo III.* Legatos perplura ex his, ceu æqva, & qvæ negare fas non eſſet, Pontificis curæ acriùs commendâſſe.

§. IV. Germania ergò & feſſa tot malis, neqve ultra paſſura Italorum ludibria, ad id conſilii adjecit animum, qvod in extremis his caſibus capi conſueverat, *Religionis, Sacrorumqve* ſimul diſſidia, qvæ acrius urgebant, compoſiturum; *Concilium* loqvor, in

qvo

qvo & liberè aperiret vulnera, & ſimul medelam expoſceret. Non alia unqvam vox *Curiam Romanam* altiùs exterruit, trepidam qvippe, ne ex eo *Epiſcoporum*, ceu ſtellarum parùm ſibi beneficarum concurſu fœda aliqva procella ſuo capiti portenderetur. Ex qvo, cùm ad terrendos Pontifices, coërcendamqve Romanam licentiam hæc via crederetur inventa, ad conſuetas ſibi artes hæc *Aula* recurrit, qvibus, & Germanorum eluderet conſilia, & vim Imperii retineret, haud ignara, *nihil eſſe tam validum, cui non ſit periculum à multitudine, ſi in cœtus coire permittatur. Marian. lib.* 30. *Hiſp. cap.* 3. Et *Clementis* qvidem animum hæc de *Concilio* fama penetrabat altiùs, cùm & ſibi velut ſpurio, & pravis artibus in Petri cathedram intruſo metueret & Pontificiæ ſimul auctoritati, qvæ *Epiſcoporum* jura abſorpſerat, uti ipſe *Pius IV.* fatetur apud *Pallavic. lib.* 14. *cap.* 14. *n.* 5. commoveratqve omnium voces ad repetendum id in *Concilio*, qvod *Aula Romana* ſe redditturam protervius pernegabat. Pontificem ergò, cum ingens illa tanti diſcriminis oberraret imago, arcanis primùm conſiliis intentum, qvibus populorum vota eluderet, ſpes ac terror multiplici cogitatione ſuſpendit; Viſum deinde eſt, ſummos Europæ Principes *Carolum V.* Imperatorem & *Franciſcum I.* Galliarum Regem bellis implicare, ut armorum curæ non profuturas de *Concilio* cogitationes facilè ſuffocarent. Sub hæc, ubi ab armis qvies, ad *Concilii* curas reduxit animum Carolus, ſed Pontificem nondum ſimulatio, callidæqve artes deſeruerant, qvi ut

Cæſa-

Cæſarem ſimul moraretur, & novis ſemper argumentis ſpem aleret, ſuam *Concilium* non probantis mentem *Carolo* primùm expoſuit apud *Pallav. lib.2. cap.5. n.2.* 5.6.7.8.9. callidè tamen adjecit, ex *Cæſaris* arbitrio ſe moderaturum conſilia, ſed auſus hanc in rem illas obtrudere conditiones, qvæ & *anxii* formidinem & *Synodum* licet coalitam diſſoluturi prodebant animum, neqve etiam ob iniqvitatem vel ſperari poterant, qvidqvid *Pallav. lib.2. cap.5. à n.* 11. afferat. Nec minus *loci electio*, ubi coalitura eſſet hæc *Synodus*, diverſis Principum ſententiis objecta eſt, non alio ſanè conſilio, qvàm ut enata ſemper obſtacula & injicerent moram conſiliis, & *Concilii* ſpem tandem everterent, uti *Pius IV.* referente hæc *Pallav. lib.14. cap.14. n.4.* Legato *Venato* incautus aperuit. *Ità deluſa populorum ſpes, qvam Clemens ſimulationum ſemper retinens tumulo ſecum intulit.*

§. V. Interim à *Clementis* obitu *Paulus III.* novis artibus hoc de *Concilio* negotium implicuit, palam qvidem in *Caroli* ſententiam concedere viſus, ſed in abdito callidâ manu diſſuere id, qvod ſub omnium oculis contexuerat. Et in tam anxia *Pontificis* ſolicitudine nihil inerat præter ſpeciem, qvâ & *famam* aleret & *Caroli* per ludicram hanc ſcenam obturbaret conſilia, qvibus *Religionum* diſcordias in ipſis Germaniæ Comitiis compoſiturus ferebatur. Tandem tamen hæc *Concilii* navis, qvæ tanto parabatur molimine, *Tridenti* ſubſtitit, *Paulo* tamen præter modum anxio, ne qvid *hoc ex lacu*, cui imperitabat *Cæſar*, detrimenti *Pontificia Majeſtas* caperet.

Pru-

Prudentiæ autem erat, hunc metum premere, donec mutata rerum, temporumqve conditio nova Pontifici de *Synodi* hujus *loco* consilia tutiùs suggereret. Interim cum *Synodum* in *Italiam*, qvod acrius exoptabat, ex *Cæsaris* metu pertrahere *Paulus* non posset, in mediorum inventionem exacuit prudentiam, qvibus & *Concilium* Romano subjiceret arbitrio, & imminentem suæ Aulæ ex hoc lacu procellam dispelleret. Qvæ cum postea plures per annos *Tridenti* invaluisse comperta sint, haud pigebit ex *Pallavicino* contra ipsum *Pallavic.* ea brevibus (per aliam opportunitatem id fusè agetur) explicare, ut pateat, *qvis spiritus hunc cœtum moderatus sit.*

1. Cum ob inductam rebus omnibus corruptionem gravis esset *Aulæ Romanæ* fama, metueretqve *Pontifex*, ne *Patres* in *Concilio*, & suis intenti commodis, & populorum, Principumqve votis illecti *reformandis moribus*, velut *Aulæ Romanæ Arcano* avidas injicerent manus, *Paulus* disertè mandavit Legatis, *de reformandis moribus nec ante dogmata, nec simul cum ipsis agendum esse*, ut refert *Pallavic. lib.5.cap.16.n.2.* Cum verò in *Patrum* cœtu obsisterent suffragia, eliderentqve Pontificis mentem, acriter increpiti sunt à *Paulo* legati, jussiqve *non habitâ Decreti ratione à prioribus mandatis non desistere*, *Pallavic. lib. 6. cap. 7. num. 12.*

2. Deprimenda erat *Concilii* auctoritas, qvam *Paulus* regnandi callidus æquè, atqve avidus verebatur. Hinc præscriptum Legatis, *præfigendum esse literis, cæterisqve commentariis Concilii nomine conscriben-*

ſcribendis, *non Synodi*, *ſed Legatorum*, *ac Pontificis nomen*, *Pallav. lib.*5. *cap.*16.*n.*2. *neqve Indulgentias Concilii nomine concedendas*, *Pallav. ibid.* Miniſtri qvoqve non ab ipſo Concilio, ſed Romæ delecti à Pontifice, & hi qvidem in tempore uſui erant futuri, qvippe beneficio empti. *Pallav. lib.*6.*cap.*1.*n.*2.3. *&c.* Cumqve hanc ob cauſam grave oboriretur patrum murmur, permiſſa in ſpeciem ejus, qvi *Synodo* â ſecretis eſſet, (qvanqvam jam illum deſtinârat) electio, ut hîc deluſi, illîc contempti vileſcerent. V. *Pallavic. num.* 6.

3. Ut ex *Pontificis* nutu, atqve arbitrio hæc *Synodi* machina verſaretur, nihil conficiebatur in *Concilio*, qvod non prius ab *Urbe Româ*, ubi hunc in finem *arcanus qvoqve cœtus*, ad qvem cuncta referrentur, à *Pontifice* coactus erat, eſſet præſcriptum. *Pallavic. lib.*20. *cap.*13.14. Hicqve erat *Romanus* ille *Spiritus*, qvi *Patres* afflabat. Atqve ut arcana, ſæpius etiam erumpentia *Patrum* conſilia ſuffocaret Pontifex, ſoli Legati in *Concilio*, cœtibusqve proponendi præripiebant arbitrium, *Pallav. lib.*21. *cap.*5.*n.*7. qvi *privatos* qvoqve *Italorum* cogebant cœtus, *Pallav. lib.* 22. *cap.*3. *n.* 6. ut adornatus ibidem ſpiritus *Transmontanorum* conſilia facilius perrumperet.

4. Suffragia non ex *nationum*, ſed *capitum* numero computabantur, ut *Italorum* agmina *Transmontanis*, qvorum perpauci convenerant, *Pontifex* opponeret, *Pallav. lib.*6. *cap.*4. *n.*9. 10. *lib.* 20. *cap.* 13. *n.* 7. 8. *cap.* 15. *num.* 6.

5. *Monachorum* qvoqve ordines, qvippe ad deprimendam

mendam *Episcoporum* auctoritatem ex arcana dominandi arte à Pontifice semper exercitos in *jura suffragii* Paulus adoptavit; ut essent, qvi ex *Curiæ Romanæ* nutu *Episcoporum* voces compescerent, *Pallavic. lib 6. cap. 2. n. 3.*

6. Submissa *Tridentum* ingens ex *Italiâ* Episcoporum multitudo, qvi velut *Helenâ* hoc in Concilio triumphârunt; Et qvanqvam comperiam *Pallav. lib. 5. cap. 7. n. 8.* aliosqve hanc *Pontificis* artem abnuere, id tamen non moror, cùm P*allavicinum* ex P*allavic.* facilè confutem. *V. lib.* 15. *cap.* 12. *num.* 4. 16. *cap.* 3. *n.* 5. *cap.* 9. *n.* 8. 18. *cap.* 16. *n.* 4. 5. 21. *cap.* 4. *n.* 6. 22. *cap.* 3. *n.* 5. 23. *cap.* 2. *n.* 3. 17. *cap.* 13. *n.* 3.

7. *Episcoporum* suffragia pecuniâ, promissisqve captabantur. P*allav. lib.* 15. *cap.* 11. *n.* 5. 18. *cap.* 7. *num.* 9. 22. *cap.* 3. *num.* 5.

§. VI. Hæc referre allubuit, plura additurum præfixa meta continuit. Sed P*aulus III.* simul anxius retinendæ potentiæ, simul *Tridento*, ubi alius imperabat *Neptunus*, mirum qvantum diffisus præceps tandem consilium iniit, quò *Synodum* è *Tridentina Urbe*, loco & *Germanis* vicino, & *Cæsarem* adorante in *Italiam* transferret, transtulitqve dein *Bononiam An.* 1547. ubi diu sopita *Tridentum* deniqve P*auli* obitu remeavit. Qvæ res cùm & tum magnos animorum motus excitârit, & nunc P*allavicini* calamum adversùs P*auli Servitæ* sapientiam acuerit, haud erit abs re, in hæc *Translationis* consilia altiùs inqvirere, *qvibus id peractum artibus, ignarône hujus consilii* P*ontifice, an conscio, ut* demum

 pa-

pateat, *frustrà cœlo inscribi hujus actiones Concilii, in qvo dolus, ac callidæ artes triumphârunt.*

CAP. I.

De causis, quæ Paulum ad tam præceps de Translatione consilium impulerunt.

SUMMARIA.

I. *Causæ Translationis Concilii Tridentini. Prima ex vicinitate Germaniæ, & Imperio domûs Austriacæ. Secunda ex metu electionis novi Pontificis in Concilio futuræ.*

II. *Tertia ex rixis inter duos Episcopos. Et inter Madruccium, & Montanum.*

III. *Qvarta ex factionibus Theologorum. Qvinta ex qvæstione de Residentia Episcoporum motâ. Sexta ex postulatis Episcop. Septima ab Hispanis & Potentia Caroli V. Remedium contra hos metus ex Translatione quæsitum.*

§. I.

TRidenti ægrè consederat An. 1545. *Synodi* imago, Patrumqve cœtus, cùm jam *Paulus* excludendo huic de *Translatione* consilio incubabat. Acres autem causæ perfodiebant Pontificis animum, qvæ sub ipsa *Concilii* initia prodebant anxium, & per non expectatos rerum eventus indies magis exterritum pervicaciùs irritabant. *Videbatur ipsi Concilium* (ita *Pallav. lib. 5. cap. 14. n. 6.* inqvit) *coactum in Austriacâ ditione, ac Germaniæ aditu, nimiùm patere violentiæ seu illius præpotentis dominationis, seu illius tumultuantis Nationis*: Unde Romam aliamve sui Imperii urbem præoptabat *Paulus*, in qvâ ipse supremus re-

rum

rum arbiter dubias, ausurasqve obloqvi *Patrum* voces sævis artibus comprimeret. *In eandem qvoqve sententiam* (pergit *Pallav.*) *accedebant Legati, qvibus videbatur, se degere tanqvam specie præsides, sed reverà subditos, cùm semper, si non jure, certè re ipsâ alteri subsit, qvisqvis in alienâ ditione commoratur.* Arcanus qvoqve metus *Paulum* & è Legatis *Cervinum* obsederat, uti *Pallav. lib.* 8. *cap.* 15. *n.* 2. aperit, ne *Concilium in alterius Domini ditione situm, & faventibus negotio fortasse profanis Principibus,* novi post *Pauli* obitum Pontificis electionem invaderet, arceretqve ab ambitiosis hisce curis purpuratos *Romana in Aulâ* Patres, qvorum manu aliâs vacuam in sedem novus evehitur.

§. II.

Ad hæc duo evenêre in *Concilii* æstu, qvæ altiùs insederunt Pontificis animo. An. 1546. 17. Jun. acrius, qvàm par erat, Episcopum *Cavensem* inter, & *Chironensem* jurgium exarserat, & effusus in ultionem *Cavensis Chironensi* barbam excavabat, deforme spectaculum, qvod & cæteros *Patres*, & *Paulum* magnâ sollicitudine opplevit. V. *Pallav. lib.* 8. *cap* 6. *n.* 1. Sub hæc 30. Jul. acerbius prælium *Madruccius Tridentinus Præsul* cum *Montano* Legatorum Principe subiit, ingestis etiam utrinqve probris accensum, *Pallav. cap.* 7. *àn.* 9. ex qvo spretam in *Legato* suam dignitatem indignatus Pontifex, simulqve graviora veritus transferendæ illum in locum *Synodi* maturâsse consilia visus est, *in qvo nec dominantium liceret tolerare aculeos, nec ab aliorum arbitrio negotia suspendere,* uti *Pallav. lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 3. *cap.* 10. *n.* 1. enarrat.

§. III.

Sed ex *Paulo Servitâ*, qvi *lib.* 2, *del. concil. Tr. ruminando il Papa gli avisi* &c. secretos *Pauli* & ex *Concilio*, & temporum conditione metus solerter aperit, alias qvoqve causas lubet adjicere, qvæ ipsi *Pallavicino* silentium indixerunt. *Paulus* itaqve revocabat ad animum Theologorum ibidem factiones, præsertim, qvas *Dominicanos* inter, ac *Franciscanos* vetus

 æmu-

æmulatio in publico illo theatro accendebat, metuebatqve, ne hæc gravissimis in rebus dissidia, sæpiùs licet sopita, in pejus erumperent. Nec minùs obturbabat Pontificem inducta in disceptationem qvæstio *de Residentia Episcoporum, An sit de jure divino?* per qvam *Arcana Imperii* petebantur, cùm cerneret *Paulus*, in nihilum deniqve redactum iri *Pontificatus Romani* Majestatem, ubi, ut peroptabant plurimi, *Episcoporum Residentia* in *fidei articulum* abiisset. Præsulum qvoqve postulata exterrebant, qvippe ad deprimendam *Pontificis*, & evehendam *Episcoporum* auctoritatem directa. Gravis adhæc suspicio oboriebatur *Pauli* animo ob *Hispanos*, magni animi, firmiqve consilii nationem, simulqve ob crescentem indies *Cæsaris* potentiam, dubiùmqve ejus in *Pontificem* animum, ne domitâ Germaniâ *Italiæ* prensaret arbitrium, Papalemqve per coactos *Tridenti* Patres auctoritatem accideret. Vide ipsum *Pallavic. lib. 8. cap. 5. n. 5.* Et qvanqvam Galliæ Regem *Franciscum* sibi adversùs *Caroli V.* consilia destinaret in subsidium, prævisus tamen ejus obitus, qvem morbi ultimus impetus jam denunciabat, *Pauli* mentem evertebat. Nec dubium erat, *Episcopos* per illam rerum, temporumqve opportunitatem, simul concitatos à *Cæsare* ad ambitionem illuc annisuros, ut invisam, nec ullis unqvam obicibus satis coërcitam *Pontificatus* auctoritatem infringerent, & suam acriùs firmarent. Hos metus ut sibi demeret *Paulus*, qvippe à solo *Concilii* loco exortos, id remedii in extremis hisce casibus duntaxat superesse comperit, ut aliò transferret *Concilium*, suoqve unius arbitrio *Episcoporum* voluntatem, ac suffragia subjiceret, ne hæc multitudo citra Pontificis metum alibi ferociens, damnum *Aulæ Romanæ* pareret nunqvam moriturum.

CAP.

CAP. II.

De modo & artibus, qvibus hæc Translatio peracta fuit.

SUMMARIA.

I. *Paulus III. contrà metũ suum non ex concilii fine remedium qvæsivit. Neq; ex suspensione, sed ex translatione. Idem studet personam suam abscondere, & in Legatos transferre. Hujus instituti causa.*

II. *Paulus misit Nobilem cum arcanis mandatis ad Legatos de Translatione. Legati parẽt.*

III. *Causam ex morbo qværunt. Qvibus artibus?*

IV. *Proponunt rem in consessu. Cæsareani sese opponunt, sed frustra. Decernitur translatio Bononiam.*

V. *Num Translatio illa fuerit legitima? Qvid obiici poßit? Prætextus morbi fuit vanus.*

§. I.

Hic ergo metus *Pauli* animum diversis curis suspendebat; à *Concilii* fine remedia optari qvidem poterant, sed non sperari, cùm rerum, qvæ tractandæ supererant, multitudo hæc consilia facilè præciderit: Neqve ad *Suspensionem* decurri poterat, cum nec causa cerneretur, qvæ illam exigeret, nec, licèt subesset, duratura crederetur. Optimum itaqve visum est, illum in locum transferre *Concilium*, in qvo & dominaretur *Pontifex*, & periculis, malisqve, quæ timebantur, posset occurrere. Interim, licèt ab initio *Paulus* & palàm, & occultis artibus tentârit *Cæsaris* animum, variaqve ejus menti ingesserit, uti ex ipso *Pallav. lib. 5. cap. 15. n. 2. cap. 14. n. 9. lib. 8. cap. 8. n. 10.* patet, postqvam tamen *Carolum* adeò obfirmatum comperit, ut etiam in minas adversus *Translationis* auctores exarserit, *Pallav. lib. 8. cap. 8. n. 4. 5. cap. 10. n. 4.* occultiorem placuit inire viam, qvâ simul *Concilii Translationem* adornaret, conficeretqve, simul movendis hâc super re litibus se ipsum subduceret. In omnes itaqve partes animum ver-

verſanti opus ita ordiri placuit, ut ipſe per altam diſſimulationem hac ex ſcenâ abeuntis indueret ſpeciem, protraheretqve in theatrum ſolos Legatos *Cervinum*, & *Montanum*, qvi velut non accito in ſocietatem conſilii Pontifice perficerent ipſi hanc *Translationem*, & tam invidioſis conſiliis ultimam manum imponerent. Et hunc qvidem in finem callidæ illæ artes à Pontifice ſuſceptæ ſunt, ut, ſi qvâ forte injectâ lite impeteretur *Translatio*, ſolis Legatis hæc cura incumberet, ipſe verò velut partium medius cauſæ hujus arbitrium ſibi depoſceret, perqve inviſas ambages, & contumacem moram adverſantium conſilia fruſtraretur, qvam *Pauli* mentem eventus qvoq; aperuit, dum poſt auditam in ſenatu *Mendozæ* Cæſarei Oratoris conteſtationem cauſam illam integram ad ſe avocavit, uti *Pallav. lib.* 10. *cap.* 13. *n.* 10. 11. memorat. Vide etiam *lib.* 10. *cap.* 8. *num.* 3. 5.

§. II.

Paulus ergò (ex *Servitâ lib.* 2. *p.* 267. 273. lubet hæc perſeqvi) ſubmiſit *Tridentum* cum literis, qvæ fidem dictis facerent, Nobilem qvendam *Montani* familiarem, juſſitqve, anteqvam *Seßio* haberetur, deliteſcere, poſteà verò confeſtim Legatis injungere, ut qvâcunqve obtentâ ſpecie *Synodum* illicò *Bononiam* transferrent, ne captata ab aliis mora Carolum Cæſarem ad obnitendum compelleret. V. *Pallav. lib.* 9. *cap.* 14. *n.* 4. Hærebat *Cervinus* ſubitis hiſce mandatis, qvæ nullo Pontificis firmabantur codicillo, non parum confuſus; ſed Legatorum alter Montanus comprobato Pauli conſilio *Cervinum* cohortatus eſt, ut unà ſecum rem naviter exeqveretur. Hancqve ob cauſam, haud dubium eſt, qvin ab ipſo *Pallav. lib. II. cap.* 6. *n.* 6. Montanus *Translationis auctor* appellari promeritus ſit & Epiſcopatu *Papienſi* â Cæſareis exui.

§. III.

Fortè autem illâ tempeſtate An. 1547. ſub veris initium complures è *Præſulum* familiâ *Tridenti* morbus inceſſerat, ſeu propinqvorum è *Bacchanalium* crapulâ, ſeu pluvio ex aëre,

qvi

qvi corpora jam diu insederat, laxaveratqve, contractus. Avidè *Montanus* hanc opportunitatem captabat, qvâ sibi utendum ratus subornare primùm nonnullos, qvi morbi ingenium, ac pericula â Medicis exqvirerent, & hi, *ut captant plerumqve ab anxiis largiùs effluentes tremulâ è manu nummos*, dubio luis, nescio cujus, metu sollicitos exterrebant; tum per idoneos, & secreti ejus socios crebescit, serpere pestem, ac luem *Tridenti*, *occultis primùm sermonibus, mox vago rumore apud imperitissimi cujusqve promptas aures, aut rursum apud turbidos, eòqve nova cupientes.* Tac. An. 2. Et fortè per eos dies obierat Episcopus, cujus funus sub totius *Concilii* oculis qvæsitô exeqviarum cultu elatum novo argumento luis famam adaugere visum est. Adhæc *Montani* artibus effectum, ut funera obscuro diei, neqve propalam efferrentur, surgerentqve concubiâ nocte tumuli, qvi ipsâ rei novitate posteà terrore, ac metu anxios percellerent. Sed *Montanus* his sermonibus per altam dissimulationem immotus & sollicitudinem, & consilia premebat, *fixum tamen ipsi, non omittere caput rerum, Tacit. An.* 1. perqve hanc *Tridentinæ luis* famam *Concilium* enecare. Vulgatur interim, tolli à vicinis commercia: credebatur *Tridenti*, pluresqve è *Patribus* in fugam abstulit, haud obnitente *Montano*, ut inde etiam *Translationi* causam obtenderet, qvanqvam alios conscientiæ suæ magis innexos, qvorum suffragia jam prælibârat, sollicitè retineret.

§. IV.

Compertâ itaqve *Patrum* consternatione, *Montanus ad d.* 9. *Mart.* in consessu hunc ex lue metum retulit, exqvisiitque *Patrum* sententias, verba tamen ità callidè attemperans, ut & suum de *Translatione* consilium haud obscurè commendaret, & simul ab eorum arbitrio hujus mali remedia suspenderet, qvod eo consilio factum liqvet, ut destinatam sibi, ac *Cervino* velut Legatis ex *Translatione* invidiam in omnes transferret. V. *Pallav. lib.* 9. *cap.* 13. *n.* 6. Acriùs deinde *d. II. Mart.* accitis in unum *Patribus* institêre *Montanus* ac *Cervinus*, magnoqve

ani-

animorum æſtu res transacta eſt, *Pallav.cap.*14. Non omisêre qvidem Card. *Pacecus*, cæteriqve, qvi *Carolum* Cæſarem adorabant, qvævis experiri, ut hanc procellam diſpellerent, *Pallav. cap.* 13.14.15. Sed *Italorum* multitudine demum *d. II. Mart.* res confecta eſt, & plurium ſuffragiis *Bononiam* translatio decreta. Ita demum hæc Synodus, qvæ tanta *Caroli V.* ſollicitudine *Tridentum* advecta fuerat, *Pauli III.* aſtu, ſubdolisqve conſiliis *Bononiæ* ſcopulo alliſa eſt, ubi, ut eventus aperuit, vix infames ex naufragio tabulas potuit colligere: Ita natus ille ex *Bacchi orgiis* morbus *Italicos* Patres œſtro perculit, qvibus continuatô furore *Bononiam* effuſis thyrſum *Montanus* prætulit.

§. V.

Non eſt autem mihi hîc conſilium, explicare illos animorum motus, qvos cunctis præceps illa *Translatio* ingeſſit, aut enarrare conſilia, qvibus *Carolus Paulo reductionem* extorqvere anniſus eſt, aut etiam expendere, *num Translatio illa legitima fuerit?* magna namqve occurrunt 1. *An Synodus absqve ſpeciali Pontificis mandato, cujus ſententia paucos intra dies exqviri poterat* (id autem mandati ſe habere pernegabant Legati) *alium in locum transferri potuerit?* 2. *An id fieri potuerit absqve Caroli Cæſaris conſenſu?* 3. *An ex Provinciâ in Provinciam translatio ſuſcipi potuerit.* 4. *An Italorum vota prævalere debuerint, an verò Nationum ratio haberi*, qvod ipſum *Maſen. qvoqve*, licèt *Jeſuita*, *lib.*7. *Hiſt. p.* 114. ſapienter exagitat 5. *An cognitio de morbi contagio à Legatis, Severolo qvippe à* Paulo *in id muneris, qvòd velut Concilii* Promotor *obibat, intruſo & beneficii hujus nimiùm memori rectè commendari potuerit, an verò ex Epiſcopis delecti, prout* Pacecus *efflagitabat, hanc in curam aſſumi debuerint? V.* Pallav. *lib.*9.*cap.*14.*n.*4. Sed *Montanus* callidè reputabat, *vera viſu & morâ, falſa feſtinatione & incertis valeſcere. Tacit. An.* 2. 6. *An teſtes legitimè examinati, qvales, & qvinam illi fuerint, an non affirmârint, qvod ipſi ignorabant, qvodqve ipsâ rei evidentiâ falſi convincebatur?* Id unum miror, auſos fuiſſe Legatos tam vanam huic

Trans-

Translationi causam obtendere, cùm nec lues ibi grassata sit, & *periculum* ex conficta illâ contagione *innocentem habuerit exitum*, uti ipse *Pallav. lib.9.cap.19.n.1.* commemorat. Qvanqvam ipse etiam *Cervinus* in contentionis æstu *sibi temperare non potuerit, qvin adderet, alias qvoqve rationes suppetere, qvæ translationem suaderent, Pallav. lib.9. cap.14.n.3.* V. etiam *cap. 17. n.6. Procul abest à tali cœtu Spiritus S. regimen, in qvo tam callidæ artes triumphant:*

CAP. III.

De Qvæstione, An insciô Pontifice hæc translatio à Legatis peracta sit.

SUMMARIA.

I. *Literæ Pauli III. quibus translationem Concilii injussu suô, seseqve ne qvidem consciô factam ait, convincuntur mendacii.*

II. *Probatur, auctore Paulô III. translationem susceptam esse. Defenditur Servita contra Pallavicinum.*

III. *Contra Pallavicinum ex ipsô Pallavicino decem Argumenta proponuntur.*

§. I.

ILlud autem mihi cum curâ nunc expendendum est. *An insciô Pontifice hæc Concilii translatio à Legatis suscepta sit?* qvò pateat, sincerane pietas, an callidæ *Italorum* artes hoc in conventu triumphârint. Qva in re cùm videam Cardin. *Pallavicinum lib.9. Conc. Trid. cap.13. à n. 3.* magno animi æstu in *Paulum Servitam* Reip. Venetæ Theologum procurrere, & afflicta veritas, & læsa tanti viri dignitas, temeratumqve acerbis vocibus *Venetum* nomen ultionem provocat. Neqve me deterrent *Pauli* ad *Carolum* Cæsarem, atqve ad *Ecclesiasticos* in Germania hâc super re perscriptæ literæ, in qvibus *injussu suô, & si liberet credere, ne se qvidem consciô translationem esse suceptam* denunciat. *Pallav. lib.9. cap.18. n.3. l.19. n.3. lib. 10.*

cap.10. n.2. cùm illas & mendaciis & fraude oppletas comperiam. Memorat Pontifex, *se ægrè tulisse non absolutam Tridenti Synodum, lib.9 cap.18.n.2.* enorme mendacium, uti ex ipso P*allav. lib.5. cap.14.n.6.* patet. Addit, *se expertum esse, hanc Synodum Tridenti adeò fructuosè progredi.* Sed & hoc P*aulus* ipse jam aliàs abnuit. V. *Pallavicin. lib.7.cap.3.n.3.lib.8.cap.15. n.5.lib.9 cap.3.num.4.* & alibi.

§. II.

Assero itaqve cum *Servitâ lib.2. del Conc. in fine p.m. 276. Paulum III, non modò fuisse hujus translationis conscium, sed etiam Auctorem. Pallavic.* qvidem *lib.9. cap.13.n.3. Servitam* admordet, qvasi omni probatione destitutum; sed & hìc enorme crimen est, cùm allatas à *Servitâ* ℣. *essendo certo, che nissuna cosa per minima &c.* rationes callidè reticeat, qvarum vim ex ipso *Pallavicino* firmatam dabo. Et *primò* qvidem certum est, ne vel minimum qvid hoc in *Concilio*, non habitô priùs eâ super re ab *urbe Româ* mandatô à *Legatis* pertractatum esse, eumqve in finem singulis hebdomadibus expeditas per certos cursores literas, imò & intra biduum. *Pallav. lib.7. cap.2.n.10.* ex qvo sanè credi non potest, *translationem*, tanti momenti negotium, qvam antèa ipsi Legati in *schisma* erupturam *Paulo* denunciârant, *Pallav.lib.8. cap.15. n.7.* Legatorum duntaxat arbitriô confectam esse, qvi fulminantem adversùs se *Caroli* Cæsaris iram jam anteà inaudierant, & semper extimuerant, *Pallav.lib.8. cap.8. n.5.7.* Neqve omittendum hìc est, Legatos jam 5. *Mart.* Romam scripsisse, petiissentqve, qvid sibi, nisi is morbus cessaret, agendum esset, P*allav. lib.9.cap.13.n.3.* Vergit autem in Principis contemptum exqvirere ab ipso mandata, iis tamen non expectatis plenum periculi negotium exseqvi, qvi, cùm de Legatis hisce præsumi non possit, nemo de acceptis eâ super re mandatis addubitabit. Nunqvam ergo in hanc audaciam prorupissent Legati, nisi Pontificis mandata eos compulissent. *Secundò.* Qvis credet, ausuros fuisse Legatos *Bononiam*, qvæ *Bentivolorum*, qvos

qvos *Julius II.* expulerat, memoriam nondum deposuerat, & acrem Pontifici curam injiciebat, inducere tantam hominum multitudinem, in nova pro libertate consilia valituram, nisi *Pauli* voluntas eam *Synodi* sedem destinâsset? Vel ipse *Pallavic. lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 1. *in fine* huic argumento fidem facit. Qvid? qvòd postea hanc qvoqve ob causam urbs illa qvingentorum militum præsidiô â Pontifice communita sit, uti *Pallav. lib.* 10. *cap.* 14. *n.* 1. commemorat. Manet ergo illibata Pauli Servitæ sapientia.

§. III.

Interim, ne qvid dubii animum adhuc vellicet, ex ipso *Pallavicino* hanc in rem argumenta colligam, qvæ prudentum exposita oculis & *Paulum* fuisse conscium, & per callidas artes *translationem* molitum esse, aperient. Per subnexam seriem illa dispescam. 1. *Paulus III.* nunqvam ex animo voluit, ut Concilium Tridenti coalesceret, qvod testatur *Carolus V.* apud *Pallav. lib.* 9. *cap.* 19. *n.* 3. Imò ipse *Paulus*, *lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 6. ità dicit, *Consilium de translatione sibi diù fixum in animo, pariterqve in animo clausum, tantisper, dum spes non affulgeret illius aperiendi simul ac perficiendi citra litem & cum laude*, qvo ænigmate eorum, qvæ posteà peracta sunt, ideam non dubiè complexus est. V. etiam *Pallav. lib.* 10. *cap.* 3. *n.* 11. 2. Ut ergo telam, qvam animô jam adornârat, exordiretur, in omnes occasiones, qvibus *translationem* etiam à Cæsare extorqveret, solertiam impulit, *Pallav. lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 9. *lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 3. *cap.* 10. *n.* 2. *cap.* 15. *n.* 4. 5. 3. Sub initium anxiè captabat Cæsaris consensum, jubebatqve *Verallum Nuncium sagaciter odorari, qvônam animô Carolus translationem sibi propositam acciperet. Pallav. lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 9. V. etiam *lib.* 8. *cap.* 5. *n.* 3. *cap.* 8. *n* 3. *cap.* 10. *n.* 2. Sed *Carolus* acerrimè obnisus est, *lib* 8 *cap.* 8. *n.* 4. 5. *cap.* 10. *n.* 4. neqve Pontifex tum rem perfecit, cùm vereretur, *ne Cæsar vel ad concordiam cum Lutheranis, vel ad peculiarem nationis Synodum impelleretur. Pallav. lib.* 8. *cap.* 10. *n.* 2. verba sunt. 4. Legati, & præcipuè qvidem *Cervinus*,

vinus, nihil omittebant, qvô *Pauli* animum ad *translationem* inflecterent, *Pallav.lib.8.cap.5.num.2.3.5. cap.10.n.5 cap.8. n.3.* & alibi. Sed Pontifex ob metum Cæsaris aut abnuebat, *lib.8. cap.5.num.3.* aut dubiis responsis Legatos implicabat. V. ll. ex qvo licet colligere, Legatos toties à *Paulo* repulsam passos tanti momenti negotium, qvod Cæsarem cum Pontifice acerrimè collideret, propriô arbitriô postèa non confecturos fuisse. 5. Legati verbis, factisqve apertè fatebantur, sibi absqve disertis hâc super re *Pauli* mandatis *transferendi Concilii auctoritatem* non competere, tum, qvia Oratori Cæsareo responderunt, *se in Pontificis prudentiâ Synodi translationem collocare. lib.8. cap.15. n.14.* tum etiam, *qvia inhærebant proposito transferendæ Synodi, sed, ubi Pontifex, uti optabant, in eo persisteret. lib.8.cap.8. n.6.* ergo ab unius *Pauli* nutu, ac voluntate *translationem* suspendebant, V. etiam *num.7.* ubi refertur, Legatos ob negatum, dilatumve *translationis* mandatum *à Paulo mißionem petiisse, ut constaret, non nisi per translationem consuli posse Concilio, ne dissolveretur.* 6. Generali qvidem diplomate sub *Concilii* initia Legatis *à Paulo* concessa erat *transferendæ*, si opus esset, *Synodi* auctoritas, qvam etiam, ut glaucoma objicerent patrum oculis, in translationis conficiendæ æstu protulere, *Pallav.lib.9.cap.15.num.10.* sed huic jam ante inniti nec volebant, neqve unqvam poterant, cùm Pontificem ad certa hâc super re mandata semper exstimulârint, qvi anxiè qvidem ea, certæ tamen conditioni innexa submisit, *Pallav.lib.8.cap.8. n.3. cap.10. n 2.* Sed illico revocavit, *cap.10. n.2.* ubi autem Princeps recenti mandatô, qvòd vetus aboleat, Ministri voluntatem, atq; obseqvium illiget, ad ultimam hanc cynosuram nisi consilia dirigat Minister, Spretor Domini & Prævaricator inaudiet. Qvid? qvod *Paulus* disertè scripserit, ut *nihil novi molirentur*, sed Pontifici ultimum consilii impetum relinqverent, *Pallav. lib.8. cap.10. n.2.* Qvid ergo adhuc addubitamus, *Pauli* nutu, atqve arbitriô hanc rem confectam esse. 7. Pontifex, postqvam obfirmatum Cæsaris ani-

animum comperit, futurorum anxius prævisor consilia ita callidè moderatus est, ut *translatio* qvasi *ex Patrum voluntate* duntaxat suscepta videri posset. Qvod ut pertexeret, Patres primò haud obscurè ad Translationem cohortatus est, *Pallav. lib.* 8. *cap.* 10. *n.* 3. & hi qvidem postèa denunciârunt Pontifici, *malle se suis sedibus deturbari, qvàm diutiùs Tridenti subsistere, Pallav. lib.* 8. *cap.* 10. *n.* 5. In hisce autem enarrandis *Pallavic.* callidè agit, dum *Patrum* in Concilio nomen his literis inscribit, cùm tamen ex eodem *lib.* 8. *cap.* 15. *n.* 11. constet, *Italos* duntaxat fuisse, qvi emtis Legatorum solertiâ precibus Papam fatigârint. Et hi qvidem subornabant Episcopos, ut *Concilium* solveretur, *apud Pallav. lib.* 8. *cap.* 5. *n.* 2. *cap.* 15 *n.* 1. 2. nec *Paulus* iræ æstu abreptus reticere potuit, *nihil, nisi suo jussu actum à Cervino lib.* 8. *cap* 10. *n.* 1. 8. Adhæc, ut ex *Patrum* sensu sua temperaret consilia, scripsit ad Legatos *Paulus*, ut *certiùs Patrum* (Italicorum) *voluntatem explorarent, qvò integrum esset Pontifici, in tempore rem exseqvi, Pallav. lib.* 8. *cap.* 10. *n.* 2. Item monet Legatos, *cùm Episcopis ità præstò essent, ut indies liceret capi consilium Synodi aliò deportandæ, n.* 5. Nec minùs Papa *volebat translationis auctor esse, sed ad eam à majori suffragiorum numero Concilium trahi, & exqvisiverat jam pridem à Legatis, qvidnam ipsi de suffragiis præsagirent, cap.* 15. *n.* 5. & hi respondent, *plurimorum capitum suffragia translationi fautura, n.* 6. rescribit Pontifex, ut *progrederentur ad res agitatas absolvendas, sessionemqve celebrarent, qvâ habitâ Concilium transferretur, n.* 9. I nunc & *Paulum* peractæ translationis conscium, auctoremqve pernega. 9. Inter Legatos, & Papam jam multò antè de *Loco*, in qvem *Synodus* abscederet, actum est, *Pallav. lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 1. qvæ sanè, Pontificis nutu *Bononiam* delectam, comprobant. 10. Legati, cùm hæc Pontificis Consilia intelligerent, simul omnium odia, atqve invidiam suum in caput hoc astu à *Paulo* derivanda metuerent, scripsêre Pontifici, *aptiora jam tempora effluxisse, anteà tempore belli visum fuisse, qvasi Papa ex neceßitate ad communem sententiam pertraheretur,*

at

at nunc rei actorem visum iri, addunt, *sibi dilapsis his opportunis conditionibus haud tutum videri, qvin translatio in schisma erumptura esset.* Pallav.*lib.8.cap.15.n.7.* an ergo credi poterit, Legatos adeò anxios, posteà adeò levi de causâ *translationem*, tantâ Cæsaris irâ impetitam, periculorum, malorumqve fontem schismatis originem confecturos fuisse, nisi P*auli* voluntas plenum illud invidiâ onus illorum humeris imposuisset. Ità Pallav. retexit, aperuitqve ipse, qvod tàm callidè operuit, & falsitas lubricis, incertisqve deprehensa vestigiis se ipsam implicuit.

CAP. IV.

Confutatio rationum Pallavicini, qvas contrà Servitam molitur.

SUMMARIA.

I. *Objectionum Pallavicini prima cum ejusdem confutatione.*

II. *Secunda & tertia, cum utriusqve confutatione.*

III. *Qvarta, & ad eandem responsio.*

IV. *Qvinta & sexta cum ejusdem refutatione.*

V. *Septima & octava, & ad utramqve responsio.*

VI. *Nona & decima cum utriusqve confutatione.*

VII. *Paulus III. ob metum Cæsaris conatur Bavariæ Ducem contra Carolum concitare. Spiritus Concilii Tridentini depingitur.*

§. I.

CArd. P*allavic.* ut P*aulum* gravi illâ famâ liberet, multa contra *Servitam* objectat, qvorum examen & veritatis tuendæ amor, & in Servitam studium à me hîc exigit. 1. *Qvidnam*, inqvit, *suspicionis inter Pontificem, duosqve Legatos sibi addictissimos irrepsisset, ob qvam arcanum illud celare illos vellet, concreditum eôdem tempore cuidam privato?* ℟. Non tàm suspicio, qvàm futurorum metus ad id consilii adegit

Pau-

Paulum. Ubi enim Princeps molitur consilium, cujus fructum qvidem expetit, sed famam qvasi à se profecti ob dubios rerum eventus, dedecorisqve metum reformidat, hujus curam in Ministrum callidè transfert per arcana mandata non libellis, non codicillis illigata, ne, ubi hic in se postèa fabam cudi advertat, vulgatis Domini literis suo à capite periculum arceat. Vide *Tac. An.* 1. *cap.* 6. *An.* 3. *cap.* 16. qvam tragœdiam cum *Antonio Perez* hoc super argumento inierit *Philippus*, ipse suis in *Relationibus* explicat. Vide *p.* 10. ℣. *qve por no descargarse con los villettes &c.* Interim subit admiratio, velle *Pallavic.* tam levi conatu ex hominum animis hanc de *Paulo* suspicionem evellere, cùm ipse in eodem *Translationis* negotio *Cervinum* ad Pontificem perscribentem referat, *multa paginæ concredenda non esse, multa calamô exprimi non posse, lib.* 9. *cap.* 17. *num.* 7. qvod autem *Pallav.* etiam alterum è Legatis *Montanum Paulo addictissimum* collaudet, nescio, qvî conveniat cum iis, qvæ *lib.* 9. *cap.* 16. *n.* 2. scribit, *soli Cervino fuisse concreditum de translatione diploma, cui Paulus maximè fidebat, & Montanum hoc planè ignorâsse.* Profectò *Pallavic.* nimium evellendo etiam suspiciones inserit.

§. II.

Pergit. *Paulus Cervinum, & suam pariter in eo auctoritatem non exposuisset tanto discrimini, demandatâ ipsi curâ, ut qvasi auctoritate propriâ Cæsarem offenderet.* ℟. Uti fidelis Ministri est, si qvæ ex negotiis timentur odia, ea in se transferre, objectuq; sui Principem tegere ab invidiâ, ità & *Paulus* id obseqvii à *Cervino* arcanorum socio sibi promittebat, qvi, nisi à Pontifice ad id adactus, ultimam manum propriâ auctoritate non applicuisset huic consilio, cujus primi impetus *Caroli* minas in *Cervinum* ità contorserant, ut trepidus à Pontifice *Legationis dimissionem* postulârit. *Pallav. lib.* 8. *cap.* 15. *n.* 2. Isqve timor adeò altè insidebat *Cervino*, ut unà cum *Montano translationis invidiam*, qvò eam à se submoverent, in *Patres* rejecerit, *Pallav. lib.* 8. *cap.* 12. *n.* 6. *lib.* 9. *cap.* 17. *n.* 7. cùm odium, qvod plerumq;

in

in ſingulos deſtinatur, non ſumi, certè exerceri non ſoleat contra univerſos, eòqve in commune minùs flagrent ſenatores. Et hinc qvoqve illa tempeſtas exorta eſt, qvam, cognitis hiſce *Pauli* mandatis, *Cervini* animum inundâſſe, jam ſupra *cap.* 2. retuli. Se ipſum ergo *Pallav.* his armis enecat. Sed urget ampliùs. *Qvid ageret Oeniponti Aulicus Montani?* ℞. Qvod *Pallavicini* ſodales in Angliâ, ne Cæſareorum qvoq; ſuſpicionem aleret, *qvaſi hic eſſet turbidus ille Eurus, qvi emiſſus ex Æoli Romani antro Synodi navim Tridentô Bononiam disjeciſſet.*

§. III.

Inſtat. *Legati ſcripſerunt Romam.* 5. *Mart. exortum eſſe morbum, petieruntqve à Pontifice, qvid ſibi, niſi is ceſſaret, faciendum eſſet, ergò mandatum à Pontifice nondum acceperant, qvod tamen Servita affirmat?* ℞. Aut in *ſpeciem* id peragebant, aut in *ſpem ſecuritatis*, cùm cernerent, eadẽ ſibi imminere pericula, ſive haud cunctanter parerent, ſive differrent obſeqvium, adeòqve anxii, num morbi ſerpentis initia validam *Translationis* ſibi præſcriptæ cauſam præbere poſſent, ſcripſere Pontifici, qvò ſimul ejus mentem per literas elicerent, aut, niſi mandata revocaret, primis, qvæ etiam non reſpondendo comprobabantur, ſolerter inſiſterent. Excipit Pallav. *potius omninò illos celanda fuiſſet hæc Epiſtola.* Sed qvos? certè conſtit, *Patres* harum literarum fuiſſe ignaros, niſi forte *Itali*, aut ſolus *Maſſarellus*, & hic qvidem è *Montani* familia, & arcanorum conſcius, hanc aliis notitiam præripuerit. Interim *Pallavicino* gratias debeo, qvòd ferrum in ſe ſtringat, dum inqvit, *juſtiùs obtendi potuiſſe, admonitô jam Pontifice, non licere Legatis Patribusqve decernere, niſi Pontificis reſponſum brevi reddendum opperirentur.* V. qvæ ſupra *cap.* 3. § 2. hanc in rem jam dicta ſunt.

§. IV.

Ingerit & hoc *Pallav. Cervinus ſcribit ad Farnes. qvid Deus de hac Synodo ſtatuerit, ex literis cognoſces, de qvo nihil aliud affirmo, niſi merum Dei opus, planèqve miraculum id fuiſſe.* Scripſerit? qvid inde? *hac ſcribendi formula cum Pontificio mandato non conve-*

conveniret. Cur non? *Cervinus* non in ipſa *translatione* invenit miraculum,ſed in *occaſione*, qvòd ea *Pauli* mandata incidiſſent in illam opportunitatem, qvæ ex morbi ſerpentis famâ captabatur. Qvid enim in hoc miraculi, qvod ex addictis pontifici *Italorum* ſuffragiis *translatio* extorta ſit. Ipſe *Cervinus* apud *Pallav. lib.* 9. *cap.* 17. *n.* 6. arcanum aperit, dum *Paulo* ſcribit, *& ſe optâſſe, ut translationis occaſio in tempus opportunius incidiſſet*, ergo morbus nō *cauſa*, ſed *prætextus* fuit. Pergit *Card. ex arcanis literis, qvibus Legati de hoc decreto Pontifici rationem reddunt, clarè liqvet. Paulum hujus rei conſcium non fuiſſe.* Id perſuadeat iis *Pallav.* qvi *Tac. An.* 1. *cap.* 6. non inſpexerint. *Saluſtius particeps ſecretorum, metuens, ne reus ſubderetur, juxta periculoſo ficta ſeu vera promeret, monuit Liviam, ne Tiberius vim principatûs reſolveret &c.* *Paulo* tamen aurem *Cervinus* vellicat, dum apud *Pallav. lib.* 9. *cap.* 17. *n.* 7. ſcribit, *multa paginæ concredenda non eſſe, multa calamô exprimi non poſſe*: Legat hanc Epiſtolam, qvi volet, & vel ex ipsâ *Pauli* conſcientiam arguet.

§. V.

Nondum finis. *Paulus non conceſſiſſet Montano vacationem à Legatione, ſi ſeſſio celebrata eſſet.* Sed qvare? *qvia Montanus ſe difficilorem geſſiſſet in ſua legatione abſolvenda per ejus exitum iram Potentiſſimi Cæſaris ſibi conciliaturus.* Imò faciliorem: hoc enim ſuæ *legationis* epilogô *Pauli* gratiam promereri voluit, præſertim, cùm fidelis Miniſtri ſit, ut, uti dubio in negotio aut exteri, aut proprii principis metuitur ira, hujus indignationem, qvippe à qvo ſperatur defenſio, promtô obſeqviô declinet, illius verò iram deprecetur, præſertim, cùm compertum ſit, *Proditores etiam iis, qvos anteponunt, inviſos eſſe, Tac. An.* 1. *cap.* 58. Sed *Pallav.* ſe ipſum confutat. Si enim *Montanus Pauli* etiam mandatis adactus difficiliorem hâc in re ſe geſſiſſet, an credi poterit, *Montanum* ultrò, ac ſponte id facturum fuiſſe? Miniſtri Principum ita temperant conſilia, ut, ubi Principis mandata non urgent, non facilè ultrò, ac ſponte aliorum principū odia, atqve iram in ſe concitent. Sed *Carolus Cæſar de arcanis hiſce mandatis nihil ſcivit.* Qvid tum? *ſciviſſet is melius, qvam Servita?*

 Nihil

Nihil minùs. Poſtera tempora plerumqve aperiunt, qvod antea hominum calliditas operuit, præſertim, ubi metus evaneſcit: neqve crediderim, *Carolo V.* hæc certiùs potuiſſe eſſe explorata An. 1547. qvô tempore *Pauli* aſtutia *ſuô ſe centrô* continebat, qvàm *Paulo Servitæ* An. 1616. qvando hæc calliditas in *peripheriam* ſeſe prodiderat. Qvanqvam & *Carolus* ſciverit, *inſciô Pontifice hanc rem peractam non eſſe*, vide *Pallav. lib.* 9. *cap.* 19. *n.* 3. 4. ubi etiam *Carolus* dicit, *Pontifex eſt ſenex pervicax, & vult Eccleſiam perdere.* Interim ipſe *Pallav.* fateri debet, *Carolo* fuiſſe hæc minùs explorata, qvàm *Servitæ*; *Carolus* enim *in Cervinum* conjecit culpam, *Servita* in Montanum, cui ipſe *Pallav. lib. II. cap.* 6. *n.* 6. vel invitus conſentit.

§. VI.

Sed ultimus nunc impetus ſuccedit. *Num Legati hac Pontificis mandata incerto urnæ arbitrio commiſiſſent, nullâ priùs per ſuorum conſiliorum impulſum patefactâ in ſe propenſione ad alterutrã partem, ſeu per ſuarum ſententiarum pondus.* Enormis falſitas, qvomodo *incerta* dici poterit illa urna, cui jam multò ante Legati ſuis artib⁹ *Italorum fabas* indiderant, de qvorum ſuffragiis jam certi erant, uti ipſe *Pallav. lib.* 8. *cap.* 15. *n* 6. commemorat. Et falſum qvoq; eſt, qvod ſuam mentem non explicuerint, anteqvam ab *Hiſpanis* interrogati eſſent, vel ipſe *Pallav. lib.* 8. *cap.* 13. *n.* 6. *cap.* 14. *n.* 1. 3. id non reticet; ipſorum autem ſuffragia multò poſt ab *Hiſpanis* rogata ſunt, *cap.* 15. *n.* 10. Pergit. *Si Legati habuiſſent diſerta Pontificis mandata, Patrum arbitrio, qvi diſſentire poterant, rem non commiſiſſent. Pallavicinus* ſui parùm memor eſt, qvi alibi ipſe refert, Legatos, licèt *expreſſa* à Pontifice mandata haberent, *Patrum* tamen deliberationi rem propoſuiſſe. V. *lib.* 5. *cap.* 16. *n.* 2. ubi refert, *inter mandata Legatis data fuiſſe, de reformandis moribus, nec ante dogmata, neqve ſimul cum illis agendum, & tamen Patrum ſuffragiis hanc rem commiſerunt*, unde acriter etiam à *Paulo* reprehenſi ſunt, *juſſiqve nullô habitô decreti reſpectu à prioribus mandatis non deſiſtere*, *Pallav. lib* 6. *cap.* 7. *n.* 12. Hæc erat *Tridentina libertas.* Ad hæc ſcribit idem *Pallav. lib.* 8. *cap.* 16. *n.* 8. ipſos Legatos hoc Pontifici ſuggeſiſſe

gessisse consilium, *ut per diploma Concilium suspendat, quod non exprement prius, qvam certi essent, plerosqve Patrum consensuros.* Hæ erant artes Romanæ, ut, *cujus negotii metuebatur invidia, id Pontifex Patrum curæ relinqveret, reliqva sibi deposceret, ab eorumqve cura arceret Episcopos, ut vim imperii retineret. Tacit. An.3.cap.60.*

§. VII.

Inanis ergo *Pallavicini* labor compertus est, qvem in Pontifice à validis hisce suspicionibus eximendo tantô aestu absumsit. Qvô ipsô, qvantum *Historiæ* suæ, qvam tam grandi opere molitus est de *Concilio Tridentino*, detraxit fidei, tantum *Servitæ*, qvi parem nec habuit, nec habiturus est, sapientiam extulit. Interim *Paulo* non erat satis, omnē notitiæ de *translato Concilo* speciem per summam dissimulationem artemqve à se amoliri, *Pallav. lib.9. cap.17. n. 4.* nisi etiam, ut se adversùs *Caroli* iram muniret, *Bavariæ* Ducem contra Cæsarem concitaret, *Pallav. lib.10. cap.16. n.3. dignus* enimvero *Pater, qvi filios mutuis odiis, rixisqve implicaret.* Sed ad finem properanti venia dabitur, si brevi ductû depingam illum *Spiritum*, (aliàs id justô opere perficiam) qvi *Concilio Tridentino* moderator adstitit. Subit animum & pudor, & indignatio, dum apud *Pallav. lib.10. cap.10. n.2. Paulum* comperio ad *Ecclesiasticos* in Germaniâ scribentem, *Concilium eò se transtulisse, qvò Spiritûs S. afflatus vocabat.* Qvasi verò hic *Spiritus* ab *Hispanis, Germanisq;* procul abactus ad *Italos* duntaxat, velut dilectam sibi gentem convolârit; frustrà in id evocatur *Cœli* voluntas, qvod *dolosis artibus* confectum est; jam pridem compertum est, *Tridentinum* illum *Spiritum Romanâ* in officina conflatum esse, qvi non nisi in *bulgâ, bullaqve* speratus *Tridenti* spirare potuit. Sapienter dicit *Servita lib.3. p 285. Lo spirito solito à muouer li legati conforme alla mente del papa, & li vesconi à quella de legati, operò come altre volte fatto haueua. frustrà ergo hunc velut Deorum Cœtum adorant Romani, & impudenter exigunt à Protestantibus reverentiam adversùs hæc decreta, velut a Diis suo in cœtu præscripta, cùm Romanus Jupiter suô è vaticano ea Tridentum submiserit.*

Q. D. B. V.

DISSERTATIONUM SELECTARUM QVARTA

DE

SPIRITU BULLARI ET BULGARI CONCILII TRIDENTINI,

Q. D. B. V.

PROOIMION.

EX qvo ad componendos motus, qvos Curiæ Romanæ ambitio excitârat, atqve avaritia, Caroli Cæsaris operâ ſynodus Tridenti conſedit, & poſt dubium, difficilemqve partum, qvi octodecim annorum morâ hominum expectationem per diverſas obſtetricum artes fatigabat, amplam decretorum molem effudit, non eodem animi ſenſu ab omnibus hic partus exceptus eſt. Alii enim, qvibus Majeſtas Romana curæ eſt, velut ſacrum Spiritus Sancti germen, & enatam è Jovis cerebro palladem adorârunt. Sprevêre alii velut excluſum Vaticano in nido pullum, & frigidô conatu incubanti ſynodo callidè ſuppoſitum, qvò ſub alienæ matris nomine incautos ſimplicium oculos falleret: Nec defuêre, qvi velut noſtrorum Iliadem temporum, civilis Imperii peſtem

pestem, & obvolutum anguibus Medusæ caput detestati sunt. Et hanc qvidem suspicionem jam multò ante, qvàm iste patrum conventus Tridenti coaluit, præcurrenti in futura animô præceperant ii, qvibus Curiæ Romanæ mores commercium interdixerant, (Protestantium *accepere nomen*)' *magnasqve ex eo causas evulgârunt, cur Tridentini Concilii legibus sese submittere nec vellent, nec possent. Metum namqve & præteritorum recordatio, & imago præsentium injecerat*, ne spiritus ille, *qvem suis præesse Conciliis Roma jactitat*, è Vaticano Tridentum in manticâ deferretur, *& unius Curiæ Papalis arbitriô libratis Patrum consiliis publica etiam auctoritas Romanam peccandi licentiam firmaret. Qvæ partium studia, dum solicitâ mente expendo, subit animum noscendi cupido, qvis Tridentinos patres afflârit* spiritus, *fueritne in* Bulgâ & Bullâ *ab urbe Româ submissus, qvibus ministris res in Concilio transactæ, qvæ judicandi observata conditio, qvi judices, pedaneine, & velut utricales tibiæ, qvæ, nisi inflâris, flaccidô silentiô obmutescunt, callidisne artibus oppressæ patrum voces, ne in libertatem erumperent, an verò integrâ sanctitate tanta moles constiterit, propriôqve motu librata sit? qvâ in re velut partium medius, & inqvirenti propior nihil amori, nihil odio concedam, qvæ veritatis examen semper deterunt, ut integrè dijudicari possit, qvam reverentiam à mortalibus Concilii Tridentini decreta jure exigant.*

DIS-

DISSERTATIONIS SUMMARIA.

I. *Concil. Tridentinum sub qvibus Pontificibus fuerit. Curia Romana triumphavit in hoc Concilio. An Spir. S. in eo præsens illud rexerit? qvomodo ad facti hujus notitiam perveniendum?*

II. *Afferuntur præsumtiones pro Curiâ Romanâ. 1. Ex Pontificum bullis. 2. Ex famâ publicâ. Expenduntur hæ præsumtiones.*

III *Afferuntur præsumtiones in contrarium. Tridenti vulgatum est, Spiritum S. in Mantica afferri Româ. Pontifex dubitavit, an synodus confirmanda esset. Curia Romana illudit legibus Tridentinis per dispensationes absqve causâ. Qvàm fœdè interpretetur legem in causis Matrimonialibus. An gratis dispenset? An rarò & ex causâ. Illudit Deo & hominibus.*

IV. *Qvales fuerint Ministri in Concilio? An in his Spiritus S. fuerit? Perfidia Secretarii ob interesse cum Cur. Rom. Qvinam debuerint esse Legati? Nō Transmontani sed Itali, An fuerint Theologiæ periti? Aulici magis exoptabantur. Legati debebant ex mente Pontificis omnes sententias mutare, qvas tamen ut veras antè judicabant. Nihil audebant proponere nisi à Curiâ præscriptum. Qvâ arte ad se pertraxerint munus proponendi? Qvæ ex eo commoda? Contraria sententia duorum Legatorum poterat omnium vota in Concilio evertere. Qvalis fuerit hic Spiritus Concilii? Curia Romana fuit primum mobile in Conc. Trid.*

V. *Qvales fuerint Patres in Concilio. Qvibus jus suffragii competierit? An solis Episcopis? Monachis qvoqve conceditur ob interesse Curiæ Rom. Qvæ sit origo juris suffragium ferendi in Conciliis. Curia Rom. in suam utilitatem hæc aptavit. Cur Episcoporum Procuratoribus non permiserint jus suffragii? Italorum multitudo in Conc. Trid. fuit Helena triumphans. Qvales fuerint pleriqve ex Italis illis? Transmontanos habuerunt*

ut

ut exteros. In Concilio fuit novum Concilium ex Italis conflatum. An Episcopi rudes poßint definire ex afflatu Spir. S. arduas qvæstiones Theologicas? An loqvantur velut Asina Bileami? Qvomodo alii excusent? Rejicitur id. An in Conc. Trid. fuerit definitio dogmatum carbonaria?

VI. *Metus Curiæ Rom. ex Transmontanis. Duplex factio in Concilio, Curialium & Transmontanorum. Qvomodo suam factionem firmârit Curia Rom. Italorum greges opponuntur Transmontanis. Monachi Episcopis, Opera Patrũ Soc. J. Laudatur Lainii ambitio aliis invisa. Legati dividunt Patres, ut imperent. Curia alebat proditores in negotiis Concilii, in Principum Aulis Canisius Jesuita prodit Cæsaris consilia, Hugonius Gallorum, Pacensis Hispanorum, Gualterius Card. Lotharingii.*

VII. *Legati sibi vendicabant jus proponendi. Qvam ob causam? In Conc. Trid. nihil propositum, ac decisum, qvod non prius Romæ expensum fuit. Cursores apportabant Spiritum S. ab urbe Româ. Cur in his ordo mutatus? Pallavicinus excusat hunc Spiritum. Item Pius IV. Excusatio repellitur, variis ex causis. Fuerunt viri in Concilio* Pontifice *sapientiores. An lumẽ externũ fuerit libere petitum? Qvinam id petierint? Repellitur excusatio ex dicto* Pauli *III.*

VIII. Patribus *injecta est opinio, qvasi non Romæ, sed Tridenti firmarentur Decreta.* Plures Patres *erant stipẽdiarii Curiæ Rom. Etiã Judæ fuerunt in Concilio,* Principes *etiam in suas partes allexit Curia. Italos præsertim.* Patres *Curiæ invisi variè exagitati sunt. Legati vota indebant suis auriculata.*

IX. *An* Patres *intellexerint sensum Decretorum? Qvid evenerit in qvæstione de certitudine gratiæ inter Catharinum & Sotum. Sciri non potest, cujusmodi fuerit Concilium Trident. An in illo Concil. Spiritus S. reperiri poßit?*

§. I.

COncilii Tridentini nomen tres Pontifices fatigavit, qvorum duo *Paulus III.* & *Julius III.* his curis pænè immortui Synodum aut morte, aut certè altô oppreſſam ſomnô reliqvêre, donec poſt *Marcellum II.* & *Paulum IV.* ſub *Pio IV.* vitæ reddita *An.* 1563. anxium finem præceps reperit. Etſi autem non diffitear, præcelſæ hoc in conventu callidicatis, an prudentiæ conſilia eminuiſſe, qvibus *Curia Romana* in tuendâ, qvam uſurpabat, auctoritate adversùs omnium ferè catholici etiam nominis Principum conatus triumphavit, adeò ut affirmare auſim, hujus Curiæ potentiam nunqvam altioribus fixam, firmatamqve radicibus, qvàm hoc in Concilio, ad cujus tamen nomen, velut unicum moderandæ, qvæ in immenſum excrevit, potentiæ remedium, ſemper inhorruerat, id tamen prudentiæ qvidem opinionem conciliabit, nunqvam autem *Spiritus Sancti* regimen huic cœtui ex eo affiget, niſi fortè etiam civiles in Imperio ſeculari, ut vocant, conventus hanc Spiritûs S. gratiam ſibi arrogent, qvòd partium altera utilitatem, nominisqve exiſtimationem alteri conetur præripere. In eo itaqve qvæſtionis cardo vertitur, *An Spiritus Sanctus Concilio Tridentino præſens ejus actiones afflatu ſuô gubernârit?* & qvia id *facti* eſt, ſimulqve diviſis eruditorum ſententiis diſtrahitur, prudentis eſt, & non amore non odiô veritatem indagantis, hic pedem figere, nec temerè prolabi ad ferendum judicium, niſi priùs ſolerti examine partium medius ipſa hujus ſynodi viſcera excuſſerit. Sicut autem in qvæſtionibus *facti* melior plerumqve conditio eſt dubitantis, negantis, & aſſenſum differentis, ità in Romanos, qvi factum affirmant, Synodumqve *Sacroſanctam* faciunt, probandi onus devolvitur, qvod hoc in negotio ſatis grave eſt, cùm certa ſigna nondum definita ſint, ê qvibus *Spiritum Sanctum* ſynodi patribus adſtitiſſe, probari poſſit.

§. II.

§. II.

Interim comperio, in Romanorum favorem ex Pontificum edictis, & in specie ex *Pauli III.* ad Germanorum Antistites epistola apud *Pallav.lib.*10.*cap.*10.*n.*2. & ex ipsâ deniqve famâ publicâ præsumtionem elici posse, qvæ *Spiritûs Sancti afflatu* omnia hoc in conventu peracta esse doceat. Nescio tamen, an hæc præsumtio satis valida sit, ut sanctitatis opinionem conciliare possit. Neqve enim hæc fama poterit hîc dici *Publica*, qvæ in *Protestantium* regnis obmutescit, & in paucis tantùm Catholici etiam nominis Imperiorum angulis liberè loqvitur, neqve, etsi communis foret, in aliter sentientium præjudicium trahi posset, cùm & famæ illi principium *Curia Romana* dederit, altera hâc in causâ litigantium pars, & publico etiam omnium hominum consensû sanctitatem, diviniqve spiritûs afflatum certus aliqvis cœtus conseqvi non possit. *Pontificum* autem testimonia fortè minora videntur, qvàm ut rem tantam conficiant, cùm dubium maneat, *qvantum fidei mereatur unius partis, & qvidem suspectæ assertio? unde Pontifices id sciverint? qvantum auctoritatis in qvæstionibus facti tribuendum sit* Pontificibus? Imò, *an ex animo ita senserint, scripserintqve?* qvod postremum in *Paulo III.* ad Germanos scribente, *Concilium eò se transtulisse, qvò Spiritus S. afflatus vocabat*, neqve *Carolus V.* neqve Hispani, Germaniqve Præsules comperiebant, neqve & ego ob rationes *in dissert. de Translat. Concil. Trid.* allatas mihi ullô modô persuadere possum.

§. III.

Ex adverso, si per præsumtiones agendum, vereor ne in alterius partis favorem aliqva eruantur, qvæ decantatum illum *Spiritûs Tridentini* afflatum apud non temerè credulos in suspicionem adducant. Etenim præter Hispanorum, Gallicorumqve Patrum de præreptâ synodo per violentas *Curiæ Romanæ* artes libertate qverelas, dictum sub *Pio IV.* per ora hominum in Concilio vulgatum est, *Spiritum Sanctum è Vaticano Tridentum in manticâ deferri*, scripsitqve *An.* 1562.

Romam *Lansacus* Gallicus Tridenti Legatus, *ne Pontifex Spiritum Sanctum in tabellarii manticâ mitteret*, qvæ opinio in viro Catholico, rerumqve Tridentinarum apprimè gnaro concepta facilè etiam in aliorum animis non adeò benignam de *Spiritu Tridentino* suspicionem alere poterit, præsertim, cùm eadem mens *Ferdinando* Cæsari sub ea qvoqve tempora insederit, qvi datis ad P*ium IV.* literis, habitisqve cum *Morono* Pontificis Legato sermonibus disertè expressit, *haberi Concilium non Tridenti, sed Romæ, nec ad Decreta* P*atrum operâ, sed tabellariorum deveniri.* Præter hæc illam de *Concilii auctoritate* comperio Romanam sententiam, *omnem Synodi Tridentinæ legem eatenùs vim legis obtinere, qvatenus à voluntate, & confirmatione* P*ontificis illam accipit*, simulqve video, post finem hujus Concilii Romæ in Vaticano addubitatum esse, *An Synodus Tridentina à* P*ontifice confirmanda esset, nec ne*, cùm leges aliqvas suetis Curiæ commodis in speciem adversas deprehenderent; qvæ sanè loqvendi, agendiqve ratio *Spiritum Tridentinum* planè extinguit, cùm capere non possim, *qvomodo Spiritus ille Concilio semper præsens dicatur, qvi primùm ex ore, calamoqve* P*ontificis per repetitas vices efflari debet, & velut volatilis in Alembico Vaticano figi, ac signari?* Vereor deniqve, ne *Spiritûs* illius existimatio adhuc magis decrescat in iis, qvi dispensationum Romanarum gnari latas in *Concilio* de moribus leges à *Curia* P*apali* prope ludibrio haberi intelligunt. Etenim ipsâ Synodô adhuc perdurante, & inspectante ejus legibus illusum est, etiam ab ipso P*io IV.* & ab hujus obitu ad nostra usqve tempora in *Congregatione Cardinalium super Concil. Trid. in Dataria*, aliisqve judiciis nihil aliud actum, qvàm ut per subtiles, callidasqve interpretationes legum vim eluderent, Patrumqve mentem perverterent. Et ausim affirmare, leges de *beneficiorum pluralitate, de commendis*, aliisqve, qvæ ad *materiam beneficiariam* pertinent, hactenus planè contemtas esse, neqve in ullo observatas, nisi fortè in misero qvodam, & pauperculo, cui defuit id, per qvod omnia in

Cu-

Curia Romana obtinentur. Illud neſcio, qvomodo à fœdâ malitiâ excuſari poſſit, qvòd legem à Synodo in *cauſis matrimonialibus latam* (*In contrahendis matrimoniis*, verba ſunt, *vel nulla omninò detur diſpenſatio, vel raro idqve ex cauſa & gratis concedatur*) jam à tempore *Pii V.*, qvô Patres vix è Concilio diſceſſerant, Romæ non conculcârint modò, ſed & adjectis ludibriis deriſerint, Etenim ità explicant, *gratis*, id eſt, *absqve lucro concedentis*, *cùm ad pios uſus hæc pecunia referatur*, & qvanqvam in *Datariâ* reliqvæ pecuniæ illa aliâs mixta fuerit, *Innocentius X.* tamen primus illam ſeparavit, & ad *Romanos Pietatis montes* retulit: *ex cauſa*, id eſt *ob pinguem mulctam oblatam, qvæ juſtam diſpenſandi cauſam præbet, cùm de cetero exprimendæ cauſæ neceſſitas in ſalutis æternæ detrimentum cedat*: *Raro*, id eſt, *qvoties lubet, qvia hominum cupiditas id exigit.* Interim Deo, hominibusqve ita illudi, nemo negabit, cui vel mica pietatis ſupereſt, & mirari qvis adhuc poterit, qvâ fronte hîc *lucrum concedentis* negent, cum *uſurarios illos impietatis montes* nemo non cernat, & *Pios* iſtos *uſus* adeò largis terminis definiant, ut nihil ferè Pontifici reſtet, qvod non *Pii uſûs* nomen accipiat.

§. IV.

Ab his ipſa hujus *ſynodi* viſcera inſpicienda jam ſunt, ut *Spiritus ille*, qvi *Concilii* regebat artus, deprehendi poſſit. De ſynodi miniſtris, *Secretario*, *Advocato*, *Promotore*, *Abbreviatore*, & qvæ alia nomina rebus ibi conficiendis opportuna videbantur, ſi qvis dixerit, eos ad *Curiæ Romanæ* nutum compoſitos fuiſſe nimiùmqve forſan meminiſſe loci, unde in hæc munera intruſi ſtipendia colligebant, veniam fortè, non anathema merebitur. De eo qvidem, qvi Concilio à ſecretis, gravis oborta ſuſpicio, qvæ in qverelas etiam prorupit, qvaſi nullius fidei homo, & verſipelle pecus calamum ex *Curiæ Romanæ* arbitrio libraret. Ex qvo enata conſilia, ut venalis calami, fideiqve homini ſocius daretur, qvi labentem alterius fidem retineret, qvod ſub initium qvidem *Curiæ* Legatis ſto-

machum movit, qvi tamen facilè resedit, cùm suo committi arbitrio audierunt, qvem alteri socium adjungerent. Hic autem in agendi ratione, an *Spiritus* S. reperiri possit, non tam audax sum, ut asseram. De *Legatis*, qvos velut *Synodi animam* ab urbe Româ mittebat Pontifex, unum qvandoqve, aut duos, imò & tres, qvatuorqve, prout utilitatis ratio exigebat, seqventia comperio. *Primò*, Nemo ex *Transmontanis*, sed *Itali* tantum & à *Curia Romanâ* unicè penduli *Legatorum* partes obire poterant, qvia incommodum videbatur, *Si primus præses, motorqve Concilii, alterius, qvam Italicæ nationis proprius esset.* Raræ namqve sapientiæ fuit, qvod *Simonetta Cardinalis Legatus* sub *Pio IV.* dixit: *Transmontanos omnes, præter qvatuor ex Hispanis, conspirâsse adversùs Dominum, & Christum ejus*, id est, *nolle in omnibus* Curiæ *Romanæ ambitionem, ac cupiditatem probare. Secundo.* Non Theologiæ, ac rerum divinarum, sed Juris Canonici, artiumqve aulicarum periti, maximè autem utilitatis Romanæ gnari, studiosiqve eligebantur, qvòd Theologiæ studium in Synodi Præside inanius haberetur, qvàm ut *Spiritûs Romani* motum seqvi posset. Neqve id amplius mirari jam licet, cùm de ipso *Papatu* etiam palàm edicant, non simplicis, ac Theologicæ virtutis homines, sed qvi rerum civilium curis exerciti mundanis artibus oppleverunt animum, *Petri Cathedræ* imponendos esse. *Tertio.* Pontificis Legati non audebant illam tueri sententiam, qvam tamen antea velut veram in conscientia approbârant, si Curiæ commodis adversa existimaretur, sed ad *Sedis Apostolicæ*, id est, *Curiæ Romanæ* utilitatem duntaxat intenti, etiam intellectui, ac voluntati suæ vim inferre cogebantur. *Qvarto.* Nihil poterant Legati unà cum Patribus decernere, imò nec proponere deliberandum, qvod non priùs Romæ speciali in cœtu, qvi hunc tantùm in finem constitutus erat, discussum, prævióqve judició decretum fuerat. Et in hac officina excoqvebatur *Spiritus ille*, qvi arcanis literarum notis, qvarum tamen clavem qvandoqve unus tantùm habebat è Legatis, cui

cui *Curia* magis fidebat, ad ſolos Concilii Præſides ſubmiſſus, ad Synodi Patres continuatô motu penetrabat. Ne qvis autem contrariis conſiliis cœtûs Romani decreta eluderet, & fortè Patribus, qvod è re *Curiæ* non foret, proponeret, placuit *Proponendi munus* ſolis Papæ legatis affigere, eumqve in finem *Seſſ.* 17. hæc verba, *& in eo ea debitô ſervatô ordine tractari, qvæ proponentibus Legatis, ac Præſidentibus apta videbuntur*, callidè inſerere, ut omnes præcipiti, & incautô aſſenſu ſe ipſos proponendi jure privarent, qvod magno qvoqve *Curiæ Romanæ* bono feliciter evenit, ceſſitqve in *Arcanum dominationis*, qvô Principum in Concilio poſtulata eluſa ſunt, adeò ut non mirer, *Pium IV. Vargæ* Hiſpan. Romæ Legato conqverenti, *Decretũ illud eſſe contra Synodi, Patrumqve libertatem, præſertim, cùm verba illa, Proponentibus Legatis, eſſent casûs ablativi*, acriter regeſſiſſe, *habere ſe aliud, qvod cogitaret, qvàm cujus generis, & cujus caſus.* Et *Mantuanus* qvoqve, ac *Seripandus* Legati ſub *Pio IV.* acriter incuſati ſunt, *qvaſi fautores eorum, qvi conſpirarent contra Sedem Apoſtolicam, qvòd permiſerint Controverſiam de Jure Reſidentiæ in diſputationem trahi.* Hic erat *Concilii ſpiritus*, qvi, ne erumperet, per vim detinebatur. *Qvinto.* Credebatur qvoqve Tridenti, non licere, ut in ſeſſione ſtabiliretur id, cui repugnabat ſententia duorum ex qvatuor Legatis, qvi Pontificis nomine ſub *Pio IV.* aderant. Neſcio autem, an non impudens *Imperii*, ſeu *dominationis Arcanum* id fuerit, cùm hâc viâ omnium etiam totius orbis Epiſcoporum ſuffragia in *Concilio* Roma potuerit eludere, qvaſi verò *Synodalis ille Spiritus* à reliqvis Concilii Patribus profugus, in *duorum* duntaxat *Legatorum* capita ſeſe abdiderit, & ad *Curiæ Romanæ* nutum jam ſe contraxerit, jam extenderit. Hæc de *Legatis* comperta placuit afferre, prudentumqve judicio permittere, *qvis Spiritus Legatos agitârit? Illene, qvi in Concilio credebatur eſſe, an is, qvi Romano in cœtu conflatus, in bulgâ Tridentum mittebatur.* Crediderim fortè, non defuturos, qvi *Curiam Romanam* fuiſſe *primum mobile*

exi-

existimant, qvod *motu raptos* Legatos, reliquosqve Synodi Patres circumegerit, cui Legatorum solertia *motum librationis* miscuerit.

§. V.

Qvod ceteros patres attinet, qvi *Concilii corpus* constituebant, plura fortè erunt, qvæ non levem suspicionem adversùs *Spiritum illum* concitare poterunt. *Primò* enim sub initium *Concilii* in qvæstionem trahebatur, *An solis Episcopis, an verò Abbatibus qvoqve, & Ordinum Monasticorum Generalibus jus suffragii concedendum esset?* & licèt Episcopi, qvi de cætero qvoq; ægrè ferebant, jura sua in Abbates Pontificum artibus transiisse, sibi solis judicandi potestatem arrogarent, *Imperii* tamen *Arcana* per hæc tentari existimavit *Curia Romana*, qvæ ad deprimendam Episcoporum auctoritatem Monasticos ordines velut *dominationis instrumentum* semper adhibuit: unde Legatis ab urbe Româ edictum, ut *Monasticam* illam causam, qvippe à qvâ contra Episcopos, *Curiæ* triumphus hoc in Concilio dependeret, acriter propugnarent. Et lepidum qvoqve est, qvòd *tribus* Abbatibus *unum* duntaxat votum concesserint, unde qvandoqve eveniebat, ut, si tres illi inter se dissentirent, votum illud ad *semisses*, & *scrupulos* expenderetur. Mihi autem vel ex hoc ipso dubium oritur, *an Patres illos Spiritus S. afflârit*, præsertim, si aliqvantò altiùs in *originem juris suffragium ferendi in* Concilio inqviratur. Nam, cum docente *Curiâ Romanâ* Spiritûs S. assistentia in synodo generali ex Christi promissione dependeat, certum qvoqve est, jus suffragii, aut qvibusvis fidelium absqve discrimine relictum esse, aut certo ordini alligatum, nempe Ecclesiastico, & hic, cùm in varios iterum ordines dispescatur, aut soli Episcopi, aut alii qvoqve sacerdotes, Monachorumqve Præsides jure divinô judicandi in Conciliis potestatem acceperunt; Si illud, ergo idem jus privilegiô humanô Abbatibus, aliisqve concedi non potuit; Sin hoc, ergo Abbates illi tres, non *unũ*, sed *tria* suffragia jure poterant prætendere, cùm potestas,

qvæ

qvæ ex jure divino habetur, non primùm hominis privilegiô acqviratur; qvale tamen *Curia Romana* hac in causa afferebat. Sed compertum est, hæc omnia, qvæ tam *personas* in synodo suffragium ferentes, qvàm ipsam judicandi ex *votorum qvoad capita numerationem* concernunt, à *Curia Romana* seqvioribus seculis ad propriam utilitatem adaptata esse. *Secundò:* In qvæstionem pariter toto penè Concilii durantis tempore adductum est, *an etiam Episcoporum, qvi legitimè abessent, procuratoribus jus suffragii concedendum?* & licèt *Paulus III.* sub initium speciali diplomate Germanis id concesserit, Legatis tamen è re *Curiæ* visum est, id occultare, neqve unqvam permittere, ut procuratores hanc potestatem obtinerent, cujus causam nec puduit ipsos exprimere, *ne Germanorum procuratores adeò inundarent, ut Italicæ nationi suffragiô antecellerent.* Nam, qvia ex *capitum pluralitate* demetiebantur vota, & indies novi ex *Italia* Episcopi in *Curiæ Romanæ* subsidium conducti advolabant, numerumqve *Transmontanorum* mirùm qvantùm superabant, periculosæ plenum aleæ videbatur opus, illam procuratoribus portam aperire, per qvam in *Curiæ* perniciem *Transmontani* prorupissent. An ergò & hic *Spiritum S.* qvis reperiat, dicat, qvicunqve poterit. *Tertiò.* Si *Curia Romana* vel leviter meminisse velit, qvem in finem tot *Italicorum* Præsulum phalanges Tridentum submiserit, vereor, ne tantus ille de *Spiritu Tridentino* fastus detumescat. Non enim id fiebat, ut sapientiâ, atqve ingeniô synodum firmarent, cùm id à plerisqve eorum, qvippe qvi erant Aulici, rerum Theologicarum planè rudes, barbatuli juvenes, & velut utres, musicum rusticorum instrumentum, qvos, ut vocem emittant, priùs inflare oportet, expectari non potuerit, sed ut in *Curiæ Romanæ* subsidium emti, conductiqve suffragiorum pro eâ numerum augerent. Hæc fuit illa *Helena*, qvæ hoc in Concilio triumphavit, qvæ *centum qvinqvaginta* & ampliùs ex *Italia* Prælatorum numerô ferox, *Transmontanos*, qvorum ægrè *septuaginta* erant, conculcavit, spre-

ſpretisqve etiam illuſit procaci dicteriô : *dalla Scabbia Spagnuola ſiamo caduti nel mal Franceſe*, *ex Hiſpanicâ ſcabie decidimus in morbum Gallicum*: qvæ reliqvas naticnes ſprevit velut exteras, neqve ad *Synodi arcana* admittendas, ex qvo factum eſt, ut ad privatos cœtûs, in qvibus de ſumma rerum tranſigebatur, *duo* qvandoqve Hiſpani, totidemqve Galli, ſed *viginti Itali* acciti ſint, & in ipſo Concilio *novum Concilum* ex *Italis* erectum ſit. Sed de hac *Concilii Helenâ* ſpeciali opere aliàs contra *Pallavicinum* agam. Interim mirari qvis poſſit, qvâ fronte rudes illi rerum Theologicarum Epiſcopi ſe tot controverſiarum iſtâ in Synodo judices fecerint, Orbisqve Chriſtiani *Doctores*, qvi vix *diſcipuli* fuerant, & in ſpecie qvidem in gravisſimâ illâ qvæſtione, *An editio Scripturæ vulgatæ cum textu originali conveniat*, qvod tantâ confidentiâ ab Idiotis illis definitum eſt, ac ſi hebræas, græcasq; literas per ſeculum triviſſent. Hæc ſi qvis urgeat, aveatqve ſcire, qvomodò *Spiritus S.* illos direxerit, qvi nullam habuerunt earum rerum, qvæ definiendæ erant, cognitionem, regerunt alii, *illos Patres inſtar aſinæ Bileam locutos eſſe*, qvod tamen alii rident, cùm ipſius *Aulæ Romanæ* doctrina ſit, *Spiritum S. non operari in Conciliis modô extraordinariô*, *ſed prærequirere induſtrium rerum examen*, & vereor, ne fortè ſint, qvi ex eo cauſam arripiant, peractas brutorum inſtar hoc in Concilio dogmatum definitiones velut aſinorum vocem ſpernendi. Alii cautiùs loqvuntur, *nempe rudes illos voluiſſe ſeqvi doctrinam*, *mentemqve Patrum doctiorum*. Sed hoc plura adhuc dubia ingerit. Primò enim vana eſt de hac voluntate præſumtio, cujus nulla indicia proſtant. Deinde doctiores ipſi inter ſe non rarò diſſentiebant, contrariisqve ſententiis ſuffragium ferebant, ex qvo remanet difficultas, *in qvam doctiorum partem hi rudes ſuum brutum Nihil reſolverint?* Ad hæc, cui bono alebatur Tridenti iſta ignorantium phalanx, cui unica gloria reſtabat, *qvod per Carbonariam dogmatum deciſionem characterem Epiſcopalem exerceret*, qvod Laicis ſolatio eſſe poterit, qvi hactenus ex

Gre-

Gregorio M. lib. 2. Moral. cap. 25. ubi tractat illud *Jobi 1. Boves arabant, & asinæ pascebantur juxta eos*, didicerunt, per *boves* intelligi *Prælatos doctos*, per *asinas* verò *simplices laicos*, cùm inter *Concilii Tridentini* Patres fuerint, qvi se *asinarum* societati miscuerint.

§. VI.

Postqvam ergo *Patrum Legatorumqve* conditio *Synodalem illum Spiritum* dubium, suspectumqve reddidit, modus agendi, qvem Legati ex *Curiæ Romanæ* præscripto intrusêre, expendendus est, num saltem in eo *Spiritûs S.* regimen comperiatur, an verò ad unius Romæ incrementum omnia directa fuerint. Observandum autem est, *Curiæ* hanc semper insedisse suspicionem, *Transmontanos*, & plerosqve alios Episcopos hactenus ab ea oppressos opiniones utilitati Romanæ parùm amicas ad Synodum allaturos esse, ex qvo magnis sibi artibus opus esse vidit, ut imminentem cladem diverteret. Ergo duas in Concilio factiones, *Curialium* alteram, qvæ *Aulæ Romanæ* nutum seqvebatur, alteram *Transmontanorum* deprehendo, qvæ in libertatem intenta aliqvam ejus recuperandæ spem sibi pollicebatur. Unde Legati, cùm ex uno scirent, paucos è *Transmontanis* ad Synodum illam venturos, (è Germanis non nisi duo sub *Julio III.* adfuêre) ex altero *Italicorum* phalanges advolaturas, hoc ipso læti factionem suam firmari, id unum tamen metuebant, ne *Transmontani* Procuratores suô nomine submitterent; Sed placebat unicô ictu hunc metum præcidere, jus suffragii, absqve qvo omnia *Transmontanorum* consilia vana erant, & nonnisi inanes flatus, procuratoribus adimendo. Et cùm scirent, *Episcopos* inter, & *Monasticos ordines* vetus odium in flammas erupisse, horum, qvippe à *curiâ* unicè dependentium causam additô etiam *suffragii jure* sibi tutandam existimârunt, ut eorum subsidiô *Episcoporum* consilia perfringerent. Et in hoc qvidem Concilio *Societatis Jesu Patres* strenuos Athletas experta est *Curia*, qvæ solertia *Sedis Apostolicæ* benevolentiam huic familiæ ita de-

 vinxit.

vinxit, ut jam tum in *Prætorianam Sancti Petri cohortem* electa sit. Qvanqvam *Lainius* eorum *Generalis*, ne qvid de aliorum petulantiâ dicam, modestiùs egisset, si aliis *Ordinibus*, qvi antiqviores erant, præire non attentâsset. Debilitatâ itaq; his principiis *Transmontanorum Episcoporumqve* factione, Legati ad nova consilia transiêre, & Synodi Patres in tres distinctos cœtus callidè separârunt, tùm, ne mutuô aspectu sese animarent, & ab aliqvo omnes unam in sententiam pertraherentur, tum etiam, ut multitudini ità divisæ faciliùs imperarent, factionemqve distraherent. Qvoniam verò ad opprimendam adversæ partis factionem magni intererat, nôsse ejus consilia, ut per opportuna remedia iis obsisti posset, Proditores ubiqve *Curia* aluit, qvi *Principum*, *Patrumqve* consilia exqvirerent. Præterqvam enim, qvod Ordinarii in Principum Aulis *Sedis Apostolicæ Nuncii*, exploratores publici essent, & *Jesuit. Gener. Lainius* monente ex Aulâ Cæsareâ *Canisio Societatis* illius Patre, *P. Natalem* communicatô cum *Cardin. Simonetta* consiliô *Viennam* submiserit, ut à *Canisio* in consultationem Cæsaream de *Concilii negotio* introductus, *Curiæ Romanæ* Imperatoris consilia aperire posset, qvod & viam parante infidô istô cane *Canisio* factum est, alii qvoqve ipsâ in *Synodo* subornati sunt, qvi *Patrum* consilia proderent. *Hugonius* enim *Sorbonista*, *Franciscanus* licèt, pecuniæ ex voto contemtor, ad *Gallicorum* consiliorum proditionem aurô pellectus est, & profunda *Hispanorum* consilia, qvæ maximè timebat *Curia*, *Episcopus Pacensis* retexit, nec *Gualterium Curiæ* innexum Eruscatorem puduit, per speciem amicitiæ *Cardin. Lotharingium* Romanis in Concilio mirùm qvantùm invisum, suspectumq; callidè excutere. Ex his, qvæ evenisse comperio, si qvis *Spiritum* illum, qvi *Tridentinos Patres* afflavit, absqve amore, & odiô voluerit expendere, vereor, ne locô *Spiritûs S. Spiritum profanæ calliditatis, proditionisqve* reperiat, *qviqve ambitionis Romanæ memor, ad locum respexerit, unde effiatus erat.*

§. VII.

§. VII.

Jactis his potentiæ fundamentis Legati in hoc ſummam rerum ſitam eſſe, reputabant, ſi *Proponendi* in Concilio arbitrium ſibi ſolis poſſent vendicare, qvod etiam totô Concilii tempore contra Regum, Principumqve qverelas, & Epiſcoporum iras immoti per ſpeciem juſti ordinis retinuerunt. Vide qvæ §. 4. jam attuli. Et hoc qvidem *dominationis Arcanô* muniti facilè præpediebant, ne qvid patribus diſcutiendum proponeretur, qvod in *Curia Romana* damnum trahi poſſet, & ſi qvæ *Principum* nomine poſtulata offerebantur, ea aut planè non exponebant Synodi Patribus, aut pauculis, qvæ *Curiæ* gratiora erant, excerptis patrum oculos fallebant, Principesqve longâ morâ fatigatos deludebant. Interim, ne fortè & ipſi Legati, aut imperitiâ, aut affectibus, aut conſcientiâ abrepti aliqvid proponerent, & cum Patribus decernerent, qvod in *Curiæ* detrimentum vergere poſſet, huic periculo id remedii proviſum, *ut nihil unqvam in Concilio Tridenti proponeretur, definireturqve, qvod non prius Romæ ſedulò excuſſum, prævioqve judiciô decretum foret.* Et hæc agendi ratio totô Concilii tempore obſervata eſt, eumqve in finem eqvi curſorii deſtinati, qvi per ſingulas hebdomadas duorum qvidem dierum ſpatiô, ſæpè etiam bis Româ Tridentum literas detulere; cùmqve hi magnô ſemper ſtrepitu Tridentum ingreſſi ad Legatorum ædes appellerent, vulgatus ille *de Spiritu S. a Veredariis in Manticâ allato* per eam occaſionem ſermo recrudeſcebat, cùmqve grave Patrum murmur ſuboriretur, Legati conſtituere, ut Curſores illi in itinere haud procul Tridento ſubſiſterent, & advectas ex Roma *bulgas bullasqve* cautô ſilentiô afferrent. Qvæ cùm ita ſint, ingenuè fateri cogor, me ne umbram qvidem *Spiritûs Sancti Concilio præſentis* deprehendere, & qvanqvam videam, *Cardin. Pallavicinum lib.* 16. *cap.* 10. *n.* 14. 15. 16. per hunc *in Manticâ advolantem Spiritum* ita acriter cruciari, ut in omnem ſe partem anxius vertat, qvò *decantato illi ſpiritui* rimam inveniat, dubitandi tamen ratio nō eximitur.

Hûc tendunt omnia, qvæ *Cardinalis* magnâ verborum pompâ fortè ad divertendos ſimplices exornat, *licuiſſe Legatis Pontificem dubiis de rebus conſulere, ut lumen aliqvod externum, per Curiæ Romanæ literas allatum lumini Spiritûs Sancti interno eò faciliorem in Patrum animis viam panderet.* Eôdem modô *Pius IV.* in *literis ad Ferdin. Cæſarem* hunc *Spiritum* emolliit, niſi qvòd per fraudem verba *Interdum potuiſſe id fieri, ut in qvibusdam magis arduis Legati Conſilium ſuum exqviſiverint, neqve id à ſe negari potuiſſe*, ad Cæſarem deludendum callidè inſeruerit apud *Pallav. lib* 10. *cap.* 8. *n* 7. qvo facti veritatem ſupprimeret. Sed hæc ſuſpicionem magis augent. *Primo*, qvia ſi qvis ab alio in re arduâ lumen externum poſtulat, is in eo aut majorem, aut certè parem ſapientiam, reiqve, qvæ dubium movet, notitiam præſumit, ex qvâ ſibi lumen illud polliceatur; id autem in noſtro caſu locum non habet, ut vel ex ipſo *Pallav. lib.* 6. *cap.* 17. *n.* 13. patet, ubi Præſules Tridentinos ſub *Paulo III.* non tantùm vocat *virorum ex Italia, Sicilia, Sardinia, Gallia, Hiſpania, Græcia, Suecia, Scotia, & unde non? delectum*, ſed & Theologos ibidem *præcipuum Theologiæ compendium*, de qvibus ſanè non præſumitur, qvòd ab urbe Româ, à Pontifice, minoris fortè ſcientiæ viro, lumen externum per modum *conſilii* exqviſiverint. *Secundo.* Lumen externum qvi petit, neqve ad locum, perſonamqve aſtringitur, liberè qvoqve lumen illud acceptatur: Mentiar autem, ſi vel umbra talis libertatis Tridenti in Legatis fuerit. *Tertio.* Soli *Legati*, non verò reliqvi *Patres Spiritum* illum in *Manticâ* accipiebant, ſed demum in hos per callidas artes diffundebatur ab illis, ergo in ſolos Legatos rectâ lumen illud incidebat, & ab his obliqvô curſu in ceteros reflectebatur, qvi tamen nihil ultra intelligebant, qvàm qvòd antea, *niſi qvòd Romam ita velle cognoſcerent.* *Qvartò.* Optarem, *Pallavicinum* retinuiſſe memoriam eorum, qvæ *Paulum III. Carolo V.* poſtulanti, *ut ſuper decreto Juſtificationis maximè inſignium Academiarum ſententia audiretur*, regeſſiſſe refert *lib.* 9. *cap.* 3. *n.* 4. *ſi diſertè*

Aca-

Academiarum ſenſa exqvirerentur, hoc ipſum Concilii dignitati derogaturum, cujus erat, eunctas Academias docere ex divini Spiritus ſibi præſentis *afflatu.* Hæc ſi vera ſunt, qvid erat neceſſe, tot eqvos fatigare, & *Spiritû Romanô* implere *bulgas*, qvi Concilio jam præſens erat? Ergo patet, lumen illud *externum* ab urbe ſubmiſſum, non habuiſſe ſpeciem *luminis externi*, ſed potiùs *interni*, qvod non per modum *conſilii*, ſed *præcurrentis decreti* Tridentinos patres impulit, & in paria vota adegit.

§. VIII.

Ut autem *Imperii Arcanum* de *Spiritu Romano* in *bulgâ* ſubmiſſo à vulgi Synodalis intelligentiâ ſubducerent, opus erat, hanc in Patribus opinionem alere, *qvaſi non Romæ, ſed Tridenti ultroneô Patrum conſenſu decreta firmarentur*, & lepidum eſt, qvòd *Pius IV.* qvô tempore extrema erat Concilii ſervitus, ad Legatos ſcripſit, *ut clamarent, Concilium eſſe liberum*, ut dolor ex libertate oppreſſa conceptus, novis etiam ludibriis augeretur. Interim, ut Patres in eandem cum Legatis ſententiam irent, exqviſitas artes *Curia Romana* adhibebat. Qvorum favorem prenſabat, eorum voces oblatis beneficiis ſopiebat, & menſtruis qvoqve ſtipendiis cöemebat ſuffragia: qvæ res in *Curiæ* commodum usqve adeò ceſſiſſe viſa eſt, ut etiam *Mantuano Cardinali Legato* ab urbe edictum ſit, *ut nullis præſcriptis finibus pecuniam largiretur*, & ut etiam *Judas* alerent, triginta aliis, aliis ſexaginta coronatos per ſingulos menſes dedere, ut non ſimplici modò, ſed & geminatô pretiô ab his *Judis* proderetur veritas. Ipſi qvoqve Principes, qvorum ſub Imperio Prælati vivebant, magnis promiſſis, atqve oſtentatis opibus illecti ſunt, ut Patribus *Curiæ Romanæ* tutelam anxiè commendarent, qvod ſingulatim probare, mihi in proclivi eſt. Et *Italicos* qvidem Principes injectâ ſuſpicione ſolicitè concitabat *Pius IV*, qvaſi *Transmontanorum* conſilia illûc vergerent, *ut Sedem Apoſtolicam ex Italiâ, qvæ tamen hôc unô alias nationes ſuperat, aliò abducerent.* Illos verò ex Patribus, qvi libertati tuendæ intenti ad *Curiæ* nutum

cir-

circumagi non poterant, Roma acriter persecuta est. Etenim *Episcopum Segoviensem*, qvi fortè velut statua lignea, *Italicô illô Spiritu* moveri non poterat, Romæ *Hæreticum* denunciârût, & postqvam *Episcopus Buduensis* in hæc tantùm verba prorupisset: *Omnia Vanitas*, mox *Pius IV.* qvi id à Legatis resciverat, *occultiores modos proposuit, qvibus à Concilio miser amoveretur.* Si qvi publico in cœtu sententiam *Curiæ* minùs benignam expromerent, per subornatos à *Legato Simonetta*, dicacibus facetiis exagitabantur, &, ut oppressis iis, qvi velut partium ductores, suæ factionis patres moderabantur, reliqvos ab his pendulos faciliùs sternerent, *Madruccius*, & *Lotharingius* Cardinales, *Aulæ Romanæ* multùm invisi, per *Italorum* artes in conficiendo, nescio, qvo decreto, auctoritatis jacturam patiebantur, ut his stratis, aliorum, qvi eos seqvebantur, terga faciliùs calcarent. Ex qvibus (nam plura piget referre) rem eò deduxêre Legati, ut plerumqve ante *congregationem generalem*, ac *sessionem* patrum suffragia jam in numerato habuerint, cùm eos qvoqve non puderet *Curiæ* mentem suis afflare, ex qvo evenit, ut *Lansacus Galliæ Legatus* hæc Legatorum vota *auricularia* appellârit. Hanc agendi rationem, si qvis integrè expenderit, nescio, an ei vitio verti possit, si *Tridentinum illum Spiritum*, *Spiritum servitutis*, *fraudis*, *& malitiæ* appellârit.

§. IX.

Unum superest, qvod animum adhuc detinet, *An Concilium Tridentinum etiam sciverit, qvid decreverit, & an veritatem illam, qvam se definiisse ait, intellexerit?* nisi enim id asseratur, synodus illa instar *Caiphæ* erit, qvi, qvod non capiebat, fatidicô Spiritu effatus est. Dubitandi autem rationem *Ambrosius* Catharinus, & *Dominicus Sotus*, magna hâc in synodo nomina dederunt dum etiam post *sessionem sextam*, in qva *cap. 9.* & *can. 13.* de *certitudine gratiæ Dei* actum erat, oppositas, ut antea, opiniones retinebant, imò uterqve sententiam suam esse *Synodi mentem*, asseverabat. Et eò qvidem lis illa pervenerat,

ut

ut Patrum nonnullis in hujus, aliis in illius favorem testantibus, in duas propè partes Concilium scinderetur, nisi qvòd boni qvidam Præsules neutris addicti candidè fassi sint, se controversiam non satis intellexisse, assensum tamen decreto illâ formâ qvâ fuit promulgatum, commodâsse, qvòd inter partes convenisse videretur. *Legatus S. Crucis* pro *Catharino* testimonium dicebat, *Montanus* inter tertios erat. Scire ergo hîc pervelim, *qvis fuerit ille Spiritus, qvi Articulum illum conflavit, qvæqve illa synodus, ad qvam hac in lite Catharinus, & Sotus provocârunt, cujus Patres alii huc, alii illuc rapiebantur.* Crediderim sanè, illum rem acû tacturum, qvi dixerit, dum opiniones contrariæ in formando decreto excutiebantur, unamqvamqve partem verba ea rejecisse, qvæ sensum opinioni suæ repugnantem præ se ferebant, omnes verò iisdem assensos, qvæ qvisqve putabat cum sensu suo posse consistere, atqve indè fieri, ut verba Decretum exprimentia duplicem sensum, imò contrarias interpretationes admittant. Qvæ, si ità sint, manet addubitatio, *cujusmodi fuerit illud Concilium*, cui verborum qvidem consensio, animorum verò pugna, & contrarietas tribuitur. Ubi ergò nunc decantatus ille *Spiritus*, qvi Concilio præsens Patres afflâsse, & in animorum unitatem compulisse, tantâ confidentiâ scribitur. Qvamobrem, cum toto in Concilio nihil comperiam, qvod mihi vel umbram *divini Spiritûs* qveat expingere, nemo prudens etiam mihi Anathema dicet, *si scapham scapham, ligonem ligonem, Spiritum bullarem bullarem, bulgarem bulgarem* appellavero, neqve venerari possim miserum illum Spiritum, qvi *Manticæ* inclusus Tridentum delatus est, præsertim cum veriora docturis me ex animo subjiciam, illa eâ mente, hoc est, partium mediâ, qvam in expendendis rebus, qvas ex probatis Concilii Tridentini documentis placuit deducere, attuli, lubens excepturus.

TONSURA CHILDERICI, Seu DISSERTATIO HISTORICA *Ad §. II. Cap. I. de Monzamb.* DE DEPOSITIONE CHILDERICI, è stirpe CLODOVÆI, FRANCORUM REGIS ULTIMI.

Q. D. B. V.

PROOIMION.

CHilderici Francorum Regis *coronam exponimus, non auro, gemmisqve distinctam, sed qvam Tonsoris manus efformavit. Forficis hoc opus fuit, qvam* Pipinus Palatii Magister *cuderat, ut* Childericum *Cæsarie, & simul diademate levaret. Ita etiam ludibria dejecti Regis vertici addidit* Nanus, *dum* Childerico, *qvi perdiu comas, barbamqve tam solicitè pexuerat, hujus curæ materiam abstulit, &, ne regium caput prostaret absqve coronâ, eam in Monachorum claustris detonso, non ignaviæ minus in Rege, qvam ambitionis in Ministro testem, è capillis reliqvit. Mihi qvò magis hæc vetera recolo, eò magis obversantur rerum humanarum ludibria, dum* Pipini *domum, qvæ* Merovingos *expulit, iisdem artibus ab* Hugone Capeto *eversam vidit*

vidit posterior ætas, & in eosdem Capetingos *sub* Henrico III. Valesiæ *stirpis ultimo* Guisii *Carolinæ stirpis, & detenti olim Imperii nimium memores acuerunt ambitionem, neqve huic Comœdiæ, postqvam evulgatum erat, licere irasci principum Vitiis, qvicqvam deerat præter epilogum, qvem dedissent etiam Actores, nisi* Henricus *festinatô exitu ultimam iis vocem præclusisset. Sed, uti ex his manet adhuc hodiè ira atqve odium inter infensas domus, ita mihi satis erit viam præstruente* Monzamb. *præcelsô Scriptore cap. I. de Stat. Imp. Germ. §. II. raso Childerici Vertici curam impendere, qvò pateat in* Pipino, *nihil esse impervium ambitioni, qvam temporum, rerumqve conditio exstimulat.*

CAP. I.

Explicantur causæ depositionis Childerici.

SUMMARIA.

I. *Qvæ causa depositionis Childerici? Rejicitur fabula Monachorum, qvi eam neglectis Ecclesiæ bonis imputant. Qvid de lupis Surlandicis hodie spargatur? Et qvàm verè?*

II. *Causa depositionis fuit ignavia Childerici. Qvando hæc in Merovingis inceperit? Status regni Francici sub Merovæis. Reges 1. May tantùm videbantur, totô annô delitescentes.*

III. *An 1. May striges conventus agitent? Qvâ occasione hæc opinio nata videatur. Ex qva origine 1. May frondibus exornentur domus* die Maybäume. *Permittitur lectoris arbitrio.*

§. I.

C*Lodovæi* domus, qvam *Merovingorum* vocant, jam diu tenuerat regnum Franciæ, ſed qvæ eam cauſæ in *Childerico* hujus ſtirpis ultimo *An. Chr.* 752. tandem evolverint purpurâ, non erit abs re inqvirere. Facilè autem rideo Monachorum ineptias, qvi, uti cetera qvoqve in plebis terrorem ſuis intenti commodis aſtutè detorqvent, ita & hîc ex detonſi *Childerici* capillis flagellum in laicos connectunt. Ajunt enim, *Clodovæi* Nepotes, ac poſteros non eam adhibuiſſe in adminiſtrandis Eccleſiæ bonis diligentiam, qvam Clericorum avaritia exegerat, hancqve pœnam Deô vindice dejectum imperio fuiſſe *Childericum*, qvod hujus proavis fortè exciderat, omnia ad Sacri Ordinis incrementum, & opes referenda eſſe. Niſi in hoc hominum genere amor cœleſtium, & conſtans, notusqve orbi opum contemtus ſacram hanc iram apud me excuſaret, *Laurentio* qvoqve *à Dript*, ceterùm erudito Scriptori eandem vanitatem exprobrarem, qvi in *Anti-decal. Theol. polit. n. 66. p* 195. Monachis concinit. Mirari tamen licet, tranſiiſſe hac de causâ in *Pipinum* Franciæ imperium, cujus patrem *Carolum Martellum* ob delicti paritatem ſtygiis immerſum undis non multò ante Monachi conſpexerant, uti hanc fabulam idem ſcriptor *pag.* 194. ſui haud parum memor exhibet. Paria ludibria non ita pridem *Surlandia* dedit, in qua luporum ferocitas in homines ſolito atrociùs deſæviit, qvamqvam & fama, & callidi ſuperſtitionum Magiſtri per locorum proxima hos lupos auxêre, qvi, cum viderent terreri vulgus, & ut eſt rationis ignarum, in omen præſentium id accipere, utendum eâ inclinatione rati, & qvæ caſus obtulerat, in aſtutiam vertenda, facilè perſuaſerunt trepidæ plebi, ut ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes, ob neſcio, cujus ſu-

ſcepti

ſcepti olim voti oblivionem hos lupos ultore Deô in hominum necem evocatos eſſe, *Tacit. I. cap.* 28. Hic tamen ſcrupulus ſapientibus facilè eximitur, qvi & militum plures ibidem præſentes inter bellorum motus occubuiſſe, & lupos carne humanâ efferari non ignorant, ut Paderbornenſium ingenia, animiqve vanis hiſce terroribus per publicos fabularum prœcones, vanosqve miraculorum Magiſtros fruſtrà circumagantur. Pietatis qvidem eſt, uti *Servita lib.* 1. *d. l. Concil. p.* 61. *v. & certamente è pio &c.* ſapienter explicat, rerum eventus in divinam refundere providentiam, ſed definire, qvem ſibi finem ſumma Dei ſapientia ſtatuerit, præſumtæ mentis eſt, cùm conſtet, *qvemqve ſuis, qvas ſemel imbibit, opinionibus Deum ita attemperare, ut majorem in eas a Deo, qvam à ſe ipſo favorem exſpectet, & ſæpe etiam exigat.*

§. II.

Cùm ergo divinæ mentis arcana in hac rerum cataſtrophe ab humana ſapientia altiùs ſepoſita ſint, ad propiora, qvæ oculis noſtris patent, recurrendum eſt. Qva in re facilè ſeqvimur *Johann. Bußier.* induſtriam, qvi *lib.* 2. *Hiſt. Franc.* hos *Childerici*, & *Pipini* tropicos ſolerter explicat. Poſtqvam *Clodovæus An Chr.* 496. in regiam *Merovæi* domum Chriſtianum nomen primus intulit, ſenſim qvoqve delinita eſt ferocia, qvam *Pharamundi* ſanguis indiderat, non *oleô* qvidem *Remigii*, qvod Monachorum in tabernis proſtat, ſed Chriſtianæ pietatis, cujus indole ambitio facilè detumeſcit. Interea lapſu temporis ita emollita eſt in nepotibus Sicambrica *Francorum* virtus, ut etiam in luxum atqve inertiam, ipſis tandem Regibus exitioſam defluxerit. A *Clotario* III. hæc Regum mollities primùm invaluit ſub *An. Chr.* 663. à qvo tempore Francorum Reges ſibi ipſis interdixere regnorum curas, qvam *Palatii Magiſtris* regiô duntaxat contenti nomine permiſerunt. Et hi quidem jus belli & pacis, vitæ & necis poteſtate ſummâ exercebant, parabantqve gradus, qvos Pipinus aſcendit. Regibus prædium ruſticum dabatur in ſumtus,

M 2 cum

cum aliqvot famulis, potiùs inopiæ testibus, qvam regiarum opum administris: Semel in anno *Calendis Maji* in urbem vecti plaustrô junctis bobus, ut Regis larvam induerent, promissamqve ostentarent cæsariem, (nam is unus supererat tantæ potentiæ character) mox iisdem qvadrigis redibant in villam, totô deinceps annô dieculæ pompam absumente, Ex qvo etiam *Græcorum Annales* apud *Petav. lib.* 8. *Ration.* fuisse *Francorum* Reges porcorum instar setoso deformes tergô, appellatosqve ideo, *triahorachatos*, commenti sunt. Regiis hisce *Childerici* erroribus, in qvem propudiosa illa unâ cum regni larvâ etiam transierat socordia, imminebat *Pipinus* inqve ambitionis titulum prætexens collapsam Regum inertiâ Francorum gloriam, procerum animos facilè commovit, ut *Pipinum Regem*, & *Childericum Monachum* dixerint. Ita *Childericus*, qvi diem integrum barbâ, comisqve impigrâ manu pectendis tam solicitè absumebat, materiam plexuit, in qvâ *Pipinus* & ambitionis, & forficis aciem experiretur.

§. III.

Hæc inter, nescio, an lectoris animum distraham, si per hanc opportunitatem sapientum judicio permiserim, qvi *veterum temporum* gnari, *causas*, atqve *occasiones* præsentium integrè expendunt, *num plebejæ istius opinionis*, *an fabulæ*, *qvæ ipsâ nocte Calendarum Maji annuos strigum conventus agitari existimat*, *origo ex memoratâ Francorum Regum consvetudine trahi possit?* Etenim, qvando imminebat primus ille *Maji* dies, qvo Rex abditus totô annô villæ suæ parietibus suorum oculos subiturus erat, ingens hominum multitudo, & rei novitate, & Regis videndi desideriô suis excita sedibus facilè confluxit, &, ut his in rebus fieri solet, qvarum tædiosa expectatio brevioris etiam noctis moram incusat, lætam tripudiis noctem agebat, ut morantem auroram provocaret; cumqve sub illa tempora urbes in Germaniâ propemodum nullæ, alibi ad Rhenum, Regumqve sedem essent pauciores, in montium jugis, campisqve publica hæc lætitia exacta est, cete-

ceteris qvoqve, qvi domi remanſerant, noctem, diemqve, in qvem, qvippe omnibus feſtum, publica hæc lætitia indicta erat, per ſueta tum gaudiorum ſigna abſumentibus. Interim, licèt *Pipinus*, ejusqve poſteri illam *Merovingorum* in abdito vivendi rationem immutârint, ſuſtulerintqve *Majalis* lætitiæ cauſam, perdurabat tamen memoria veterum, & diei illius, qvem recepta jam olim conſuetudo publicæ lætitiæ dicârat, ſolennitas. Priſci hujus moris veſtigia nobis adhuc hodie exhibent betulæ, frondesqve, qvas ipsâ nocte Calend. May aliorum manu aut in benevolentiam, aut in ſpem lucri præ ædibus ſurrexiſſe cernimus, ſimul alibi illum ipſum diem genialiter transigi. Poſtqvam autem ii, qvi ſub *Merovingorum* tempora vixerant, exceſſêre è vivis, remanebat qvidem in nepotibus aliqva priſtini moris imago, ſed cauſa ignorabatur. Unde, cum ſenſim ad pauciores, & fortè etiam è ſeqviore ſexu, qvem pes lætior magis ad tripudia exſtimulat, exoletæ hujus feſtivitatis uſus tranſiret, facilè fieri potuit, ut priſci moris ignorantia ſtrigum conventum appellârit, & ad poſteros eadem opinio traducta ſit, & variô rumore jactata, *dum alii qvoqvô modô audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt, & gliſcit utrumqve poſteritate*, *Tacit. An.* 3. In ſimile argumentum publicæ lætitiæ geminatas & hodiedum adhuc Nutricum nænias *Eja Poppæa* evocarem ex *Tacit. An.* 14. *à cap.* 60. *ad* 65. niſi ſapientum judiciô, qvæ hac ſuper re dixi, mallem permittere, qvamqvam neqve id facilè abnuerim, potuiſſe Dæmonem, qvi occaſionum ſolers eſt, & callidus, per hanc opportunitatem ſe miſcere his cœtibus, & ſuperſtitioſos mulierculærum animos dira in ſacra inflectere.

CAP.

Cap. II.

Qvomodo, & qvibus artibus Childericum Pipinus regnô dejecerit.

SUMMARIA.

I. *Magiſtri palatii per Regum ſocordiam fundant potentiam. E qvibus natus Pipinus. Artes Magiſtrorum palatii in firmando Imperio. Pipinus parat ſe ad regnum occupandum.*

II. *Quæ obſtiterint. Qvomodo Pipinus illa perruperit? Pipinus indicit regni comitia. Qvid ibi decretum?*

III. *Legati mittuntur Romam ad Zachariam P. R. Qvid ibi perfecerint: Cur Papa Pipini votis aſſenſerit? Pipinus Rex inungitur. Childericus cum uxore in cœnobium detruditur.*

IV. *Unde Epiſcopi Würtzburgenſes habeant titulum Ducis Franconiæ. An Pipinus primus inter Francorum Reges inunctus ſit? Cur Pipinus inungi voluerit? An Elect. Mogunt. ex hoc facto Bonifacii prætenſionem ſuam contra Colon poßit tueri?*

§. I.

AD *Pipinum* redeo, qvem dejectô *Childericô* ab *An. Chr.* 752. *Francia* Regem adoravit. Qvibus autem artibus Pipinus regnum adeptus ſit, ex *Fauchet lib.* 5. *des antiqvit. franc. cap.* 23. *à f.* 399. & *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 1 *à f.* 407. & *Bußier. lib.* 4. *Hiſt. Fran. num.* 5. *à p.* 162. aliqvanto altius exponam. Poſtqvam Reges à *Clotario III.* in inertiam ſoluti ceperant abhorrere à regnorum curis, *Magiſtri palatii*, in qvos hæ curæ tranſierant, ſenſim poteſtatem regiam in ſe unos derivarunt. Et inter hos qvidem maximè eminebant *Pipinus* & *Carolus Martellus*, hic Pater, ille avus *Pipini* Regis, qvi, cùm in Regibus umbram tantùm & larvam cernerent, inſurgere paulatim, munia Regum ac legum in ſe trahere, nullo

nullô adverſante, cum ferociores, & qvorum inviſam ſuſpectamqve metuebant potentiam, per artes oppreſſi jacerent, ceteri nobilium, qvantò qvis ſervitio promptior, opibus, & honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti decora & præſentia, qvam vetera, & vilia mallent. Nec minori ſolertia *ſacras, profanasqve* dignitates in ſuæ factionis homines contulerant, publica munera, velut ſui juris diſtribuerant amicis, & opes *Monaſteriis*, *Eccleſiisqve* ſacratas callidè traduxerant in clientes, eô qvidem conſiliô, ut omnes id unum cuperent, ut nomen regium, & poteſtas penès eum eſſet, qvi augeret beneficia, non everteret. *Pipinus* ergo, in qvem unum cœsô in *Alpium* tranſitu *Griphone* fratre, & alterô *Carolomannô* Monaſticam vitam ſponte amplexô *Martelli* patris gloria, & auctoritas, & *Franciæ* adminiſtratio tranſierat, in regnum occupandum ambitione actus eſt, cùm ſe inſpectaret florentem ætate, felicem prole, atqve ſubnixum, in ore omnium eſſe atqve amore; Vectigalia regni, dignitates, arces, & milites, ceu corporis nervos, vel automati cujusdam machinas ſuos ad nutus verti, & agi, ſe tandem regni præter unum nomen compotem eſſe; contrà *Childericum* non modò omni ope, ſed & ſuo ipſius animo deſtitutum, adeò regiô indignum titulô, ut ne ad hominem qvidem accederet, & ſi pelleretur vel digito, in præceps ruiturum.

§. II.

Duo autem erant, qvæ ſpei jam adultæ, & tantis *Pipini* conſiliis moram aliqvam videbantur injectura, Francorum in *Clodovæi ſtirpem* veneratio, & ſtudium, ex qvo Regibus qvantumvis in ſocordiam prolapſis manebat reverentia, & ſimul obſtabat *Religio* & *ſancita fidei jusjurandum*, ex qvo *Pipinus*, & ceteri *Childerici* obſeqvium debebant. Sed hæc *Pipini* ſolertia facilè perrupit, cum populi in Reges veneratio eorum ſocordiâ per *Pipini* artes in contemptum verteret, & jusjurandum *Romani Pontificis* auctoritate, qvem magnis offi-

officiis jam demeruerat, scindi posse speraret. Telam ergo ita ordiri placuit, uti *Pierre Matthieu in Geneal. Reg. Franc. f. m.* 50. *Bußier.* & alii explicant. Postqvam multos benefactis, plures pollicitis, comitate omnes devinxisset, amicos veteres spe novâ excitâsset, novos veterum æmulatione incendisset, cœpto passim per ejus artes â familiaribus sermone, primùm in Aulicos, mox in vulgus emanat, propudiosam Francorum gloriæ jam tot Regum socordiam esse, abiiciendos, qvi nec sibi, nec aliis regendis pares essent, & cooptandum alium, cujus virtute regnum staret, nec longè arcessendum, in promptu esse *Pipinum* Principem, corpore qvidem *nanum*, sed animo *gigantem*. *Pipinus* ergo, ubi sermones ejusmodi gratos in vulgus, & excipi amicis auribus animadvertit, maturum negotium ratus, publicum regni conventum indicit, evocatis Præsulibus, & è nobilitate præcipuis, qvos sibi studere maximê comperisset: qvo in cœtu tentatis jam animis rem proposuit, & simul pervicit, in ejusqve sententiam ab omnibus itum est, ut mitterentur ad *Pontificem*, qvi *Jurisjurandi* veniam exposcerent.

§. III.

Missi ergo ad *Zachariam*, qvi tum *Sedi Romanæ* præerat, *Burchardus Episcopus Würtzburgensis* (alii *Richardum Bituricensem* nominant) & *Wolradus Pipini*, ut vocant, *Capellanus*, hoc est, Sacrario præfectus, qvorum in votum Pontifex facilè assensit. Hic enim, cum *Græcos* Imperatores, à qvibus *Papæ* defecerant, novum sibi imperium moliti, timeret Romanæ ultores perfidiæ, & simul *Aistulphum Longobardorum* Regem *ditioni Romanæ*, velut *Græcorum imperio* imminentem, demereri hoc novô perfidiæ exemplo *Pipinum* placuit, in qvo firmum adversus *Græcos*, & *Longobardos* præsidium haberet. Sub hæc *Bonifacio Moguntiæ Antistiti*, qvi *Romanos* Sacrorum ritus, & dogmatum vanitatem primus in *Germaniam* melioribus jam alicubi imbutam intulit, munus à *Zacharia* demandatum est inungendi *Pipini* in

Re-

Regem, qvem ipsi *Franci* jam suis suffragiis delegissent. Legatis ergo in *Franciam* remeantibus unctio *Pipini Sueßione* à *Bonifacio* peracta est, moxqve *Pipinus* Rex dictus ab omnibus, & more gentis circumlatus clypeo, solioqve impositus est. Ultimum deinde ad scenam claudendam actum confecit *Childerici exauctoratio*, qvi ab rusticâ villâ, in qva degebat, ductus *Ratisbonam* in cœnobium (uxorem *Gisalam* etiam destinabant Monasterio) scissâ cæsarie, depositisqve vestibus Monachum induit, nullâ graviore jacturâ, qvàm crinium, cum regnô, qvod non obtinuerat, haud spoliaretur, & uxorem perdere fortè in lucro sit. Interim *Burchardus* in prosperæ legationis præmium *Franconiæ dux* à *Pipino* creatus, ut notat *Freber. in notis ad Bebenburg pag.* 35. Successoribus hunc titulum reliqvit.

§. IV.

An autem hæc *Pipini* in Regem inunctio prima sit inter *Francorum* Reges, video dubitari, cum *Remigium* in *Clodovæo* Chrismate usum perhibeant, facilè tamen cum *Fauch. f.* 409. eam in *Pipino* primùm adhibitam asseruerim, cùm, si qvod fortè oleum *Clodovæo* inditum, id in Regis baptismate, non coronatione usurpatum sit, neqve unqvam ante *Pipinum Francorum* Reges esse inunctos *Annales* meminerint. *Pipinus* autem, cùm sciret, unctos olim *Judæorum* Reges, & simul cessisse in securitatem regiam unctionis sanctitatem, hujus qvoqve veneratione se ipsum munire voluit, ut arceret suo à capite illa pericula, qvibus ipse suô exemplô in *Childerico* viam aperuerat. Interim, An hæc unctio à *Bonifacio Antistite Moguntino* peracta trahi potuerit in subsidium juris, qvod in Cæsareâ Coronatione *An.* 1653. *Emin. Elect. Mogunt.* contra *Colon.* cœpit tueri, nolim anxiè dijudicare.

N CAP.

CAP. III.

Qvantum tribui debeat auctoritati Pontificis Romani in hac Childerici depositione?

SUMMARIA.

I. *De Auctoritate P. R. in regna, & Imperia acerba qvæstio est. Santarelli Jes. liber combustus à Carnifice in Gallia. Sententia Marthæ nec non Baron. & Bellarm. Patrum que Sociat. qvi pro Roma pronunciant. Opposita aliorum.*

II. *Inter qvæstionem facti & Juris hac in causa distinguendum. Papa nullum jus habet in regna, & Principes.*

III. *Origo Potentiæ Pontificiæ explicatur. Origo rituum in Ecclesia Pontificiâ.*

IV. *Zacharias per modū Consilii in hac causa processisse dicend9. Fabula Marthæ rejicitur. Papa non potest alios à Juramento fidelitatis absolvere.*

§. I.

A *Zacharia P. R.* Francos juramenti religione solutos esse jam supra aperui; sed qvantum auctoritati Romanæ hac in parte dandum sit, acerba qvæstio est, qvæ principum diademata, atqve Aulæ Romanæ ambitionem semper acerrimè collisit. Hoc certum est, ob hujus facti celebritatem in multorum animos pravam irrepsisse opinionem, in *Pontificis Romani* potestate esse, *regna, atqve imperia transferre, subditos à fidelitatis juramento absolvere, Reges deponere*, qvod magnas in orbe turbas dedit, ac *Bellarmini*, & *Santarelli* Jesuitarum libellos de *potestate Papæ* vulgatos in *Gallia* flammis addixit, uti *Gramond lib.* 1. & 15. *Hist. Gall.* testatur, qvanqvam illum Romanæ sedis Nuncius per preces eripuit *Martha*, in Principum jura ferox scriptor *Part.* 1. *de jurisd. cap.* 23. *num.* 6. *cap.* 28. *num.* 11. docet, *Childericum* à Papa depositum, & ex causa qvidem, ut vocat, *temporali*, simulqve *Pipinum* in dejecti locum iisdem mandatis substitutum.

tutum. Neqve populo tantum relinqvit, ut ipse sibi Regem qveat eligere, sed omnem auctoritatem in Papam transfert, qvippe in qvo resideat cerebrum, & vertex totius populi: nec ergo mirer turbida Pontificum ingenia, cum furiosæ plebis cerebrum in eos transierit. *Baron. in Annal.* ad *An. Chr.* 752. & *Bellarm. lib.* 2. *de P R. cap.* 17. *lib.* 5. *cap.* 8. paria tradunt, qvorum ille altiùs intonat, Papam ex auctoritate *B. Petri* mandâsse populo Francorum, ut *Pipinus* regii nominis dignitate frueretur. Ità bonus Petrus, qvi vivus vix atria subierat, & ad unius ancillæ vocem trepidârat, nunc mortuus rapitur in Regum thronos, & solia, ut audaci manu coronas decutiat: ita ludimur, & ludimus. Adderem qvoq; omnes *Patres societatis* in crudelem hanc sententiam jurare, nisi versatile ingenium, Galliæ *Cottonus* aperuisset, qvi in *causa Santarelli* suos sentire in *Gallia gallicè*, sed, si *Romæ* forent, *animum cum cœlo mutatum iri* apud *Grammond. lib.* 15. *p. m.* 677. perfidè asseruit, qvanqvam nemo hos homines *extra Romam* semper *Romæ* esse, hactenus dubitet. Interim Galli, & qvibus in Principes obseqvium curæ est, barbaras has voces condemnant. Hinc *Lupold. de Bebenburg. cap.* 12. *p.* 87. 88. *Hotom. cap.* 15. *Franco Gall.* non aliam hîc intervenisse Pontificis auctoritatem volunt, qvam declarantis dubium à Francis *Zacharia* propositum, & consilium dantis: Qvanqvam *Beroald. lib.* 4. *Chron. cap.* 8. *p.* 330. non malè asserat, eam tum temporis auctoritatem, ac pietatem à Papis usurpatam, ut aliena largirentur, qvibus vellent, & conjugia Dei lege sancita pro sua libidine antiqvarent, & dissolverent, cui *Duarenus de benef. cap.* 4. *p.* 38. ex parte consentit.

§. II.

Has inter sententias mihi duo distinguenda sunt. 1. *An hac Childerici depositio, & Pipini in Regem constitutio ex præsumtâ Pontificis auctoritate, & Reges deponendi, creandiqve potestate suscepta sit?* 2. *An si fortè Zacharias hanc sibi auctoritatem arrogâsset, id jure fecisse dicendus sit?* qvorum postremum

esse negandum, facilè impetraverim ab illis sacrorum hominum ordinibus, qvi ob beneficiorum, opumqve, qvas à Regibus accepêre, memoriam, tam præcelsa capita atroci huic injuriæ non facilè exponent; à reliqvis, qvi ipsa beneficia in Auctorum perniciem vertunt, id vix sperârim. Qvidqvid tamen sit de horum hominum in Principes benevolentiâ, cum *Laurentius à Dript* in *Anti decal. in App. Art.* 5. sapienter moneat, priùs in *jura actoris* inqvirendum esse, Aulæ qvoqve Romanæ probandum est, qvô jure Pontifex hanc sibi in regna, Regesqve potestatem vindicet, 1. *qvô jure poßit imperare principibus, & disponere regnorum negotia?* 2. *qvô jure Principum subditos à fidelitatis juramento absolvat?* 3. *qvô jure Reges, atqve Imperatores Sacris interdicat, & deponat?* 4. *qvò jure regna in alios transferat?* & qvæ alia Principum conditio exigit. Neqve credibile est, Christum justitiæ patrem & clementiæ tam durum fuisse in Principes, ut horum jura unum in Petrum transtulerit, hôcqve ipsô Principum animos averterit ab illa religione, cujus primo in gradu ab accepta à Majoribus potestate dejicerentur. Certè vel ipse *Mariana p* 87. *de Reg. Inst.* non ita desipuit. Videat, qvi volet, *Hobbes cap.* 18. *de Cive*, *p.* 407. & alibi, prava hæc deliria facilè subsidebunt.

§. III.

In altero major difficultas, cùm dubiis vocibus hanc rei gestæ seriem Auctores explicent, qvanqvam non adeò anxiè in *Zachariæ* mentem inqvirendum censeam, cum, qvæcunqve illa fuerit, Regum jura non evertat, neqve in Principum detrimentum trahi possit, ubi non *de facto*, sed *de jure* qværitur. Ne tamen nihil dicam, lubet ex *Machiav. lib.* 1. *delle Hist. Florent. p.* 11. *&c.* solerti harum rerum scriptore, aliisqve breviùs præmittere, qvæ tum temporis *Pontificum Romanorum* fuerit conditio, ut, qvibus artibus sacra hæc potentia adoleverit, & qvo ex humore succreverint Romanæ illæ in Principes cristæ, intelligi possit. Postqvam

Con-

Constantini M. auctoritate pietas Christiana Romæ firmata est, gentilium qvoqve Sacerdotum collegia, qvibus præerat *Summus Pontifex*, Sacrosanctum apud Romanos nomen, in Christianos paulatim transiit, omnisqve ejus potestas in sublectum è Christianis Episcopum derivata est. Et hic qvidem, cùm sciret, qvanti intersit ad qvietem Reipubl. in Sacris retinere antiqvitatis speciem, veteres gentilium ritus, qvibus populus adsueverat, magna ex parte retentos Christianæ Religionis simplicitati miscuit, qvò magis in populo veterum imaginem rituum ægrè deserturo gliſceret. Hinc *pervilegia*, *lectisternia*, *Februa*, *Venalia*, *Ambarvalia*, *Robigalia*, *Nudipedalia*, *Apotheoses*, & qvæ alia vetus ævum induxerat, Christianæ religioni aptata sunt, uti *Fauch. f.* 123. 124. *&c.* sapienter explicat. Interim Episcopi, licet indies cresceret eorum auctoritas, non aliam tamen habebant, qvam qvæ vitæ, doctrinæqve reverentiâ hominum animis ingerebatur. Postqvàm autem *Theodoricus Gothorum* Rex, qvi Italiam invaserat, Ravennæ sedem fixit, remansitqve Roma sine Principe, Romani, ut haberent in Pontificum veneratione asylum, in eorum qvoqve obseqvium sensim transierunt, qvod per opportunitatem *Longobardorum*, novum in Italia dominatum illâ tempestate firmantium magnis subinde accessibus auctum est. Cùm enim hi Græcos haberent hostes, Romani, qvi Græcorum socii magis, qvàm subditi videbantur, ita callidè Pontificis ministeriô partiebantur favorem Longobardos inter, & Græcos, ut magnum rebus suis emolumentum ab utrisqve consecuti sint. Sed postqvam Græcorum Imperatores sævire visi sunt in statuas, tum enimverò erecta est in Pontificum vertice crista adversus Imperatores, horumqve Imperio & se, & Romanos subduxerunt. Ex qvo *Longobardos* incessit cupiditas, debitas *Græco* nomini in Italia ditiones invadendi, jamqve ipsorum ambitio afflabat urbem Romam, cum Pontifex non cessurus imperio, qvod in urbe suis artibus molitus erat, Francorum opem exposcit,

ut

ut haberet ſubſidium potentiæ, cui contra Græcos æqvè, ac Longobardos inniteretur. Et hæc dominandi dulcedo, poſtqvam ſemel à Pontifice deguſtata eſt, per tot amara fulmina, Regumqve cenſuras poſteà deſæviit. Nemo ergo miretur, Pontificem aſſenſiſſe *Pipini* votis, in qvo uno retinendæ potentiæ ſpem collocabat, præſertim etiam, cum *ſpecioſum eſſet, qvi perfidia in Cæſarem debebat imperium, ſimilia molientem non deſerere.*

§. IV.

Interim, ut ad finem properem, non aliam hâc in cauſâ *Zachariæ* auctoritatem fuiſſe exercitam, exiſtimo, qvàm, qvæ permittitur illi, qvi qvæſtionem aliqvam ſibi propoſitam juſſus, aut exoratus decidit. *Zachariæ* enim, ut benè advertit ex *Seſelio Ludovici XII. Fr R.* Conſiliario *Fauch. f.* 410. 411. conſilium *Pipini* non proponebatut integrum, ſed involucris obtectum, nempe *ſatiusne ſit, illum in Francia Regem eſſe, qvi abs curis regiis luxu ac ſomnô diem tranſigeret, an verò illum, qvi pace, bellôqve inclytus regnum moderaretur?* Et licèt Papa ſatis intelligeret *Pipini* conſilia; molliùs tamen hæc accepiſſe viſus eſt, ne virum offenderet, in qvo uno *Romanæ potentiæ* ſpes recumberet. Nam, qvod *Martha cap.* 28. *num.* 12. refert, jam olim *Clodovæo* collatum eſſe ab *Hormiſda P. R.* Francorum regnum, id tanqvam fabulam facilè ſperno. De cætero, qvod abſolutionem à juramento fidelitatis attinet, qvam *Zacharias* peregit, non dubitem aſſerere, hìc Pontificem concreditæ poteſtatis terminos exceſſisſe, cùm etiam juramenta, ſi obligent, uti ſapienter monet *Servita lib.* 3. *p. m.* 303. *℣. era ancora &c.* à nemine mortalium diſſolvi poſſint; Sin minus, veniam non exigant, ſed molliorem Interpretis ſententiam, qvi in juramento vim non agnoſcat.

CAP.

CAP. IV.

An hæc Childerici depoſitio fuerit juſta?

SUMMARIA.

I. *Pipini injuſtitia non obeſt ejus Succeſſoribus. Alii defendunt Pipinum. Sed malè. Id qvod probatur ſex argumentis.*

II. *Refutantur Argumenta Bellarm. ducta* 1. *Ab eventûs felicitate.* 2. *à Regis inertiâ.* 3. *Ab eo, qvòd regnum non augeretur.* 4. *Ab eo, qvòd Religio jaceret, Bona Eccleſiæ à laicis poſſiderentur, Clerici haberent qvinqve etiam concubinas.*

§. I.

INterim Principum auctoritas, qvam tueri integram Reipubl. intereſt, ſed in *Childerico* læſa, à me hic exigit, ut de *facti hujus jure* pauca adiiciam. Hæc autem *Pipini in Merovæos* iniqvitas non obeſt, qvin ejus in regno ſucceſſores, *legitimi* Franciæ Reges habendi ſint. Titulus enim, & bona fides in regnorum translatione non adeò anxiè, uti privatos inter reqviritur, cùm, uti optimè notat ſcriptor ſanè eruditus *Laurent. à Dript. pag.* 284. 86. 87. *Anti decal.* ad juſtam regnorum poſſeſſionem præter temporis ſapientiorum arbitriô definiti diuturnitatem ex jure gentium voluntario nihil deſideretur. Ceterùm *Bebenb. cap.* 17. *& Bellarm. lib.* 2. *de R. P. cap.* 17. hanc Childerici exauctorationem, velut juſtam tuentur, qvanqvam ille molliùs, hic acriùs, non amore qvidem in *Pipinum*, ſed in *Zachariam*, ne hujus dignitas intercidat. Seqvar hic magnos ſcriptores, qvi hanc, ut vocant, depoſitionem planè injuſtam fuiſſe comprobant. Primò enim pravi exempli eſt, tueri factum populi, qvod ſemel collaudatum ſubditos armabit ſemper in Principem, qvoties aderit partium dux, qvi Principis bonitat

novei-

noverit insidiari. Imperii gloria Principi, obseqvii aliis relicta est. *Ulteriora mirari licet, sed præsentia seqvi decet, bonos Principes votô expetere, sed qvalescunqve tolerare subditorum est*, apud *Tacit. Hist.* 4. *cap.* 8. Rempubl. turbat, qvisqvis deponendi Principem jus populo concesserit, *cujus semper ultor est, qvisqvis succedit, Tacit. Hist.* 1. *cap.* 40. 44. Secundo. Inertia *Childerici*, qvæ in titulum, seu prætextum depositionis assumpta est, jam erat in Rege, qvô tempore à Patris obitu regnum adiit, ergò hæc in justam deponendi causam postea trahi non potuit, cùm etiam in aliis vitium, qvod tempore contractûs in oculis est, neqve ementem moratur, postea pactum non dissolvat. Tertio. Illi Principum in Franciâ mores jam tacito omnium consensu ab Avis, Atavisqve usqve recepti erant, molliores qvidem, nulli tamen graves, unde hoc *Pipini* facinus nunqvam approbabunt. Qvarto. Per hanc Regis inertiam nihil periculi redundabat in Franciam, cùm *Magistri palatii* in regnorum curas à Principe acciti hujus nomine domi, forisqve providerint, ne qvid Resp. detrimenti caperet. Qvinto. *Childericus* nec monitus est, nec auditus, qvod pessimum, sed *Pipini* astu in Regem insontem, sed stupidiorem decreta statim exauctoratio, & simul confecta: liceatne in Regem, qvod adversus privatum nefas est? *Bellarm.* viderit. Sexto. Sicut furioso, ac mente capto leges bona, ac hæreditatem non adimunt, sed per curatorem prospiciunt; ita multò minùs Rex fortè simplicior in Monachum radendus erat, qvi, licèt ipse mollior, per Magistros palatii belli, pacisqve negotia administrabat. Et mirari qvoqve licet illorum etiam temporum sanctitatem, qvibus hic Monasteriorum usus in *Arcana Imperii* jam transierat, & parùm curæ erat, gratumne Deo, si Princeps invitus, non ex pietatis amore, sed in dominantis securitatem in Monachorum claustra abducatur.

§. II.

§. II.

Bellarmini rationes non anxiè moror, cùm Regum jura, atqve auctoritatem evertant: Paucis lubet eas perstringere, ne læsa Principum dignitas inulta sit. Rogarem qvidem *Bellarm. num & Pontifici tergeminum illud diadema paribus de causis jure decuti possit?* nisi scirem, hunc *summum hominum esse, qvi neminem Mortalium agnoscat judicem, sed ipse cunctorum judex omnibus leges ferat.* 1. Dicit: *eventûs felicitas mutationis illius æqvitatem prodit.* Infelix felicitas, qvæ *Ottomannicæ* etiam domûs tyrannidem comprobat: eò jam deventum est, ut etiam scelera virtutibus prosperitatem præripiant. 2. *Rex erat iners.* qvid tum? tolerari id poterat. *erat simplex.* naturæ, non Principis vitium est, & hæc qvidem simplicitas sæpe prodest, si mollior sit, ne princeps ingenium in pravas artes acuat. *Sed regnum per se non administrabat.* Expeti id qvidem potest, sed non semper exigi: aderant *Palatii Magistri*, qvibus has curas Princeps permiserat, neqve hi negligebant Franciæ gloriam, nisi qvòd Reges ipsos negligerent. Mirari tamen licet, hæc obtendi à *Bellarm.* qvi sciebat, tolerari, ac foveri à suo Pontifice Episcopos, qvi titulum atqve opes trahunt ab Episcopatus sede, cui tamen nunqvam insident, neqve ignarus erat erat Canonici Canonicorum moris, qvi vocant in subsidium vicarios, qvi templorum fornices clamoribus impleant. Misera Principum, Regumqve conditio est, si nec Canonicorum regulâ digni sint. 3. *Non augebatur regnum.* Christianum id erat, suum cuiqve relinqvere, neqve armare dextram in hominum necem, Regum decus est. Qvod si tamen à *Bellarm.* in gratiam fortè *Julii II. P. R.* hi in regnis *Julii* exigantur, habebat illos in *Magistris Palatii*, qvi de hostibus geminatis sæpe victoriis triumphârunt. 4 *In Franciâ jacebat religio.* Cur Papa non erexit, qvi hujus curam sibi vendicat? Cur non admovit pedum pastor, qvò Regis sceptrum non pertingebat? mira tamen res est, de-

poni Regem ob rei illius *neglectum*, cujus *curæ* poſtea in Regum, atqve Imperatorum perniciem per Romanas Pontificum artes ceſſerunt. Sed qvomodo jacebat Religio? *Laici poßidebant bona Eccleſiaſtica.* Hæc ſpina pungit hos homines: evolvi qvandoqve debent his opibus, ſi Reipubl. interſit: gratias potiùs debent principibus, qvi effecerunt, ne, qvi Deo paupertatis votum *dixêre*, perjuri eſſent. Interim, ſi culpa erat, Magiſtrorum palatii ea fuit, qvi in Clientes ſuos ea contulerunt, uti Buſſier, & alii exponunt. Qvanqvam fortè non jure conqveri poſſint, cùm per illa tempora Eccleſiaſtici bona ſua non adminiſtrârint ipſi, ſed per certos Advocatos hæc cura ſuſcepta ſit, qvi, an in rem ſuam, ut fieri qvandoqve ſolet, nonnulla derivârint, mihi compertum non eſt. *Clerici habebant qvatuor, aut qvinqve ſæpe concubinas.* Atrox facinus. Non ergo mirer, acciſum ſibi pabulum conqveſtos, qvod in præferocia illa cornua nimiùm germinabat; Sed cur uxores non dedit Pontifex, ne prohibita ora cappæ involverent, aut ſaltem ſacrô cubili non expulit profanas illas hoſpites, qvi hos hædos ſuo tantum ſtabulo vindicabat Sed hæc temporum illorum labes erat, à qva nec ipſi *Magiſtri Palatii*, imò nec *Reges* eximebantur. Fruſtra autem id in prætextum depoſitionis Regiæ aſſumitur, cùm poſteriora tempora viderint publicô edictô permiſſas in Helvetia Clericis concubinas, ut uxorum pudicitiam avidis illorum manibus eriperent, uti *Servita lib.* 1. *del. Conc. p.* 18. *✱. che ogni prete foſſe tenuto &c.* ſilente adhæc *Pallavic.* commemorat. Nihil ergò afferri poteſt, qvod *Zachariam* ac *Pipinum* tueatur: ambitio facilè prætextû alitur, paſciturqve dominandi libido inani etiam ſpecie: nulla imperii peſtis capitalior eſſe poteſt, qvàm nimia privati hominis potentia, atqve auctoritas.

CAP.

CAP. V.

Qvinam errores tàm in Childerico, quàm in Pipino carpantur?

SUMMARIA.

I. *In qvo à Child. & Pipino peccatum sit? Childer. ipse non præfuit regno. Artes Ministrorum. Uni non debuit concedi nimia Potentia.*

II. *Pipinus Aulæ Romanæ ambitionem in Regnorum Jura exstimulavit. Dedit posteris exemplum idem attentandi.*

§. I.

POstqvam ſubjeci hujus tragœdiæ, qvam in *Childericum Pipinus* luſit, epilogum, prudentum qvoqve, qvi regnorum periti ſunt, judicia non pigebit adjungere. In utroqve autem errores notant, qvos tamen in *Childerico* qvippe ſtupidiori molliùs excuſant, & qvi proavorum ſocordiâ altiùs invaluerint, qvàm, ut *Childerici* induſtriâ ſubitò exſtirpari potuerint. Interim hæc prima tanti mali origo, qvòd regni curas neglexerit, ex qvibus tamen unicè Principis auctoritas, qvæ eſt anima Principum, creſcit. Ubi enim Reipubl. adminiſtratio derivatur à Principe in alios, potentia, & auctoritas dominanti debita in eos qvoqve tranſit, & Regi nil niſi vanum nomen, & fortè etiam contemtus ſupereſt. Hæc tamen ſæpiùs ad Miniſtrorum artes, qvàm ad Principis ingenium retulerim, qvi hûc flectunt, ut Principem *ad vitam procul ab regni negotiis amœnius agendam illiciant, qvò Princeps qvietis dulcedine mollitus munia imperii in horum arbitrium faciliùs tranſmittat, Tacit.*

An 4 *cap*. 41. Publica negotia per artes, adeò exaſperant, ut vel eorum memoria ſpinas figat. Vide *Vittor. Siri tom* 3. *Merc. lib.* 1. *p.* 208. Ubi *Ducis Olivarii*, qvem Aula *Madritenſis* eam ob cauſam dixit, *El eſpantazo dellos Reyes*, callitatem explicat. Gravior qvoqve hic error fuit, qvòd tantam *Palatii Magiſtris* potentiam conceſſerit. *Nil enim in Republ. periculoſius, qvàm nimia privati auctoritas, ac potentia, Boter. lib.* 4. *della ragion di ſtato. cap.* 6. *pag.* 128. cùm, ubi juſtos fines exceſſerit, in Principis exitium exundet. *Poſtqvam nihil amplius ſupereſt, qvod dare Princeps poſſit, precanda eſt hominis modeſtia, ut contentus ſit: prima dominandi ſpes in arduo, ubi qvis ingreſſus, adſunt ſtudia, & Miniſtri, validi qvidem ſpernendis honoribus, ſubdoli fingendis virtutibus, qvibus nova, & ancipitia præcolere, avida plerumqve ambitio eſt, Tacit. An.* 1. & 4. uti *formidoloſus paci vir inſignis, & ignavo Principi prægravis, Tacit. An.* 11. & *formidoloſum, privati hominis nomen ſupra Principis attolli, Tacit. Agric. cap.* 39. ita improvidi eſt, vulpem alere, qvæ domeſticos pullos devoratura ſit.

§. II.

Sed *Pipinus* pejora in Rempubl. intulit. Cum enim Pontifex Romanus tantam ſibi in regna deferri auctoritatem cerneret, in graviora exſtimulavit ipſe ambitionem, & contorſit ab Alpibus Vaticanus hic Jupiter in Galliæ Reges fulmina, qvæ *Pipinus* præpoſterô facinore cuderat. Sed hæc poſterior ætas luxit. Nec minùs incerta ſemper fuit in Gallia dominantis familiæ fortuna, poſtqvàm *Pipinus* evulgavit, *Reges ob ſocordiam, inertiamqve deponi poſſe.* Ipſa *Pipini* domus ſui facinoris exemplum in ſe prima perſenſit, qvam *Hugo Capetus An. Chr.* 988. regnô dejecit pari jure, qvô illa id occupârat. Et iidem *Carolingi* ad priſtinas redibant artes ſub *Henrico III.* ſuperiori ſeculo, uti Auctor *de l'Hiſt. des dern. troubl. de Fran. lib.* 1. multis explicat, vocabaturqve

Hen-

Henricus publicis etiam vocibus *Childericus*, & oſtentabat forficem *Guiſii* Soror, qvâ Rex in Monachum tondendus, V. Buſſier. volabat per omnium ora carmen, qvô *Henrici* fama, & fortuna lacerabatur, *f. 15. deviſe du Roy: Manet ultima cœlo: Qui dedit ante duas, unam abſtulit, altera nutat, Tertia tonſori nunc facienda manu.* Et præciſi fortè fuiſſent *Henrico* capilli, niſi fusô *Guiſiorum* cruore per Regis induſtriam torpuiſſet dextra, qvæ jam forficem Regio vertici aptabat. Ita Reges nunqvam ſoli peccant, ſed ab his exemplum in alios defluit. Sed plura additurum præfixa meta continet. Summus Princeps Deus ſummis, imisqve præfigat hanc metam, ut ad ea, qvæ ſcandere nefas eſt, non aſpirent, ſed ambitionem qvisqve ſiſtat in eo, qvod decora virtus exhibet.

DISSERTATIO HISTORICA

Ad

Severin. de Monzamb. Cap. I. §. 12. 13. 14. 15.

DE

LUDIBRIIS AULÆ ROMANÆ,

In

TRANSLATIONE IMPERII ROMANI,

Q. D. B. V.

PROOIMION.

OPus molior, incertus animi, acriorem ne Romanorum calliditatem, & abstrusas dominandi artes, an candidiorem Germanicæ nationis simplicitatem exhibiturus veniam. Loqvor Romani translationem Imperii, qvod Pontificum, ut volunt, beneficiô à Græcis ad Francos, ab his deinde ad Germanos velut sub hastâ publicæ expositum licitationi devolutum est. Non enim sum nescius, qvàm dicaci arrogantiâ genti nostræ à Curiâ Romanâ hucusqve illusum sit, qvæ artium callida, qvibus per objectam titulorum imaginem circumagantur homines, Romani nomen Imperii Germaniæ suô unius concessum nutu, atqve auctoritate & gloriatur, & ad contumeliam usque & opprobria non raró exprobrat. Qva tamen in re cùm ne exilem

qui-

qvidem casam Romani Pastoris beneficiô obtineri à Germania comperiam, non possum non admirari rerum humanarum ludibria, dum à Servo servorum venum exponi conspicio dominantium titulos: transferri, dariqve Imperia, & tamen è dantis manu ne vel agrestem domum accipi: suscitari emortui jampridem nomen Imperii, sed qvò prisca regnorum libertas emoriatur: novam cudi coronam, sed qvam nemo accipiat, nisi reliqvas ad imponentis pedes deponat, imò nec verè accipiat: porrigi Sceptrum, sed qvod servitutis, non imperii argumentum sit. Postqvam enim Germania Romani nomen Imperii sibi indi passa est, prisca illa libertas in servitutem abiit, qvam, ut à Curia Romanâ coëmeret, tot opibus tantôqve sangvine opus fuit. Usqve adeo verum est, ab Aqvilæ pennis alias, si qvas junxeris, absumi. *Hinc ab ætate Hildebrandi seu Gregorii VII. Monarchiæ Pontificiæ Dictatoris ad nostra usqve tempora exactum tàm contumaciter à tot Germaniæ Regibus obedientiæ Sacramentum, obtrusa, aut ferociùs denegata adepti Imperii confirmatio, erasa tam acri odiô è Principum, Electorumqve tabulis tot sublimia nomina, eversa Regum jura, pax turbata, & qvæ aliæ Curiæ Romanæ obtrusit audacia & calliditas. Interim, cùm tot malorum originem ex decantata illa* Imperii Romani in Carolum & Ottonem MM. translatione *derivari comperiam, constetqve hæc Romanis sententia, Imperium Romanum esse feudum Germaniæ concessum à Pontifice, lubet absqve irâ & studio hanc translationem Duce Sever. de Monzamb.*

præ-

præcelſi Ingenii viro aliqvantò altiùs expendere, ut, ſi pateat beneficium, liceat Romanam adorare pietatem, & adversùs Germanos benignitatem; Sin fucus è Vaticano, fallentium dolos & artes deteſtari.

CAP. I.

Exponitur ſtatus Imperii Romani ab Auguſto usq; ad Carolum M.

SUMMARIA.

I. *Auguſtus primus Imperator. Arcanum Imperii, a milite dependere Imperii Roman. conceſſionem. Hòc evulgatô miſera Imperii, & Imperatorum conditio. Par tragœdia in Curiâ Papali olim luſa. Qvodnam remedium inventum?*

II. *Conſtantinus maturavit ruinam Imperii. Qvô modo? Transfert ſedem in Thraciam.*

III. *Et Theodoſius maturavit exitium Imper. Diviſit Imperium. Origo bicipitis Aqvilæ. Irruptio Barbarorum in Imp. Roman. Regnum Francor. qvando conditum?*

IV. *Irruptio Gothorum in Imp. Rom. Rhadagiſus occiditur. Colitur ut Deus à Mecklemb. Roma capitur à Gothis Alaricô Duce. Iterumq; Aiſtulphô.*

V. *Rurſum à Vandalis. Irruptio Hunnorum. Venet. Urbs qvando ceperit. Qvando finis Impoſitus Imp. Occid.*

VI. *Initium regni Gothici in Italiâ. Roma Gothis paret. Sedes regni Gothici qvænam? Epiſcopus Romanus Gothorum Regi ſubjectus.*

VII. *Regnum Gothorum qvando deſtructum. Status Italiæ poſt Gothos. Exarchi Græcorum. Qvando ceperit regnum Longobard. in Ital. Imperium Græcorum in Italia deficit. Qva de cauſa? Pontifex Rom. molitur novum Imperium.*

VIII.

VIII. *Qvando enatum sit Patrimonium S Petri & qvomodo? Arcanum domin. Ecclesiastica.*

IX. *Longobardi aspirant ad Imp. Italiæ. Pontifex Francos evocat. Longobardi compescuntur à Pipino. Plurimæ urbes traduntur Pontifici. An Pipinus jus directi dominii retinuerit? Pipinus accipit nomen Regis Christianissimi. Aulæ Romanæ Arcanum in concedendis titulis. Desiderius capitur. Finis Regni Longobardici. Carolus fit Advocatus Ecclesiæ Romanæ.*

§. I.

CUm ad an. usqve 800 à Christo nato nullus è Francorum Regibus Romani Imperatoris nomen habuerit, sed in *Carolo M.* primùm inceperit, non erit abs re, breviùs exponere, ad qvam conditionem antiquum Romanorum Imperium ante *Carolum M.* redactum sit, ut, qvid *Carolus*, aliiqve per titulum istum acceperint, integrè dijudicari possit. *Augustus* itaqve, qvi eversâ Republ. primus cuncta discordiis civilibus fessa nomine Principis sub Imperium accepit, uti militum ope regiam potestatem acqvisiverat, ità tanqvam præcipuum Regni arcanum, curatissimis involvendum simulacris, & vulgi militaris intelligentiâ submovendum transmisit ad Successores, *penès militarem manum esse vim constituendi Imperatores; Senatum autem, populumqve Romanum imbellia esse nomina, illudendæ simplici plebeculæ adhibita, qvasi universorum ultroneus consensus Imperium daret.* Et *Tiberius* qvidem anxius rerum provisor, & arcanorum Imperii callidus, licèt ab excessu Augusti simulatione recusantis sese involveret, Senatuiqve illuderet, signum tamen prætoriis cohortibus statim, ut Imperator dedit, miles in forum, miles in curiam comitabatur, & qvanqvam speciem antiqvitatis Senatui, ac Magistratibus

relinqveret, rei tamen militaris curam sibi seposuit, & adversùs talia ausos exercuit iram, atqve ultionem, velut qvi arcana Imperii tentâssent. Evulgatô autem Imperii arcanô, *posse alibi Principem, qvàm Romæ fieri, & à milite Imperium Romamanum dari, ac transferri obliteratis S. P. Q. R. nominibus*, misera enimvero Imperatorum, Imperiiqve fuit conditio, dum exorta tot bella civilia, tot Imperatores interemti, ipsumqve Imperium perpetuis hisce motibus concussum tandem cœpit collabi. Parem tragœdiam Seculô decimô qvartô lusit Curia Papalis, (juvat hæc de illa, qvæ Veterum Imperatorum jura invasit, breviùs annectere) postqvam à *Clemente V.* qvi Avenionem transtulit Pontificiam sedem, evulgatum est, *posse alibi, qvàm Romæ Pontificem fieri.* Etenim post *Gregorii XI.* obitum *An.* 1378. diversis Pontificibus scissus est orbis, dum alium Gallia, alium Roma adoravit, immugiitqve etiam adversis fulminibus Papale cœlum, cùm sese ipsa hæc Ecclesiæ capita mutuò abscinderent. Cui tamen periculo Curiæ Romanæ solertia nostris temporibus remedium à Religione qvæsivit, cùm hodiè etiam inter articulos fidei insertum sit, *non posse alibi, qvàm Romæ Pontificem esse*, qvanqvam prudentibus ludibrium hæc aula debeat, qvod tam vanis terroribus orbem circumagi posse credat. Sed hæc obiter.

§. II.

Interim *Constantinus*, qvi *An. Chr.* 306. Imperium invasit, hujus ob militarem illam licentiam jam labascentis ruinam maturâsse visus est, dum validissimas, qvæ Rheni ripam tutabantur, legiones in Orientem dimovit, aperuitqve barbaris portam, per qvam in Imperii Romani provincias irrumperent. Etenim cùm Romanorum vereretur ferociam, qvi antiqvæ libertatis memores nec jugum, nec sessorem perpeti poterant, vidissetqve tot civilia bella Romanorum ambitione plerumqve accensa, novum firmando sibi Imperio consilium iniit, amplexusqve Christianam pietatem

abo-

abolitis Gentilium idolis Imperii ſedem in aſſuetam jam ſervituti *Thraciam*, ſubactumqve longô jam jugô Orientem tranſtulit, & *Byzantium* delegit, ubi urbem ſuo à nomine dictam conſtruxit, ad cujus augendam amplitudinem totius penè orbis ſpolia ab ipſo collata ſunt: Urbem ipſam titulis atqve honoribus *νέαν ῥώμην* habendam cenſuit, ut veterem deprimeret, tranſtulitqve illûc multas Romanorum familias, qvorum ferociam *thracicô* cœlô emolliret, ac ſenſim ſervituti aſſuefaceret. Ità Conſtantinus ipſe Occidentales Imperii provincias dimotis in orientem legionibus barbarorum furori aperuit.

§. III.

Poſt varias deinde ſucceſsionum vices *Theodoſius an. Chr.* 379. factus Imperator, ultimam ipſe manum deſtruendo Imperio moriturus admovit, dum duos in filios, ſed ignaviſsimæ Indolis, *Arcadium* & *Honorium* diviſit imperium, huic attribuens *Occidentem*, illi *Orientem*, præpoſtero ſanè conſilio, cùm duo exinde regna extiterint, non alii ſanè uſui, qvàm ut divulſus Orienti Occidens barbaris eò facilius ſuccumberet, & *Aqvila*, qvæ per hanc occaſionem *biceps* enata eſt, & ad noſtra usqve tempora, qvanqvam ſat inani nomine inſuetam hanc formam retinuit, ab aliis volucribus diſcerperetur. Etenim ſub exitum ſeculi qvarti, maximè autem ſeculô qvintô effuſi velut conſpiratione qvâdam in *Italiam*, *Galliam*, atqve *Hiſpaniam* barbari Romanorum Imperio finem impoſuerunt. *Alani*, *Vandali*, ac *Suevi* Gallias depopulati, ſuperatis deinde Pyrenæis montibus Hiſpanias *An. Chr.* 409. occuparunt: *Galæciam Vandali*, & *Suevi*: *Alani Luſitaniam*, ac provinciam *Carthaginenſem*: *Silingi* alterum *Vandalorum* genus *Bæticam* invaſerunt, *Africam* autem *Vandalorum* Reges inſederunt, qvorum Regem ultimum *Gilimerem Juſtinianus* Imp. duce *Beliſario* devicit, redegitq; *Africam* iterum in provinciam Romanam, donec ſub *Heraclio Saraceni* ſeculô ſeptimô eam invaſerunt.

 Fran-

Franci qvoqve ſub initium ſeculi qvinti novum in Gallia ſtruxere Imperium, qvod magnis deinde acceſſibus auctum maximorum Regum gloriâ eminuit.

§. IV.

Gothi qvoqve Svediæ ac Norwegiæ populi eâdem tempeſtate Imperium ſuum per Galliam, Hiſpaniam, atqve Italiam longè latèqve extenderunt. Poſt obitum enim *Theodoſii An. Chr.* 393. ſub *Honorio Rhadagiſus* Gothorum Princeps irrupit in Italiam formidandô ſtipatus exercitu, qvam tamen barbarorum multitudinem *Stilico* Conſul Feſulanis incluſam montibus internecione propemodum delevit, cæsô ipsô Rhadagisô, qvem poſtea Obotriti ſeu Mecklenburgenſes Deum coluerunt, *Radegaſt* appellatum, cujus rei memoriam hoc in ducatu oppidum Gadebuſch / h. e. lucus Dei *Radegaſt* adhuc retinet, oſtentatqve metalli genus cunctis ignotum artificibus, velut coronæ ſtatuæ Radegaſti reliqvias. Sed *Rhadagisô* felicior *Alaricus*, qvi novis armatus copiis Romam bienniô obſeſſam *An. Chr.* 410. dolô cepit, ac depopulatus eſt, *Honoriô* Imp. hæc inter adeo ſocordi, ut, cùm Romam perditam nunciatum eſſet, id de catello, aut pugnaci gallo, cui *Romæ* nomen indiderat, relatum eſſe crediderit, admiratus, tàm ſubitò periiſſe eum, qvocum paulò ante feſtivisſimè luſerat. *Alaricum* excepit *Aiſtulphus*, qvi Romam iterum diripuit, funditùs qvoqve eam everſurus, niſi *Placidiæ Honorii* ſororis, qvam uxorem habebat, blandimentis delinitus furorem compeſcuiſſet.

§. V.

Sub hæc *Genſericus Vandalorum* Rex ex Africâ excitus in Italiam, Romam à ſe captam per 14. dies diripuit, & magis adhuc ſurebat *Hunnus Attila*, Dei flagellum dictus, cujus iræ *Veneti* urbem ſuam debent; brevior tamen hic furor erat, cùm *Attila* tandem in Galliis à *Thorismundo* Gothorum Rege præliô victus An. 454. obierit. Poſt varias deinde mutationes *An. Chr.* 480. *Auguſtulus* ſeu *Momyllus*

Im-

Imperator occidentis factus est. Sub hoc *Odoacer Rugiorum* Rex cum *Scyris* atqve *Herulis* auxiliaribus Italiam occupavit, cœsôqve *Oreste Augustuli* patre *Augustulum* in Campaniam relegavit, atqve ita Imperio Occidentali finis impositus est, dum, qvod auxit *Augustus*, *Augustulus* diminuit imò comminuit *An. Chr.* 476.

§. VI.

Interim hic *Odoacer*, postqvam Italiam 17. annis tenuisset, à *Theodorico* Gothorum Rege, tertiô etiam præliô in fugam actus in convivio ab eodem An. 493. interfectus est, Gothisqve Italiæ Imperium reliqvit, qvod ad An. 553. penès Gothicos *Theodorici* successores permansit. *Ravennam* autem regni sedem retinebant, ex qvâ ipsi etiam Romæ, qvæ & antea reliqvis provinciis non deteriori jure, qvàm qvô partæ fuerant, exciderat, & nunc propriæ libertatis jacturam experiebatur, leges dabant. Ex qvo *Ravennæ* inter ac Romæ Episcopos diuturna æmulatio extitit, qvod hic veterem urbis dignitatem, ac nescio, qvam Petri sedem, ille sedem regni obtenderet. Interim ipse Episcopus Romanus Gothorum Regibus, Arrianæ licet factionis, parebat, è qvibus *Theodoricus* sublatô schismate, qvod An. 498. *Laurentius* Anti Papa excitârat, *Symmacho* Episcopatum firmavit, & *Johannem I.* qvi *Hormisdæ* An. 523. successerat, legatum misit ad *Justinum*, ut ab Arrianis injuriam abstineret, qvod multis etiam lachrymis *Johannes* à *Justino* impetravit, Sed redux ob initam cum *Justino* conspirationem Ravennæ in carcerem conjectus obiit. Ex qvibus patet 1. Romam destructô jam imperiô tum fuisse regni Gothici partem 2. vim Imperii in Romam, ejusqve Episcopum penès Gothorum Reges, qvi Ravennam regni sedem delegerant, resedisse. 3. Nihil illa tempestate de *Patrimonio S. Petri* inauditum esse. Qvomodo autem hæc omnia postea mutata sint, infrà memorabitur. Neq; omitterem explicare, qvà ratione per has gentium mixtiones tanta linguarum *Italicæ*, *Hisp. Gallicæ* &c. diver-

diversitas enata sit, permanseritqve in publico *Sacrorum civiliumqve* exercitio sola *lingua Latina*, nisi id jam aliàs speciali dissertatione explicatum esset.

§. VII.

Sub *Justiniano* tandem ab An. *Chr.* 535. regnum Gothicum in Italia cepit labascere. Postqvam enim *Belisarius* multis præliis Gothorum potentiam fregisset, à *Totila* qvidem magna prudentiâ sed non duraturâ felicitate restitutam, *An. Chr.* 553. *Thejâ* Gothorum Rege ultimô in acie cœsô cum Gothis per *Narsetem* debellatum est, Gothicoqve regno finis impositus. Ex qvo Roma & magna Italiæ pars novos iterum dominos nacta Græcorum imperio adjuncta est, etsi ad sociæ potius & comparis, qvam subjectæ modum ob antiqvi venerationem fastigii, & qvòd Constantinopoleos se matrem ferret, tractaretur. Iterum tamen in Imperii sedem Ravenna assumpta, qvò ex oriente submissi ab Imperatoribus *Exarchi* seu Præfecti Romæ, & per alia Italiæ loca Græcis parentia Imperium exercuêre. Interim & hunc Italiæ statum nova natio turbavit. *Longobardi* enim veteris Germaniæ populi sub Rege *Alboino* novum in Italiâ ab *An. Chr.* 568. regnum condiderunt in eâ parte Italiæ, qvæ olim Gallia Cisalpina, hodie verò Lombardia dicta, qvæ mari Ligustico, Apennino & Alpibus concluditur, in qva sedes regni fuit *Papia*, qvæ & *Ticinum* appellatur. Gliscentem Longobardorum potentiam tota fermè Italia fovebat, qvæ ob Exarchorum petulantiam atqve libidinem acerrimô odiô flagrabat adversùm Græcos, excutiendiqve Imperii occasionem indies exspectabat, & nihil deerat multitudini, qvàm dux, qvem *Exarchorum* avaritiæ opponeret: Tantum valuit Græcorum libido, & *Longini* in Virgines, uxoresqve exercita vis, ac rapientium audacia tam immane odium accendit, qvô Græcorum deinde in Italia exustum est imperium. Licèt autem adversum *Longobardos* utcunqve adhuc tutarentur Italiæ partem, excutiendi tamen Imperii consilium

apud

apud Italos maturuit, postqvam *Philippicus* ac *Leo Isaurus* publicô edictô in oriente sanctorum imagines aboleverant. Postqvam enim id Romam pervenerat, incredibile dictu est, qvàm incensus sit *Gregorii II. P. R.* animus, præsertim, cùm Imperatoris sententia *An. Chr.* 754. in 338. Episcorum Synodo Constantinopoli firmata esset. Cùmqve *Leonis* consilium *Gregorius* per literas cohibere non posset, Imperatorem, ut qvidam volunt, subjecit anathemati, & Romam, & qvidqvid Italiæ reliquum erat, à Græcorum abstraxit imperio, tributaqve iis ultra pendi prohibuit. Et *Gregorius* qvidem cùm animadverteret, ob illa Græcorum decreta, solicitis, suspensisqve populis nullam ferè partem Reip. lætam, utendum sibi duxit illâ rerum opportunitate, ratus, si ipse versis in contrarium decretis, propositisqve edictis populorum animos à Græcis mirum qvantum alienos firmaret, aleretqve odia, prorepturum se ad urbis Romæ dominium, qvò destinare spes suas jam pridem impellebatur, præsertim cùm reliqvi gliscente indies malo in Romanum Episcopum magnâ auctoritate præcellentem adverterent oculos, qvem potentiæ avidum noverant. Et facile qvoqve erat, flectere pro arbitrio populorum animos, postqvam sacer ille horror, ac religionis reverentia cunctos invaserat.

§. VIII.

Inter has ergo publicas discordias Romæ sibi sensim firmavit Imperium Pontifex, dum Respubl discordiis civilibus fessa, suspectô, invisôqve Græcorum imperio ob præfectorum tyrannidem, ac Magistratuum avaritiam, invalidô legum auxiliô, qvæ vi, ac pecuniâ turbabantur, alium rerum statum jam pridem expectabat. Cùm verò pontifex terrenos dominos jam pridem pertæsus (qvod nemo etiam *Christi Vicario* exprobrabit) à novi Principis, qvem dominum ascisceret, imperio abhorreret, simulqve formidaret invidiam, si propriô nomine Græcorum in Italiâ Imperium invaderet, maluit è cœlo *S. Petrum* Romæ, ceterisqve ditionibus imponere

ponere dominum, *Patrimoniumqve Apoſtolorum Principi* conſtituere, cujus ipſe velut ſucceſſor partes obiret, callidô ſanè conſiliô, qvod inter *dominatûs Eccleſiaſtici Arcana* referendum eſt, cùm ſancti illius nominis reverentiâ Principes à captando Romæ imperio poſſet depellere, Petrusqve facilè placari poſſe crederetur, ſi fortè minor patrimonii ejus cura gereretur. Interim turbatô hoc rerum ſtatu inviſum illud curiæ Romanæ onus ſtatim excuſſum eſt, *Confirmatio* nempe *Pontificis à Clero, populoqve electi ab Imperatore peracta, pecuniæqve exhibitio*, qvæ ſanctas illas animas jampridem graviter urebant.

§. IX.

Etſi autem hos inter motus Græcorum Cæſares frenandæ Pontificum licentiæ conſilia agitarent, interrupere tamen illa in oriente *Saraceni*, & in Italia *Longobardi* turbidis his rebus propagando intenti imperio Græcorum ſpem planè exciderunt. Etenim poſtqvam *Luitprandus* Româ bis obſeſſâ Francorum, qvos *Gregorius III.* in ſubſidium evocârat, minis abſterritus eſt. *Aiſtulphus* ab ejus obitu toti Italiæ intentus Ravennam Exarchorum ſedem, *Eutychiô* Exarchorum ultimô in Græciam fugâ elapsô, occupavit, finemqve Græcorum Exarchatui, qvi annos ferè 185. perdurârat, circa *An. Chr.* 752. impoſuit. Et jam ipſam Romam, qvæ ſola reſtabat, acri obſidione premebat, (credo, qvod ſimplex ævum nondum caperet, *qvô titulô* firmaretur *Petri patrimonium*) cùm exin commotus Pontifex *Stephanus Zachariæ III.* ſucceſſor in Franciam ad *Pipinum* Regem ſe proripit, ejusqve opem adverſus Longobardos, qvos *Viperæ germen, Sathanæqve mancipia, orco excluſum genus* appellabat, qvanqvam recenti adhuc memoriâ, cùm à Græcis timor eſſet, multum laudatos, implorat. *Pipinus* ſubmiſſô legatô hominem monet, ne *Sedi Petri* moleſtus ſit, Româ abſcederet: *Aiſtulphus*, bellum ſibi cum Græcis eſſe reſpondit, horum urbes à ſe premi, eſſe ſibi cum Pontifice amicitiam, ſimulqve

ad

ad legatum addit, qvodnam esset *Romanorum Pontificum* imperium, Græco Cæsari eos recenti etiam memoriâ paruisse, Interim se copias Romanis ex finibus educturum, qvod amori in Pipinum ac benevolentiæ daret, sed Ravennâ non abscessurum. Sed *Stephanus* graviter indoluit, subortisqve etiam lachrymis *Pipinum Petri* non deserendi admonuit, qvi *An. Chr.* 755. *Aistulphum* armatus adegit, ut fidem daret, se loca *Stephano*, qvæ prætenderet redditurum: sed hiantem deludebat *Aistulphus:* unde à *Stephano* literæ ad *Pipinum* missæ, qvibus ad sustinendam *Petri* causam adjectis qvoqve cœlestibus minis graviter admonetur, cùmqve moram traheret *Pipinus*, additæ confestim literæ, qvasi ab ipso *Petro* è cœlo scriptæ, submissæqve, qvæ in fraudem confictæ risum legenti eliciunt. Ergò *Pipinus* motis in Italiam copiis Longobardum armis coëgit, ut locis abscederet, memorantqve scriptores, Pipinum 13. Urbes Exarchatui aliàs insertas, 16. Urbes pentapolis innexas dominio unà cum pluribus pagis, villisqve, velut *ad S Petri patrimonium* pertinentes, tradidisse. An autem *jus regium* seu *supremum*, ut vocant, *dominium* sibi reservârit *Pipinus*, atqve *Utile* tantùm concesserit Ecclesiæ Romanæ, video inter Auctores acriter disceptari; qvod tamen facile negaverim, cùm *Pipinus* neqve jus ullum antea has in ditiones sibi arrogârit, neqve de novo sibi per expeditionem illam acqvisiverit, utpote amicus in subsidium *S. Petri* evocatus, adeo, ut traditio illa non habuerit vim *veræ concessionis*, sed *restitutionis* illius Imperii, qvod sub specie *Patrimonii S. Petri* per dolos atqve artes Pontifex antea invaserat. Ne tamen P*ipinus* post tantas opes Ecclesiæ relictas mæstus discederet, præter gloriam defensi P*etri Christiqve Vicarii*, titulum *Regis Christianissimi* Aulæ Romanæ beneficiô in Galliam retulit, primus, cui Ecclesia Romana productô ad nostra usqve tempora hoc *Imperii Arcanô*, titulorum ex ærario suo verbali, ubi de rebus agitur, ad prodigium usqve prodiga, hâc vanitate illusit; ne qvis etiam in eâ

illud Petri, cujus successionem amat, *qvod habeo, hoc tibi do*, desideret. Interim *Longobardorum* consilia nondum planè exspiraverant. *Desiderius* enim ad novas turbas *An. Chr.* 772. devolutus arma adversùs Romanos iterum induerat: Unde *Hadrianus* 1. jactis primò incassum minis *Carolum M.* excivit in auxilium, qvi jam alio ex capite infensus *Desiderio* superatis Alpibus exercitum in Italiam traduxit, ac *Desiderium* Regem ultimum, Ticini, qvò fugerat, captum, in Franciam abduxit, ultima qvoqve ibidem postea perpessum. Ita finis *Longobardorum regno* impositus, qvod in Francos transiit, sed brevi gaudiô, cùm iisdem postea artibus, qvibus Pontifex ceteros antea everterat, ex Italia ejecti sint, ut constaret omnibus, qvid tandem à *S. Petro* exspectandum, si cleri ditati gloriâ Principes contenti esse nolint. Sub hæc *Carolus Ecclesiæ Advocatus* Romæ ab *Hadriano* constitutus in Franciam remeavit, donec novis excitus turbis *Imperatoris nomen An. Chr.* 800. adeptus est, uti mox declarabitur. Vid. *Machiav. lib.* 1. *delle. Hist. Fior. à pag.* 1. *ad* 11. *ubi mutationes illas optimè explicat.*

CAP. II.

Proponitur species facti in translatione Imperii Romani in Carolum M.

SUMMARIA.

I. *Carolus fit Patricius Roman. Qvid fuerit Patritiatus? An simplex dignitas? An simul potestas & officium? Carolus fit Advocatus Ecclesiæ.*

II. *Carolus accipit nomen Imperatoris. Solius Papæ pedes osculantur Principes. An Carolus ignoraverit Pontificis Consilium? Ob græcos dissimulat.*

§. I.

§. I.

QVibus mutationibus convulſum ſit Imperium Romanum, qvibusqve artibus ex ejus ruina novum ſibi regnum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus tandem erexerit, jam memoratum eſt. Poſtqvam autem has inter turbas nomen *Imperatoris occidentalis* ſimul occiderat, aut fortè in Eccleſiæ ærario anxiè adhuc deliteſceret, in *Carolum M.* deniqve ſub exitum *An.* 800. à Pontificè collatum eſt; qvod, qvâ ratione peractum ſit, paucis juvat explicatum dare. Et ter qvidem Romæ *Carolus* adfuit: *primô An. Chr.* 755. qvo *Pipinus* pater *S. Petro* tot urbes, ut ſupra dixi, reſtituit, unâ cum fratre *Carolomanno* in *Urbis Romæ patritium* aſſumptus eſt, uti patet ex literis *Stephani III.* apud *Baron.* ad *An* 755. 768. 770. Qvid autem hôc nomine acceperit, non adeò compertum eſt. Id conſtat ex *Guerin. Soacio de Rom. & Venet. Magiſtr. compar. pag.* 130. 131. poſt tempora *Conſtantini Patritios* fuiſſe, qvos in *Patres* ſibi Princeps elegit *l. fin. C. de conſul.* Etſi autem ſub initium *Senatus Romani Principes* fuerint, ac velut communes patriæ patres Reipubl. curam geſſerint, uti ex *Suida* non malè notat *Fauchet de l'origin. des dignitez &c. chap.* 1. *f.* 46. lapſu tamen temporis in ſimplicem tantum honorem ambitio detorſit. *Juſtinianus* enim *Ebrimirum* Gothum ad Patritii dignitatem evexit, & *Clodovæo* Francorum Regi *Anaſtaſius* Patritii titulum, nomenqve cum coronâ aurea per Oratores miſit, qvos tamen in partes curarum Imperii aſſumtos, nemo dixerit. Interim, poſtqvam Pontifices ad Romæ, vicinarumqve urbium Imperium cœperant adſpirare, rebusqve ſuis *Longobardos* inter ac Græcos medii non parum metuerent, novos qvoqve patritios, velut Reipubl. patres conſtituerunt, qvibus ob temporum neceſſitatem priſcam poteſtatem eſſe permiſſam ex veteri gloſſa *diſt.* 63. *C. Adrian.* aliisqve argumentis mihi facilè perſuadeo, præſertim, cum ipſi Romani apud *Otton. Friſing. lib.* 7. *cap.* 31. & *Baron. ad An.* 1144. *num.* 4. id ſatis in-

insinuent. *Carolum* autem *M.* hoc *Patritiatûs* jure ante *An. Chr.* 772. usum esse, non comperio, qvô Romæ secundùm adfuit, captòqve *Desideriô Advocatus Ecclesiæ* declaratus est, id refert *Platina in Adrian I.* qvi titulus ex veteri more olim recepto, sed postea Clericorum artibus, qvi Advocatos Ecclesiæ, ac Monasteriorum amoliti sunt, antiqvato, bonorum Ecclesiæ curam, speciemqve aliqvam Imperii in ipsos Ecclesiasticos *Carolo* permittebat, qvi etiam, cùm in Franciam remearet, Ducem *Spoletanum* hac in re vices suas Romæ obiturum (*Missum*, seu *Commissarium* vocabant) destinâsse scribitur.

§. II.

An. deniqve 800. Carolus Romæ tertiùm adfuit, caussam *Leonis III. P. R.* compositurus, qvi *An.* 799. publicâ in processione, ut vocant, à *Paschali*, & *Campulo* captus, cæsusqve ad *Carolum* in Franciam profugerat. Nisi autem constaret, fortuita etiam ad Majestatis Pontificiæ venerationem detorqveri callidè ab Aulæ Romanæ adulatoribus, vanissimos mortalium dicerem, qvi linguam, oculosqve inusitatô prodigiô *Leoni* à Deo restitutos esse confingunt, audentqve adhæc ex *Anastasio*, nescio, qvam judicii formam expingere, qvô *Carolus Leonis* caussam suô arbitriô terminandam abnuerit, qvod ex *Annal. Franc.* satis refellitur. *Leo* ergo ita dignitati restitutus ipsô Chrsti nati die in Basilica *S. Petri*, cùm omnes proceres, Senàtus, Populusqve Romanus convenissent, *Carolo M.* qvi ad aram precaturus accesserat, diadema Imperiale imposuit, palliumqve indidit, populô acclamante, *Carolo Augusto, à Deo coronato, Magno & Pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria*, Carolumqve Imperatorem salutatum de genu adoravit, qvorum postremum hodie non absqve indignatione legunt Pontifices, vel ipsi *Leoni* exprobrantes vilissimam Majestatis Pontificiæ oblivionem, cùm ex Dictatoris *Hildebrandi* seu *Gregorii VII.* præscripto solius Papæ pedes etiam ab

Im-

Imperatoribus deosculandi sint. Memorat autem *Eginhartus in vita Caroli*, Carolum *Imperatoris & Augusti nomen primò tantùm aversatum esse, ut affirmaret, se eô die, qvamvis præcipua solennitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset.* Ex qvo concepta est in nonnullorum animis suspicio, qvasi hic actus ab Aula Pontificia per modum fabulæ postea vulgatus sit, cum digerere non possint, qvâ ratione Carolus tot Ministris in urbe Roma circumseptus, ac veteris prudentiæ Princeps illa Pontificis de concedendo Imperatoris nomine consilia, in qvorum tamen partem absqve dubio Senatus assumptus erat, ignorâsse dicatur, præsertim cùm tota urbs, ut ex gratulationis formula patet, hunc in finem confluxerit, ut jam antea rem illam vulgatam fuisse credendum sit. Hæc tamen facilè sperno, cùm Carolum, ex uno illud Imperatoris nomen jampridem ambiisse ex *Fauch. volum. 2. des Antiqvit. Franc. liv. 2. chap. 9. f. 522.* comperiam, ac deinde consilii Papalis notitiam ex arte dissimulatam, ut, qvâ fronte à Græcis *Imperatorii nominis* Carolo delati nuntius acciperetur, primùm exploraret, qvibus jam suspecta Francorum potentia, adeo ut in diverbium abierit, τὸν Φράγκον φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς, & ex novo illo nomine animus adhuc magis exulcerabatur, qvasi imperium eis erepturus esset, *Eginhart. in vita Carol.*

§. III.

Interim hic actus acrem disputandi materiam præbuit, *qvid Carolus per hoc Imperatoris Romani nomen acceperit? An per id Imperium Romanum verè in Carolum translatum sit? An tantùm in urbem Romam, vicinasqve ditiones patrimonio S. Petri innexas Imperium acceperit? A qvo id beneficii concessum, an à solo Pontifice, an etiam à Senatu, Populoqve Romano? an cumulativè, an privativè? An verò nuda tantùm Advocatia Carolo sub nomine Imperii Romani tradita*

dita ſit? An in perſona Caroli M. ad Germanos qvoqve illud Imperium translatum ſit? qvæ omnia ſeqventibus expediam, qvantum Hiſtorici muneris ratio permiſerit.

CAP. III.

An Imperium Romanum Occidentale in Carolum M. ſub nomine Imperatoris collatum ſit?

SUMMARIA.

I. *Imperium Romanum non eſt verè translatum in Carolum M. Tribus id rationibus comprobatur.*

II. *Exceptio Bellarm. confutatur. Carolus M. non retinuit regna ſua ut Imperator. Carolus non ſubjecit regna ſua Imp. Rom. Francorum Reges nunqvam fuerunt ſubjecti Imper. Græcor. Carolus non accepit jus in provincias ab Imp. Romano jam ſejunctas. Qvô jure Roma olim orbi imperaverit. An in Imp. à populo per legem Regiam translata ſit poteſtas? Imperator nullum jus habet in regna ab Imperio ſeparata. Titulus præſcriptionis optimus in regnorum translatione. Turca & Papa ſunt legitimi Principes ſuis in ditionibus.*

III. *Res transferenda debet eſſe in poteſtate transferentis. Neqve Papa, neqve Populus Romanus jus habebat in Imper. Rom. Qvam ob cauſam? Papæ Arcanum Imperii in rebus donandis, qvas tamen non habet.*

IV. *Papa non habet jus in regna & Imperia. Donatio Conſtantini repellitur, hæc à Papis callidè conficta. Papa ut Vicarius Chriſti, & Paſtor Eccleſ. non habet jus in orbem. Refutantur argumenta Baronii. Paſcere oves non eſt mactare oves, & deglubere. Principes non ſunt oves & filii ſacerdotum in regimine civili,*

civili, sed purè in spiritualibus. Ridiculum Baronii argumentum ex loco Actor. X. v. 13. Sub qvâ qualitate Prophetæ olim mutàrint regna. Curia Romana Principum juribus cladem intulit. Qvibus artibus id factum? Arcanum Imperii Ecclesiastici.

V. *An Carolus per transactionem cum Græcis acceperit Imp. Occid. Negatur. Græci Carolum metuunt. Qvibus ex causis? Carolus cum Græcis fœdus init. Græci jam antea exciderant Imperiô occidentis. Carolus nunqvam agnovit beneficium Græcorum.*

§. I.

NOn ignoro, qvàm promtè id afferant pleriqve scriptores, qvorum tamen alios adulatione abreptos, alios externô nominis splendore deceptos, alios deniqve veritatem callidè in rem suam prementes comperio: Mihi absqve irâ & studio veritas curæ erit. *Leo* Imperium dedit, sed qvod tanqvam *Leonibus* proprium sibi retineret: non *Leo*, sed *Vulpes* fuit, qvæ translationem hanc non *Leoninam*, sed *Vulpinam* confecit, magnumqve specimen dedit eorum, qvæ *Machiav. cap* 18 *del Principe* commemorat. Etenim, cùm Imperium Romanum in Occidente jam seculô qvintô extinctum esset, uti *cap.1. n.5.6.* expositum est, provinciæqve diversis jam parerent dominis, mirari qvis poterit, unde tam subitò præter omnium expectationem enatum sit antiqvum illud Imperium? à *Græcis* ad *Francos* id translatum creditur, qvod tamen nec ipsi Græci, uti omnes fateri debent, ampliùs habebant. *Vulpem* ergò hîc, non *Leonem* deprehendimus, cujus astû res, qvæ non extitit, Carolo concessa est. Præter hæc nemo negabit, Carolum illas, qvas jam ante hanc translationis scenam habebat, ditiones aliis jam titulis possedisse: Germaniam jure belli, Franciam hæreditatis beneficiô obtinebat: Italiam maximâ ex parte armis occupârat: reliqva Pontifex *S. Petro* in *Patrimonium* redacta vindicabat: Ubi ergo erat illud *Imperium*

Ro-

Romanum, qvod Carolo conceſſum volunt? non ſacco, non bulgæ tanta moles includitur, qvæ ad tempus abſtruſa novo humero imponi poſſit. Et licèt in ipſam urbem Romam, ac ceteras illi ſubjectas Carolo conceſſum eſſet imperium, id tamen antiqui nomen Imperii non magis dabit, qvàm, ſi qvis ex domo collapsâ tecti trabem alicui dederit, qvô ipsô trabem qvidem, ſed non domum accipiet. Roma enim jam pridem deſierat eſſe Imperii caput, cùm Gallia, Hiſpania, Anglia, & magna etiam Italiæ pars in diſtinctas civitates coaluiſſent, neqve in urbe Româ qvicqvam amplius, qvàm veteris Imperii ſedis exoletam ferè memoriam reſpicerent.

§. II.

Bellarm. libr. 1. *de transl. Imper. cap.*13. *in fine*, etſi fateatur Carolum jam antea *jure regiô* ſubjectas ſibi provincias tenuiſſe, adhuc tamen reperit, qvod Carolo conceſſum ſit, nempe 1. *ut ea ipſa loca, qva jam habebat, non tantùm ut Rex aut Patritius*, ſed *ut verus Imperator, & Auguſtus* retineret. 2. *Ut in alias qvoqve provincias, qvas occidentalis Imperii fuiſſe conſtaret, velut Imperator jus haberet.* Præter hæc alium adhuc translationis effectum prodit *Lupold. de Bebenburg cap.* 4. *de Jur. regn. & Imper. p.* 29. *Declarabatur*, inqvit, *Carolum & ſuos ſucceſſores non teneri ad aliqvam ſubjectionem deinceps Imperatoribus Conſtantinopolitanis Græcorum, ad qvam omnes Reges totius orbis, niſi exemptos ſeſe oſtendant, Imperatori tenentur.* Sed hæc, ut leniter dicam, vaniſſima ſunt. *Primò* enim unô tantùm modô acqviritur rerum dominium, ergo Carolus, qvi jure regiô regna ſua jam tenebat, non acqviſivit de novo eorum dominium per ſcenicam illam translationem, cùm nova dominii acqviſitio privationem præſupponat. Et certè nova Principis dignitas qvalitasqve non afficit ditiones, qvas antè adeptam illam qvalitatem ſuô jure jam regebat, niſi fortè Inviĉtiſſimum Imperat. noſtrum Leopoldum, qvi ante dignitatem Imperialem *velut Archidux* Auſtriam moderabatnr, nunc illi *velut*

Impe-

Imperatorem præesse qvis dixerit. *Secundò:* qvomodo Carolus saltem Germaniam *ut Imperator* retinere potuit, cùm nullus unqvam Imperatorum Germaniam subjugârit? Unde ergò jus illud Imperatorium in Germaniam? *Tertiò:* Carolus cetera sua regna urbi Romæ tanqvam Metropoli nunqvam *ut Imperator* subjecit, ergo nec regna sua *ut Imperator Romanus retinuit* *Qvartò:* Nemo præsumitur rem suam ultro facere deteriorem, præsertim in novæ dignitatis cumulo, qvæ non in servitutis argumentum, sed decus ac gloriam assumitur; qvod si autem *Carolus* hôc ipsô Imperatoris nomine regna sua prisco Imperatorum juri subjecisset, libertatem servitute commutâsset, & tanti nominis gloria in dedecus abiisset, qvod nemo rerum peritus de *Carolo* regnorum non minùs avido, qvàm libertatis retinendæ prudenti, existimare poterit. *Qvintò. Carolus*, ceteriqve *Francorum* Reges nunqvam fuere subjecti *Græcorum* Imperatori, ausimqve immane mendacium exprobrare illis, qvi liberrimos Reges hâc contumeliâ fœdare non erubescent, & protritam adulationis formulam, qvæ *Imperatores mundi dominos* fecit, in Regum servitutem detorqvere. Qvam ergo libertatem jam antea *Carolus* summô jure habuit, qvomodo demum per Papalem illum Imperatoris titulum obtinuit? *Sextò.* Æqvè putidum est, *Carolum* per Imperatoris nomen in reliqvas, qvæ Imperio Romano qvondam paruêre, provincias jus accepisse. Etenim, postqvam bellô atqve armis exteræ gentes Imperii Romani invasere provincias, conditisqve regnis in distinctam coaluere civitatem, longô dein temporis intervallô conservatam, nihil juris obtendere poterat Romanorum ambitio, nisi ipsa priùs omni sese imperiô exueret. Cui enim ignotum est, urbem *Romam* per vim, ac dolum in orbem grassatam esse, & per arma populorum libertatem evertisse? Prudentiæ ergo erat, non evulgare *Arcana Imperii*, hancqve gentibus opinionem non inserere, *qvasi Roma, ejusqve Cæsares populorum servitutem tot seculis summâ iniqvitate detinuissent.* Neqve

Imperatorum melior conditio, qvi non populi beneficiô, qvidqvid *l. 1 ff. de const. princ.* & alibi illudendæ simplici plebeculæ afferatur, sed vi, atqve armis invalere Imperium. Et solus qvidem *præscriptionis* titulus tuendæ regnorum libertati & tum sufficiebat, & hodie qvoqve sufficit, ità, ut Imperatori nullum jus in cetera regna, qvæ forsan olim paruere, adscribi possit, qvod contra *Reink. lib. 1. class. 2. cap. 9. à num.* 132. magnis argumentis comprobarem, nisi cunctis ferè jam constaret, titulum, ac bonam fidem ad regnorum translationem non reqviri, in qvâ præter solam diuturnioris temporis Sapientiorum arbitriô definiti possessionem de jure gentium voluntario nihil desideratur, qvod ipsum, ne bella ex bellis sererentur, neve plurimarum ditionum dominia essent in incerto, communi ac tacitô moratiorum saltem gentium consensu constitutum est, uti optimè docet Vir Eruditus *Laurentius à Dript pag. 284. 86. 87. Anti decal.* Hæcqve usqve adeò vera sunt, ut ipsum qvoqve *Turcarum Imper. Ecclesiæqve Romanæ Episcopum*, magnis licèt artibus Imperium parârint, legitimos Principes agnoscam. Ex his nunc patet, *Bellarm.* aliosqve laborâsse incassum, ut verum aliqvem *Leoninæ translationis* effectum reperirent.

§. III.

Sed faciamus, tempore *Caroli M.* perdurâsse adhuc aliqvam *Imperii Romani* umbram, qvô jure autem id *Græcis* adimi, & in *Carolum* transferri potuit? nisi res transferenda sit in potestate transferentis, scenica erit, & ludibriô plena translatio; Is autem, qvi *Carolo M. Imperium Romanum* dedit, nullum jus in illud habebat. Sive enim hæc translatio à solo derivetur Pontifice, statuaturqve, non alias populi partes fuisse, qvam nudæ assistentiæ, publicæqve acclamationis, sive cum *Limn. lib. 1 cap. 5* asseratur, Pontificem unà cum Populo ad *Carolum* transtulisse Imperium, non verò solum, sed velut primarium populi membrum, suasorem illi extitisse ad concedendum *Carolo Imperatorium nomen*, populiqve

liqve consensum coronæ impositione approbâsse; remanet tamen dubitandi ratio, cùm neuter in *Imperium Romanum* jus haberet. *Roma* enim *Græco* Imperatori adhuc recentiùs paruerat, ipse populus longô obseqviô jam subactus priscam libertatem, veteraqve jura amiserat, qvâ ergo ratione ab eo, qvi ipse parebat, Imperium Occidentale concedi potuit? Ipse etiam Pontifex dominos sæpiùs mutârat, unde mirari qvis poterit, qvâ fronte hi recenti adhuc memoriâ catenati servi sibi arrogare ausi sint *Orbis Imperium*, illudqve velut sub hasta publicæ licitationi exponere, & *dare regna*, in qvibus ne *tugurium* qvidem habuerint; Interim hæc donandi ratio in *Arcana Imperii Pontificii* postea transiit, qvod per aliam occasionem illud Venetæ Reipubl. decus *Paulus Servita lib.* 4. *del concil.* sapienter observat: *Così* (ait) *Spesso i Papi hanno donato quello, che non hanno potuto levare à possessori, & questi per fuggire le contentioni, parte hanno riceunto le cose proprie in dono, & parte hanno dissimulato di saper il dono, & la prætensione del donatore.*

§. IV.

Sed hîc comperio læsam Pontificum majestatem. Jus enim illis in Imperium Romanum, imò & omnia regna attribuunt: Imperatores illorum arbitriô deponi posse ab *Hildebrando lib.* 2. *Epist.* 55. jam pridem inter *dictatus*, hoc est, *Romanæ fidei articulos relatum est.* Qvo autem ex Principio tanta auctoritas fluat, video illos non consentire, dum alii eam ex putidâ illâ *Constantini* donatione pertrahant, alii ex Vicariatu Christi derivent. *Illius* fabulam jam derisam toties & protritam piget lacessere, cùm nec ab ipsis Pontificibus eam credi mihi facile persuadeam, qvippe qvi artium aulicarum periti destinatô consiliô mentiuntur confictos illos in speciem titulos, qvorum reverentiâ & alios absterreant, & sibi Imperium firment: dabat famæ *Tiberius*, *ut vocatus, electusque potiùs à Rep. videretur, qvàm per uxorium ambitum, & senili adoptione inrepsisse, Tacit. Annal.* 1. *Caninii ibid. Aphor.* 54.

R 2 Et

Et Papa *Constantinianæ* donationis famam adamavit, sparsitqve, ne per artes & dolos invasisse Imperium videretur. *Alterum* autem, nempe *Vicariatum Christi*, & curam Ecclesiæ universalem magis urgent, cujus vi potestatem illam *eminentem*, atqve *Apostolicam* in regnis evertendis condendisqve sortiti sint. Id disertè propugnat *Bellarm. lib.* 1. *de Transl. Imp. cap* 12. & *Baron. An.* 800. *à num.* 15. Sed hæc rebellionum incentrix sententia est, flammis in Galliâ non semel vindicata. Non repetam, qvæ jam aliàs in *dissert. de Tonsura Childerici* §. 3. *n.* 11. hac super re attuli. Interim cùm à *Christo* tantam sibi potestatem esse collatam obtendant Pontifices, ut-geantqve sacrô illô horrore regna & Imperia, hujus rei tabulas primùm afferant, necesse est qvibus tanta potestatis amplitudo descripta sit. Unde autem illas eruent? *Christus, ait Baron. n.*15. *Petro dixit, pasce oves meas:* pascat, non impedio: *ergo & Reges atqve Imperatores:* Ità est, ipsissimos: *ergo accepit potestatem, mutandi regna, transferendi Imperia, dejiciendi Reges ac Principes.* Sed hoc non est pastorem, sed lupum agere. *Per pascere oves id qvoqve intelligitur.* Nihil minùs. Pascant gregem suum sacerdotes rebus spiritualibus, qvæ eorum curæ commissæ sunr; munia civilia, regnorumqve curas relinqvant iis, qvibus id à Deo commissum est: *Sacerdotum, Regumqve* distincta potestas est: Principes sacerdotum qvidem *filii* sunt, & *oves*, sed in *spiritualibus*; in civili administratione mutatur ordo, in qva Principes non *oves*, non *filii*, sed *Pastores* & *Patres* sunt, *filiorumqve* & *ovium* vices ad sacerdotes redeunt. Hæc si *Romani* nondum capiant, malintqve *Petro*, cujus successores se jactitant, ferream qvoqve illam potestatem, qvæ regna contundat, conteratqve, esse concessam, adeant *S. Marcum* apud *Venetos*, qvi Christi mentis hac in re maximè conscius *Fr. Paulô Servitâ* Interprete pastoralis illius officii naturam explicet. *Sed* (urget *Baron*) *Petro dictum est, surge, macta & manduca, ergò concessa est ipsi potestas, regna & Reges excinden-*

cindendi. Hoc argumentum *Lanionis* eſt, non *Cardinalis:* Videant hîc Principes, qvô locô habeantur à Sacerdotibus, nempe in *impuras jam beſtias*, *ferasqve* tranſiêre, qvæ à Sacerdotibus mactari, vorariqve debeant. Sed cur ſolus Epiſcopus Romanus tam vorax eſt, cùm illa *S. Petri* viſio ad cunctos ſacerdotes pertineat? Pergit *Baron. num.* 10. *Prophetæ olim depoſuerunt Reges, atqve Imperia tranſtulerunt.* Sed ut Commiſſarii Dei, ſingularesqve ejus voluntatis Interpretes: Exſpectent ergò Romani priùs Dei ità jubentis mandata, neqve exſerant cultrum, donec à Deo dicatur: *Macta & manduca.* Sed pudet huic vanitati ultra immorari, qvanqvam reticere non poſſim, à nullo acriorem cladem *Principum auctoritati, ac poteſtati* illatam eſſe, qvàm à *Curia Romana*, qvæ, ut alias jam artes, qvibus in ſecularem poteſtatem graſſata eſt, non memorem, non ſolùm ſcriptores illos, qvi debitam Principibus, Magiſtratibusqve auctoritatem editis libris vulgârunt, diris ſuis percellit, eorumqve ſcripta ſacro interdicto ſubjicit, perbellô ſanè *Imperii Arcanô*, qvô nunqvam callidiori *Religio ad dementandos homines adhibita eſt*, ſed etiam deſtinatô conſiliô pernicioſam illam in hominum mentibus opinionem aluit, *obedientiam deberi Eccleſiaſticis propter conſcientiam, Principibus autem & Magiſtratibus ſolùm ad temporales pœnas evitandas, cùm de cetero eorum mandata transgredi liceat.* Qvâ viâ facile eſt omne regimen politicum in odium adducere, &, qvaſi tyrannidem referat, ſubvertere; ſubjectionem verò ſacerdotibus debitam, tanqvam viam unicam & principalem ſubvolandi in cœlum, omnibus ingerendo, primùm omnem in ſe jurisdictionem, ac tandem Imperium derivare. Vide ambitionis Romanæ malleum *Paulum Servitam del Concil. di Trento lib.* 2. *pag. m.* 235. *ad An.* 1546. *lib.* 6. *p.* 484. *An.* 1561. & *in Hiſtor. Inqviſit. cap.* 29. ubi hanc rem ſummô judiciô perſeqvitur.

§. V.

§. V.

Sunt inter eruditos, qvi neqve à *Pontifice*, neqve à *Populo Romano Imperium Occidentis* in *Carolum* transferri potuisse fatentur; ne tamen nihil egisse videantur, ad *transactionem Græcos* inter & *Carolum* hac de re postea initam, velutjus omnium firmissimum delabuntur. Sed & hoc vanum est. Primò enim hoc, qvidqvid est, transactionis apud probatos Scriptores nullibi reperio. Id qvidem non abnuerim, Græcos Cæsares, qvibus jam erat suspecta *Caroli* potentia, ob susceptum à *Carolo Imperatoris Romani* nomen non parùm indignatos esse, *qvasi*, ut scribit *Eginhard. ob hoc Græcis Imperium erepturus esset*; nam titulus ille *Imperatoris Romani*, nulla Imperii parte memoratâ *occidentem* non magis, qvàm *orientem* respicit, ausimqve affirmare, qvod si *Carolus* postea aut connubiô cum *Irene*, qvæ tum *Orientem* moderabatur, aut aliô modô *Orientalem* Imperii partem indeptus fuisset, scriptores pari audaciâ juraturos fuisse, tam *Orientis* qvàm *Occidentis Imperium* à Pontifice, Populoqve Romano in *Carolum* translatum esse. Hæc tamen Græcorum ira per submissos utrinqve legatos obduratô etiam in patientiam *Caroli* animô, ut illos qvoqve *fratres* suis in epistolis appellârit, non multò post composita est, *ità ut nulla inter partes cujuslibet scandali remaneret occasio*, (verba sunt *Eginh. in Vita Caroli*) *fœdusqve firmissimum initum sit*. Vid *Annal. Franc. An.* 802. Interim *vi transactionis*, qvalis qvalis illa hîc intelligi possit, *Carolus Imperium occidentale, nomenqve Imperatorium* non obtinuit. Ipsi enim Græci *Occidentis Imperiô* jam pridem exciderant, neqve *Carolus* dignitatem illam Imperatoriam aut aversatus est, aut distulit nondum datô hac super re Græcorum consensu, sed mox ab ipsâ coronatione munia illa per Italiam obiit, qvæ acceptæ dignitatis ratio exigebat, neqve unqvam Græcum beneficium agnovisse visus est. Qvòd si autem Græci Carolo Imperatoris nomen fortè dicantur *reliqvisse*, id tamen *Græcorum* beneficio

ciô transiisse in *Carolum Imperatoris nomen* non magis arguit, qvàm à *Carolo* in *Græcos* id nomen derivatum esse, cùm & ille *Græcis*, qvod eorum erat, reliqverit, & suum, qvod Græci nec dare poterant, nec eripere, retinuerit. Certa itaqve animo meo hæc constat sententia, *antiquum illud Occidentale Imperium* qvoad rem ipsam in *Carolum M.* translatum non esse, qvod ipsum tamen rectiùs sentientium judicio haud ægrè subjicio.

CAP. IV.

An non Carolus per hanc translationem saltem in urbem Romam, ac patrimonium S. Petri acceperit Imperium? Sin minus, qvid ergò acceperit?

SUMMARIA.

I. *Carolus M. non accepit dominium seu Imperium in urbem Romam. Proponuntur hujus rei argumenta. Calliditas Aulæ Romanæ in amoliendo exterorum jugo. Nomen S. Petri obtenditur ambitioni Pontif.*

II. *Effectus translationis Imper. fuit juris Advocatiæ concessio. Explicatur jus Advocatiæ. Constitutio Pontificum dependebat à Carolo. Item Magistratuum Ecclesiæ, ac Monasteria habebant olim Advocatos. Qvomodo illi amoti?*

III. *Object. Pacif à Lapide resolvuntur. Prima, Roma fuit in censu Caroli. Secunda, Romæ cæterarumqve urbium Metrop. Imperii Karolini par fuit conditio. Tertia, Carolus inconsultô Pontifice, duxit exercitum per Ravennam. Qvarta, Pontifex ratione personæ fuit Carolo subjectus.*

§. I.

§. I.

INterim addubitandi ratio adhuc ſupereſt, *An non Carolus M. ſaltem in urbem Romam*, S. *qve Petri Patrimonium acceperit Imperium?* affirmari id à pleriſqve comperio; qvanqvam in eo diſſentiant, num *cumulativè*, an verò *privativè* hæc conceſſio peracta ſit. *Laurentius à Dript.* Vir magni judicii ac præcelſæ doctrinæ in *Append. ad Art.* 5. diſertè tradit, Pontificem *Carolo M.* jurisdictionem in urbem *cumulativè* tantùm, non *privativè* ſeſe abdicandô conceſſiſſe; alii verò poſterius autumant, prout qvemqve ſtudium ducit, aut indignatio. Sed fateor, mihi grave eſſe, qvòd aſſenſum differam, cogarqve deprecari invidiam, dum id negabo *Carolo*, qvod mallem me negare non poſſe. Expenſis ergo utrinqve rationibus *Carolum M.* in *urbem Romam*, ac *S. Petri patrimonium* non accepiſſe verum Imperium judicaverim. Præterqvam enim, qvòd non ſatis capiam tranſlationem illam dominiorum *cumulativam*, putemq; hæc potiùs eſſe ludibria, mihi perſuadere non poſſum, Pontificem, qvi, ne *Longobardorum* ſubjiceretur imperio, Francos evocârat, *Urbem Romam*, innexasqve *Petri Patrimonio* ditiones *Carolo* ſubjeciſſe, cùm hôc ipsô ſe in ſcyllam ultrò detruſiſſet, qvi charybdin vitârat. Neqve in *Longobardorum* truculentiam illa paparum averſatio referri poterit, qvaſi ſub Francis mollius imperium habituri Longobardos repuliſſent, cùm nec ea fuerit ſolertisſimæ gentis barbaries, neque ejus pietas ab ipſis Pontificibus illaudata; Sed urebat *Sanctiſſimum Patrem* dominandi libido, qvi non ultrà paſſurus *laicas* manus, procum proco trudebat, & poſt exhauſtas illorum opes bellis, rixisqve per meretricias artes callidè committebat, donec omnes poſt longa ludibria depulit. Neqve erat tam ſimplex *Romana ſedes*, ut, poſtqvam tam ardentes, tamqve oculatas manus deſerto à *Græcis in Italiâ* imperio applicuerat, voluerit poſtea hanc prædam Francis objicere, atqve ità omnes illas curas ſimul ac ſemel corrumpere, eandemq; formidandi mate-

materiam ultrò etiam accerſere. Qvid? qvòd ditiones illæ nomine *S. Petri* arreptæ ſint, ac Pontifex Francos ad S. *Petrum* defendendum, h. e ad retinendas in *ſedis Romanæ* obſeqvio ditiones tam anxiè evocarit, ergo id *Petro* grave fuiſſet, ſub *Carolo M.* deteriorem ſubire conditionem, qvàm antea habuerat. Adderem ex *Lehem. lib. 3. Chron. Spir. cap.* 24. non paucos exiſtimare, *Pipinum Caroli M.* parentem *utile* tantùm dominium, ſeu potius fructus ex illis urbibus, qvas *Longobardis* extorſerat, *ſedi Romanæ* donaſſe, jure *directo* ſibi retento; qvo ipſo *Carolus* hoc patris jus non primùm per hanc translationem, ſed velut hæres beneficio ſanguinis creviſſet, neqve è *Pontificis*, ſed P*ipini* patris manu accepiſſet imperium, niſi ſcirem, Romam id ægrè laturam, ſi *vicarius Chriſti*, *cæliqve*, *ſoliqve*, *Erebiqve Arbiter* inter *Vaſallos* referatur: Saltem apud illos, qvi *Lehemanno* aſſenſerint, vim ſuam hæc ratio non amittet.

§. II.

Nihil ergo aliud ſupererſt, qvàm ut cum *Monzamb.* §. 12. aſſeram, *Carolum M. ſub ſplendidisſimo Imperatoris titulo, ex ſtatu antiqvæ Romæ repetito conſtitutum eſſe ſupremum defenſorem, & protectorem ſeu Advocatum ſedis Romanæ, & bonorum, qvæ ad ipſam ex uſurpatione Pontificum, aut aliorum liberalitate ſpectabant.* Iſta autem defenſio vim ſummi Imperii non habuit, ſed ſpecie qvadam duntaxat fœderis inæqvalis *Sedis Romana*, ejusqve bona *Carolo* adjuncta fuêre. Crediderim enim Pontificem veteris *Reipubl. Romanæ* exemplum hâc in re imitatum eſſe, qvæ ubi bello decertandum, *Imperatorem* deligebat, qvi armorum præſes, atqve Advocatus Rempubl. tutaretur, ne qvid detrimenti caperet. Cùm enim conſpectis undiqve periculis, qvæ exurgentem de novo libertatem admorderent, æmulorum, hoſtiumqve potentiam formidaret, de ſtabili protectore, atqve Advocato ſibi, ſuæqve ſedi proſpiciendum cenſuit, qvi *Cleri defenſi gloriâ* contentus *ſacerdotum* opes augeret, non imminueret.

Interim per hoc *Advocatiæ* jus *Carolus* has partes indeptus est, ut nemo in *Petri sedem* eveheretur, nisi *Caroli* consilio, atqve consensu: qvo ipso cavebatur, ne qvis *Caroli* hostibus, æmulisqve obnoxius irreperet, aut labe, famâqve deformis *Cathedram* fœdaret, cùm *Caroli* suffragium Papalem electionem compleret. Qvòd si qvis autem aut per pravas artes irrepsisset, aut concitatis motibus turbaret pacem, amoveri poterat. Poterant qvoqve Magistratus constitui, qvi, qvòd Ecclesiastici circa sacra occupati essent, jus dicerent. Nondum enim ea tempestate hæc consuetudo invaluerat, ut dicatæ rebus sacris personæ seculi negotiis sese immergerent, qvibus sacrorum amor suffocaretur. Eadem *Advocatiæ* species alibi qvoqve sub hæc tempora in *Ecclesiis*, *Monasteriisqve* recepta erat, cùm magno Reipubl. bono seculares huic muneri præessent, qvi tamen, postqvam *Clericos* sacri muneris nausea cepit (ut usu venire solet in rebus, qvarum diuturnior usus tandem progignit tædium) *Sacerdotum* artibus dejecti sunt, rerumqve ordinem pessimè inverterunt, ut ipsi *rerum civilium* curis affixi sibi in *sacris Vicarios* deligerent. Hæc malorum origo, qvibus orbis premitur.

§. III.

Sub hæc pauca nunc sublegenda sunt, qvæ *Pacific. à lapide in strict. in Monzamb. disc. VI.* collegit, relegitqve *Oldenburg. Part. 4. Thesaur. Rerumpubl. pag. 297. 298.* ut concessam *Carolo* in *Romam*, *ceterasqve Ecclesiæ ditiones* summi Imperii vim comprobaret. Vereor autem, ne vanitatis arguar, si moneam, hunc scriptorem sibi ipsi contradicere, dum *num XIII. disc. VI. Carolo* etiam nondum *Imperatori* jus in *S. Petri patrimonium* attribuit; sed *num. XV Carolum* ante inaugurationem illud jus habuisse pernegat. Qvidqvid sit: dicit 1. *Romam fuisse in censu Caroli testantur capit. Franc. lib. 6. cap. 8.* testentur: Id summum Imperium nondum arguit, cùm extra Protectoris conditionem non sit annui cen-

censûs beneficium, neqve *Advocatum Ecclesiæ* dedeceat exacta cognitio, qvantum virorum in armis, qvi Reip. reditus, qvæqve alia rerum civilium cura exigit. 2. *Roma teste Eginhard. ejusdem fuit conditionis cum aliis Metropolitanis regni Carolini urbibus.* Sed qvâ in re illa conditionis paritas? Id tantum lego apud *Eginhard. in vitâ Caroli sub fin.* inter urbes illas, qvas inter aurum, argentumqve per ultimam *Caroli* voluntatem ab ejus obitu destribuendum erat, etiam *Romam fuisse*: sed lynceus sit, qvi ex hoc summum imperium qveat conspicere. *Eginhardus* certè, qvippe *Carolo* à Secretis *Curiæq; Romanæ* gnarus sat jejunè de *nomine illo Imperatoris* loqvitur. 3. *Carolus cum exercitu in causa Leonis Romam petens, Ravennam atque Anconam inconsulto Pontifice adiit, facturus id minimè, nisi sui eas Imperii urbes censuisset.* Hæc ratio plus probat, qvàm intenditur. Nam qvo tempore id ipsum *Carolus* peregit, nondum erat Imperator, ergò si jam tum jus supremi dominii habuit, per titulum Imperatoris id ipsum accepisse qvomodo dicetur? qvod tamen *Oldenb. pag. 297. n. 133. Thesaur.* disertò asserit. Licebat ergo idipsum *Carolo*, qvippe à *Leone* adversùs hostes evocato, cui ut amico ac defensori patebat iter, qvâ exercitum traduceret. 4. *Pontifex ratione personæ fuit subjectus Carolo, qvia adhucdum Patritius urbis Romanæ, non verò Imperator causæ Leonis & Conjuratorum examen instituit Anno Chr. 800. teste Anastas.* Sed & hæc ratio nimium probat, cùm *Carolo* adhucdum *Patritio* imperium in Papam adscribat, ergo jam antè id habuit, qvàm *Imperator* esset. Ceterum non omne judicium inferre *summum Imperium*, facilè concedet is, qvi *Knipschild de civitat.* inspexerit. Neqve erat alienum à *Caroli*, jam pridem *Urbis Romæ patritii*, jamqve de novo in Protectorem evocati munere, etiam citra vim summi Imperii, expendere *Leonis* causam, delatoqve sibi arbitrio criminum instituere examen, qvæ Papales æmuli per concitatos motus *Leoni* objecerant. Nihil ergò comperio, qvod Carolo velut protectori hic agere non licuerit.

CAP. V.

Penes qvem ergò fuerit Romæ, ceterarumqve urbium dominium, & Caroline, an Pontificis hâc in translatione pinguior fuerit conditio?

SUMMARIA.

I. *Status Italiæ Græcis adempta erat anarchicus. Æmulatio Romæ & Ravennæ. Qvâ arte Romanus Pont. Ravennat. Episc. depresserit? Turbatus Italiæ status explicatur Belgarum ab Hispanis defectione. Dominium Romæ, ceterarumqve urbium S. Petro traditum. Qvæ ratio status hâc in re? Ecclesiæ Romanæ nihil adimi posse volunt. Sub nomine S. Petri illuditur orbi. Qvid sit sedes Apostolica? An ipse Papa, an aliud quid? Arcanum Aulæ Romanæ hâc in re.*

II. *Pinguior fuit conditio Pontificis, qvam Caroli in transl. Imper. Unde servitus Germaniæ enata? Carolus afflixit Principum auctoritatem. Aula Romana Principum hostis.*

§. I.

HÆc juvat aliqvantò altiùs expendere, ut pateant *Curiæ Romanæ ludibria*, qvibus orbem circumegit. De primo qvidem, externam rerum faciem si spectem, id ausim affirmare, post exutos *Romæ*, ac *Ravennæ* dominio Græcos ante adeptam à *Carolo* Advocatiam fuisse *anarchiam*, atqve incertum penè fluctuasse Imperium (uti usuvenire solet in ejusmodi Rerumpubl. mutationibus) dum hinc Pontifex velut caput, ac Princeps turbarum auctoritatem in se derivaret, illinc proceres Romani per diversas factiones potestatem distraherent: Neqve *Ravennæ* exciderat memoria, qvòd *Exarchorum sedes* fuisset, ipsi etiam *Romæ* gravis. Hinc

Hinc acerrima *Romam* inter, ac *Ravennam*, earumqve Epiſcopos æmulatio, qvæ ſeculo etiam duodecimo adhuc perdurabat, qvo *Paſchalis II. P. R. ut Ravennatis* Epiſcopi deprimeret auctoritatem, & potentiam, per receptas in *Curià Romana* Epiſcopos adviſe obſeqvium redigendi artes, teſte *Platin. in Paſchali* II *f. m. CXCVI. in Concilio ad Guardaſtallum habito decrevit, ne urbes Æmiliæ* Placentia, *Parma, Rhegium, Mutina, Bononia Ravennati Eccleſiæ antea Metropoli ſubjectæ amplius eſſent, qvod ſæpius ob ſuperbiam in Romanam ſedem præſules Ravennates cornua erexerant.* Interim turbatus ille rerum ſtatus haud malè explicari poterit, ſi qvis animo revocet *Belgarum* ab *Hiſpano* defectionem paribus ferè ex cauſis (de qvarum tamen æqvitate abſit, ut qvicqvam delibem) qvondam exortam. Hinc recurrit *Pontifex* conſiliorum præſes, ac caput; illinc *Wilhelmus Orangii Princeps*, qvi partium ductor Hiſpanos Belgarum dominio exuit. Hinc evocati in ſubſidium Franci, illinc acciti jam ex Auſtriacâ Germaniæ domo Matthias, jam è Gallia *Alenzonius*, jam ab Anglis *Leiceſtriæ Comes* adversùs Hiſpanum Gubernatores: Utriusqve gentis, Romanæ, ac Belgicæ Imperium Exterorum ſanguine aſſertum, ſed & omnes, poſt qvam precarium regimen jam nauſeam moverat, ejecti qvidem ex Italiâ Franci, reduces è Belgio dubiis rebus Gubernatores comprobarunt orbi, nec Belgas ferre dominium poſſe, nec Pontificem velle, nec ſuperiorem perpeti. Qvod ſi autem intima ſcrutemur, novum dominandi genus, qvo nunqvam qvid callidius extitit, tum à Pontifice excogitatum eſſe comperiemus. Cum enim ſciret, qvanta populorum eſſet erga *S. Petri nomen* reverentia, noſſetqve plebejam illam de *Romana ſede Apoſtolorum Principis* opinionem vulgatam inter omnes, in rem ſuam fore duxit, ſi *S. Petrum* ditionibus illis imponeret dominum, qvi Pontifici deinde velut *Vicario* Imperii claves facilè traditurus eſſet. Gliſcente enim hâc opinione non vanò reputabat, confluxuros undiqve in *S. Petri*

de-

defenſionem populos, neminemqve auſurum, tam ſacro imperio, qvod in *S. Petri* abierat *patrimonium*, manus inferre, niſi qvi *indignationem Apoſtolorũ Petri & Pauli* velit incurrere (hic ſtylus eſt *Curiæ Romanæ*, qvæ cœleſtibus ſe minis obarmat, &, ne alia forte natio ſibi ex Pauli dignitate vendicaret præeminentiam, *Petro* ſocium dedit, ut utriusqve auctoritatem ſola retineret) ſimulqve exiſtimare poterat, qvidqvid turbarum Pontifices unqvam excitaturi eſſenr, ne villam qvidem *Sedi Romanæ* adimi poſſe. Raræ enim ſapientiæ eſt, qvod *Paulus IV.* Anglorum legatis de reſtituendo *S. Petri denario* apud *Servitam lib. 4. del. Concil. di Trento p. m.* 401. tam calide edixit: *che in ogni maniera era neceſſario ricuperargli tutti ſino al valore d'un minimo qvadrante &c. Et chi teneua qvalſi voglia minima parte di quei beni, era in continuo ſtato di damnatione &c. che quello ſarebbe un anathema, & contagione &c. gli inculcaua, che non poteuana ſperare, che da ſan Pietro foſſe loro aperto id cielo, mentre che uſurpaſſero le coſe proprie di quel ſanto in terrà.* Qvaſi verò *S. Petrus*, qvi mundi bonis, ut Chriſtum retineret, vivus adhuc ultrò deceſſit, nunc ab obitu cœleſtem mentem ad ſoli opes, atqve imperia detorqveret, & non potius *Curia Romana* ſub tam ſacro nomine hominum ſimplicitati callidè illuderet. Interim neqve id qvisqvam mirari debet, ſi non intelligat, qvid ſit illa *ſedes Apoſtolica*, qvam actionibus ſuis obtendunt Pontifices, ubi viderit, pro ſtatûs, utilitatisqve diverſitate ejus ſenſum ſemper variatum eſſe. Qvod ſi enim de re Pontificis agebatur, *ſedem Apoſtolicam* nihil aliud qvàm ipſum Papam eſſe clamitatum eſt; ſed ubi in rem eſſe viſum eſt, hanc *ſedem* etiam *dominam ſuam* laudabant, ut verſatile ingenium ad omnes temporum opportunitates componerent: qvamqvam ad ipſos Principes hoc *Aulæ Romanæ Arcanum* poſtea penetravit, qvi bellum Papis illaturi Romanas artes callidè regeſſerunt, de retinenda tamen erga *ſedem Apoſtolicam* reverentia mirùm qvantum ſoliciti. Qvæ inter auſim affir-

mare,

mare, *sedem Apostolicam*, imò & *Ecclesiam* lapsu temporis à *Curia Romanâ* instar *Ideæ alicujus Platonicæ* expictam esse, qvæ Pontificum actionibus qvamlibet pro *Curiæ* arbitrio notam imprimeret.

§. II.

De altero autem ut etiam aliqvid superaddam, *Pontificis* conditionem multò lautiorem, qvàm *Caroli*, hoc in actu comperiet, qvisqvis emergentem utriusqve utilitatem, aut damna expendet. Pontifex enim, ut omittam ingentia illa dona, qvæ in *Romam* effudit *Carolus*, pravæ hujus opinionis semina hominum injecit mentibus, *qvasi Pontificum in manu situm esset imperium Romanum, qvod pro arbitrio ab uno ad alterum transferre poßint.* Hæcqve est origo illius mali, qvod Germaniam per tot secula afflixit. Etenim postqvam hæc opinio invaluit, *curiæ Romanæ jugo succumbere oportuit Germaniæ Reges, velut ob nomen Imperatorium vasallos, neqve hoc nomine duntaxat, qvod parum fuisset, sed & Germaniæ regno, qvod tamen nunqvam ad Imperium Romanum pertinuit, exuti sunt.* Ipse *Carolus* per hoc Pontificiæ manus beneficium tacitè comprobabat, *Græcos* à Pontifice *Romæ* dominio jure evolutos, ergo metuenda paria, si vel latum unguem à Pontificum placitis aut ipse, aut posteri discederent, qvod à rerum eventu qvoqve comprobatum est. Frenare potiùs debuisset licentiam Pontificis, nec perpeti, ut hæc pestilens glisceret opinio, *posse Principem à Sacerdotibus deponi*, tradito Principibus more, *qvibus munimentum in præsens, in posterum ultio est*, *Tacit. Hist.* 1. *cap.* 44. ne novum exinde facinus, scelusqve aliqvando errumperet, *cujus ultor est inter Principes, qvisqvis succeßit Tacit. Hist.* 1. *cap.* 40. In uno *Græco* Cæsare omnium Principum causa agebatur, qvo oppresso, qvidqvid in orbe Principum erat, paparum ictibus patebat: Hunc sacerdotali sententiâ Imperio exui dum probavit *Carolus*, omnium Principum dignitatem afflixit, cum capitaliorem non habeant hostem, qvàm *Aulam Romanam*.

Vide

Vide *Galeazo lib. 2. delle guerre &c. Part. 2. pag. 119.* Ubi per aliam opportunitatem hanc *rationem status* sapienter explicat. *v. dalche comprendesi: che &c.*

CAP. VI.

An in personâ Caroli Imperiale illud nomen in Germanos translatum sit?

SUMMARIA.

I. *In persona Caroli non est translatum Imper. ad Germanos. Qvare? Carolus M. non fuit Germanus. Qvis ex Caroli posteris Imperator dictus? Germania fuit regni Francici accessorium. Ad qvem titulus* Regis *Christianissimi pertineat. An Itali in præjudicium Germanorum detinuerint Imperium? Extinctâ* Caroli *M. familiâ nulla natio in Imper. poterat prætendere.*

§. I.

TRepidè mihi hic incedendum est in re, qvæ plurimorum jactata sermonibus, calamisqve paucos fortè è Germanis nacta est, qvi assensum differant, cùm apud plerosqve constet, *in Personâ* Caroli *M. in Germanos Imperium translatum esse.* Uti autem laudo eorum in Patriam pietatem, qvæ, cum ob solum, & nostris temporibus propemodum inane nomen tanta sit, haud dubio major excrescet, ubi de re agetur; Ita & mihi veniam polliceor, si ingenuè fatear, me nondum capere, *qvomodo in persona* Caroli *M. in Germanos translata sit Imperialis dignitas?* Etenim 1. In hac translatione ne mentio qvidem facta est, *An imperium illud jure hæreditario ad* Caroli *posteros transiturum sit, nec ne;* qvo ergo Jure Germani ex *Caroli personâ* hoc, qvidqvid est, digni-

dignitatis ſibi vendicarent? qvæ, num ad Caroli poſteros vi primæ illius translationis jure ſanguinis translata ſit, magnæ difficultatis qvæſtio eſt, cùm nulla hæredum, nedum Germanorum mentio facta ſit. 2. Sed ſit ita, habuerint *Caroli* poſteri jus ad dignitatem Imperatoriam ex *perſona patris* tanqvam primi acqvirentis devolutam ad liberos, id tamen beneficium ad Germanos non ſtatim contrahetur. Primò, qvia unicum ferè fundamentum, qvo Germaniæ jus nititur, eſt *Caroli & Germanorum communis patria*, qvàm autem inane id ſit, cui ignotum eſt? niſi fortè *Gallos* adhucdum hodie in *regnum Hieroſolymitanum* jus habere aſſerendum ſit, qvòd ex natione Gallicâ qvondam *Godefridus Bullionæus Hieroſolymorum Rex* creatus ſit. *Secundò: Carolus M.* Patriâ non Germanus, ſed Francus ſeu Franco-Gallus fuit, uti *Monzamb. cap.* 1. *§.6.* ad oculum demonſtrat, ergo prætenſio illa in communi patria fundata planè evaneſcit. *Tertiò:* Ex *Caroli M.* Nepotibus, *Lothario*, *Ludovico*, & *Carolo Calvo* non *Ludovicus*, qvi Germanorum Rex erat, ſed *Lotharius*, ad qvem Italiæ regnum pervenerat, *Imperatorium* nomen adeptus eſt, transmiſitqve ad filium *Ludovicum*, ab hoc in *Carolum Calvum* non Germaniæ, ſed Galliæ Regem tranſiit, ergo Germania nihil juris præ aliis ex *Caroli* perſona obtinuit. 3. *Carolus* Franciæ & Germaniæ regnum ſimul habuit, illam qvidem jure ſangvinis, hanc jure belli ad Franciæ regnum velut acceſſorium qvoddam adjectam, qvæ ergò ratio dari poterit, qvòd in Germanos, non verò in Francos ſeu in Franciæ regno ſucceſſores *Imperiale* nomen translatum ſit? Præſertim cum in concurſu duorum potior habeatur ratio ejus, qvod principale eſt, qvàm qvod acceſſorium. 4. Si in *perſona Caroli M.* ad Germanos Imperium translatum ſit, ipſe qvoqve titulus, *Rex Chriſtianiſſimus*, ad Germanos pertinebit, cum & ille *An. Chr.* 755. *Pipino Caroli* patri conceſſus ſit, uti jam ſupra obſervatum eſt, An verò Gallorum Rex id ipſum unqvam patietur? 5. Magna hic

qvæstio adhuc superest enodanda, *An extinctô Caroli M. sanguine illud qvodcunqve in Imperatoriam dignitatem, jus, qvod liberè concessum erat, non simul extinctum fuerit?* cum successio in regnis hæreditariis, teste *Grot. lib.2 de J.B. & P. cap. 7. §. 14. & 15.* se non exserat ultra primi Regis posteros, qvi ob nobilitatem, & præsumtivè duraturam, qvæ in Majoribus erat, affectionem, tacitè qvoqve electi censentur, Ergo postqvam *Caroli* familia defecerat, Germani jus illud ad se devolvi, qvâ æqvitate prætendent? 6. Vulgatum est apud omnes, *Imperium Romanum* â *Francis* in *Germanos* deniqve translatum esse, qvid autem novâ translatione opus fuisset, si jam ex personâ *Caroli M.* Imperialis dignitas ad Germanos spectâsset? Scio qvidem *Oldenburg.* regerere, labascente *Caroli M.* familiâ Imperium ab Italis, aliisqve detentum esse per vim, ac Germanorum in præjudicium, & qvasi ex postliminio in *Ottone* Germanis restitutum. Sed hæc, ut molliùs dicam, vanissima sunt. *Primò* enim nullus unqvam Germaniæ Regum de ademto sibi Italiæ Imperio eâ tempestate conqvestus est, (qvâ de re infra pleniùs agendum) sed Italis reliqvêre Italiam, Germaniam sibi retinuêre. Deinde extinctâ *Caroli M.* familiâ, aut vergente, ut Imperio administrando impar esset, nulla natio urbis Romæ, vicinarumqve ditionum Imperium poterat prætendere: Neqve capio, cur Germanorum potiùs natio, qvàm Francorum juris illius reliqvias absorbere debuerit. Interim fieri injuriam Germanorum modestiæ crediderim, qvæ suis contenta finibus, vel potius prodiga in exteros, nunqvam expetet, qvod vani, & inanes ejusmodi adulatorum canones concludunt, ac decernunt. Germanam potius loqvendi libertatem in Viro summæ eruditionis *Laurentio â Dript* comprobo, cujus vestigiis me hac in re inhæsisse, & oblata ab ingenii ejus dexteritate argumenta ingessisse, mihi honori duxerim.

CAP.

CAP. VII.

Explicatur ſtatus imperii Italici à Carolo M. usqve ad Ottonem M.

SUMMARIA.

I, *Caroli M. filius Ludovicus divìdit regna in filios. Ludovicus ex his Germaniam obtinet. Qvando Germania cœperit eſſe regnum diſtinctum ab aliis? Lotharius fit monachus, cui Ludov. fil. ſuccedit. Huic Carolus Calvus Rex Galliæ.*

II. *Huic Carolus Craſſus, qui rurſum amovetur. Itali de proprio Rege eligendo conſultat. Quem etiam eligunt, ſed per factiones. Arnulphus Rex Germ. inter hæc coronatur Imper. Ludibria Curiæ Romanæ. Arcanum domin. Curiæ Roman. Meretrices Romæ imperant, gignuntqve Papas. Tragædia Stephani in Formoſum, neſcio, an ex nomine ejus conficta.*

§. I.

C*Arolus M.* qvi *An.* 814. 5. *Febr.* obiit, *Ludovicum pium* filium tot regnorum hæredem habuit, hicqve An. 840. defunctus regna ita diviſit, ut *Lothario* Italiam, nomenqve Imperatorium, *Ludovico* Germaniam, *Carolo Calvo* Franciam reliqverit. Etſi autem *Lotharius* ſtatim à Patris obitu in fratres ex *nomine Imperatorio* prenſaret Imperium, maluere tamen hi pro regnorum ſuorum libertate bellô decertare, qvàm ſubjectorum inſtar *Imperatoris nomen* venerari. Ex qvo tandem An. 842. repetita diviſio, qvæ *Ludovico* ſub nomine Germaniæ ditiones à Rheno ad usqve fluvium Rab in Hungariâ productas dedit, ita qvidem, ut ſinguli fratres abſolutô Imperiô, neqve ab *Imperatoris* nomine pendulô tradita ſibi regna obtinerent. Ab hoc

tempore Germania distincta semper à Franciâ permansit, neqve unqvam in unam civitatem postea cum Italia, Galliaque coaluit. *Lotharius* autem Imper. tandem factus in Prumiensi cœnobio Monachus An. 855. obiit, successoremqve *Imperatorii nominis*, Italiæqve habuit filium *Ludovicum*, *An* 875. postea defunctum. Hujus morte auditâ *Carolus Calvus* Ludovici patruus, vafer, ac subdolus princeps Anno regni Francici 36. Chr. 875. Romam advolans à *Johanne VIII. P. R.* in *Augustum* coronatus. Filium, qvem habuit *Ludovicum Balbum*, den Stammler Imperatoribus non accenseo, sed *Carolum Crassum* Caroli Calvi ex fratre Ludovico Germaniæ Rege nepotem, qvem *Johannes VIII.* An. Chr. 881. Imperatorem inunxit. Huic autem ob mentem diminutam, atqve indies etiam in pejus ruentem à proceribus amoto suffectus est ex *Carolomanno*, filio *Ludovici* Germaniæ Regis, *Pii* filii, *Caroli M.* nepotis filius nothus Arnulphus, qvem tamen Itali Regem non assumsêre, cujus causas explicare non pigebit.

§. II.

Invalescebat eâ tempestate per Italiam *Saracenorum* furor, jamqve ipsam etiam Romam afflabat, neqve tamen *Carolus Crassus*, à *Johanne* licèt accitus, defensionem parabat: Et premi qvoqve se à Cæsareis in Italia Ministris, *Forijulii*, *Spoleti*, *ac Beneventi* ducibus conqverebantur clerici, (nunqvam enim hi laicas manus placidè sustinuerunt) ex qvo *Adrianus III. P. R.* (*An.* 884. cum senatu Romano consilium iniit de proprio in Italiâ Rege eligendo, qvi *Cæsareò* qvoqve vestitus nomine Italiæ rebus, salutiqve propiùs prospiceret. Ergo post *Carolum* amotum, Italia *Arnulphum* velut minorem sustinendo imperio aspernata proprios sibi Reges elegit, qvanqvam in factiones divisi, alii *Widonem Spoletanum ducem*, *Berengarium* alii *Frijulensem* ascivêre, qvorum hic nomine Regiô, ille Imperatoriô rebus functus est: Sed *Wido Berengarium* expulit, à *Stephano VI. P. R.* An.

891.

891. vel à *Formoso* An. 892. *Imperator* dictus, coronatusqve, *Lambertum* filium successorem habuit, qvi vivô adhuc patre *Imperator* à *Formoso* inunctus erat: Sed *Berengarius* nondum spem abjecerat, jamqve *Arnulphum* Germaniæ Regem in Italiam pellexerat, cùm *Formosus* An. 896. *Arnulphum* in Imperatorem coronavit, sed postea à *Widonis* uxore poculô medicato extinctum An. 899. qvô morbô pediculari periit. Retinebat etiam inter hæc *Lambertus* imperatorium nomen, deditqve *Cardinali Baron.* occasionem, *Arnulphum* è *Cæsarum* catalogo expungendi, qvasi per subreptionem (ita *Johanni IX. in Synodo Romanâ* visum est decernere) à *Formoso Imperator* coronatus esset. Ipse autem *Berengarius* post *Arnulphi* obitum à *Johanne IX.* non tam Imperator dictus, qvàm delusus est, cùm ab eodem Pontifice *Lambertus* statim ut Imperator revocaretur, donec tandem An. 915. à *Johanne X.* de novo coronatus est, stupente orbe, adeò diris ludibriis populos à *Curia Romanâ* circumagi, qvæ per meretricias artes procum proco trudebat, qvò simul omnes perderet. *Berengariô* à suis An. 924. occisô remanebat adhuc turbatissimus Italiæ status; dein *Hugo* ad An. 947. *Lotharius* 950. *Berengarius* ad An. 962. regni imaginem produxit, qvô ipsô tempore *Otto* Germanorum Rex â *Johanne XII.* Imperator coronatus est, uti mox declarabitur. Ne autem principes ob atrocem illam, qvam *Vicarii Christi* Pontifices de Imperatoribus ludebant, tragædiam, indignari possent, placuit exempli paritatem in seipsos experiri. Præterqvam enim, qvòd meretrices illâ tempestate *Petro* successores darent, imo & gignerent, emineretqve *Marozia* Romæ domina, *Sergii papæ III.* scortum, ex qva ille *Johannem*, qvi & ipse Pontificatum obtinuit, exclusit, volupe qvoqve erat, eversis demortuorum decretis Pontificum, in eorum famam debacchari, & heroici qvidem facinoris exemplum præbuit *Stephanus VI.* a qvo *Formosus I.* qvi An. 896. obierat, An. 97. extractus sepulchrô, exutus vestibus, ac tribus mutilatus digitis,

gitis, capiteqve damnatus in Tyberim abjectus est: cujus ego Pontificis misererer, nisi jampridem *An.* 897. ipsæ sanctorum imagines hanc commiserationem antevertissent, qvæ, dum *Formosus* à piscatoribus *postmodum inventus, atqve ad B. Petri Apostolorum Principis Ecclesiam deportatus, hunc in loculo positum venerabiliter salutârunt*, uti *Luitpr. lib.* 1. *cap.* 8. *Baron. ad An.* 897. *num.* 3. enarrat. Vide eundem *ad An.* 904. *n.* 4. 908. *n.* 3. 4. 5. 6. 912. *n.* 8. ubi luridam, fœdamqve Aulæ Romanæ faciem depingit.

CAP. VIII.

An Conradus, & Henricus Auceps Germaniæ Reges inter Romanos Imperatores recensendi sint?

SUMMARIA.

I. *Successor Arnulphi Ludovicus obit. Is erat ultimus ex regiâ familia Caroli M. In Germ. succedit Conradus: huic nomine Regio Henricus Auceps.*

II. *Conradus & Henricus non fuerunt Imperat. Romanorum. Qvare?*

§. I.

QVis fuerit regni Italici status ad Ann. usqve 962. expositum est, constititqve, Italiam suâ ex gente (è *Longobardis* supererant illi proceres) sibi Imperatores dedisse. Et Germani qvoqve inter hæc Germaniæ regnum tenebant nullâ propemodum Italiæ curâ. *Arnulpho* enim successit *Ludovicus* filius unicus, qvi ab *Hattone Archi-Episcopo Moguntino in Albrechti Comitis*

Bam-

Bambergensis necem contra datàm fidem corruptus, meritusqve ex eo Germanorum odia, ex animi ægritudine An. 912. vitam finiit, regiæ *Caroli M* familiæ in Germania ultimus. Sub hæc Germani proprium sibi Regem elegerunt obtuleruntqve Imperium *Ottoni* principi præpotenti, *Saxonum*, *Angariæ*, ac *Westphaliæ* Duci, sed hic seniô jam confectus in *Conradum Francorum*, atqve *Hassiæ Ducem* hoc onus rejecit, qvi morti jam proximus auctor fuit, ut *Henricus Auceps* der Finckeler *Ottonis* filius in Germaniæ Regem An. 919. assumptus sit.

§. II.

Num autem hi fuerint veri *Romanorum Imperatores*, nec-ne, jam pridem addubitatum est. Scriptorum qvidem è Germania plerosqve Imperatorium nomen *Conrado*, atqve *Henrico Aucupi* deferre non ignoro, sed assensum à me hactenus extorqvere non potui, non qvidem ex eo, qvòd à *Romano Pontifice* uncti, coronatiqve non fuerint, cùm hæc vana arbitrer, & per oleum non defluere in Principum capita jus regium atqve Imperatorium, facilè comperiam, sed magnas ob causas. Etenim cùm soli *Germanorum* proceres *Italiæ* Regem imponere nullô jure potuerint, neqve *Conradus* & *Henricus* de prærepto *Italiæ* imperio unqvam conqvesti sint, sed *Teutonum Regis* contenti titulô *Italis* reliqverint *Italiam*, soli *Germaniæ* imperitantes; facilè mihi persuadeo, ab horum Regum modestiâ impetrari posse, ut involutum turbis Italicis *Imperatorium* nomen, magnisqve fatigatum æmulis non ambiant.

CAP.

CAP. IX.

Qvomodo Otto Henrici Aucupis filius Imperatoris titulum obtinuerit, & qvid per illum acceperit?

SUMMARIA.

I. *Turba Italica. Adelheid Ottonem Germ.* Regem *evocat. Fit ejus conjux. Otto Berengario regnum Longobard. in feudum concedit. Papa Johannes cur ita dictus? Evocat Ottonem. Pactum init cum ipso. Otto juramentum præstat, sed non fidelitatis. Otto coronatur Imperator. An verum, sit à Francis ad Germanos devolutum esse Imperium? Johannes contra Ottonem perfidus. Papa necatur à Diabolo. Otto Benedictum abducit Hamburgum. Electores non sunt instituti à Gregorio V. & Ottone III.*

II. *Qvid acceperit Otto per nomen Imperat. Non Imperium* Romanum *sed Advocatiam.* Refellitur *Pacific. à lapide. Ludibria Aulæ* Romanæ. *Principes ludibria regerunt.*

§. I.

QVibus turbis *Italiæ regnum* Principum, Pontificumqve ambitione agitatum sit, *cap.* 7. enarratum est. Has inter Rex *Hugo Lothario* filio, qvem An. 932. Imperii consortem asciverat, *Adelheidem* Rudolphi qvondam *Italiæ* Regis filiam conjugem dedit. Sed *Berengarius II.* An. 945. *Hugonem*, *Lothariumqve* imperiô exuit, in eo tamen misericors, qvòd iis inane Regum nomen ex pacto relinqveret. Cùm verò post *Lotharii* obitum *Berengarius* An. 950. Regis titulum assumeret, premeretqve *Adelheidem Lotharii* viduam, illa rebus suis diffisa *Ottonem*, qvi

qvi An. 936. Germaniæ regnum inierat, in Italiam evocat, eiqve & se, uxorem, & qvæ adhuc retinere videbatur in Italiam, jura, post *Berengarium* in fugam actum An. 951. concedit. Ex qvo tandem res eò redacta est, ut *Berengarius* An. 952. *Italiæ regnum* ab *Ottonis* manu *Augustæ Ratorum* velut subditus beneficium acciperet. *Baron. ad An. 952. num. 2.* Sub hæc in *Petri cathedram* intrudebatur *Octavianus Alberici Romanorum Principis* ex scorto *Marozia* filius, qvi paterni principatûs hæres Pontificiam potestatem arreptæ jam tyrannidi miscuit sub nomine *Johannis XII.* (nam adulatorum nequitia homini accinuerat illud *Joh. 1 fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Johannes*) *ostensusqve est tanqvam in scena mimus Pontificem agens, qvi nec ætate Diaconus esse potuit: Baron. ad An. 955. à n. 1. ad 5.* Cùmqve hic *Berengarii* potentiam formidaret, ei æmulum pro veteri Pontificum more excivit *Ottonem Germaniæ Regem*, qvi *Petri* causam (ità enim sub sacro hoc nomine placebat orbi illudere) tueretur. Ne tamen sibi, qvippe de sua in *sedem Apostolicam* intrusione malè conscio, qvid atrocius ab *Ottone* eveniret, placuit primùm ab *Ottone* sacramentum exigere, qvo *Johanni*, *Petroqve* tutelam promitteret. *Baron.* ad *An. 960. num. 4. 5.* Qvamqvam autem *glos. in dist. 64. C. Tibi Domino.* Juramentum illud *fidelitatis* afferat, qvod ab eo, qvi *feudum* accipit ab Ecclesia, non solùm Ecclesiæ, sed etiam prælatis præstari debet, id tamen facilè sperno, cùm (ut de veritate hujus canonis nihil dicam) ipse *Otto* jam multò ante *Berengarium* sibi ex *beneficio* subjectum fecerit, juramentumqve illud nihil aliud, qvàm defensionem exegerit, qvam *Johannes latronum more*, ut sapienter monet *Baron. ad An. 960. num 5.* avidè exoptabat, ut securitati suæ consuleret. Ergo Romam profectus *Otho* à *Johanne XII.* Imperator coronatus est Anno 962. qvô ipsô Imperatorium nomen non à *Francis* ad *Germanos*, sed à *Longobardis*, qvi labascenti *Francorum* potentiæ successerant, ad *Germanos* transiit. Sed

U *Otto*

Otto vix digressus versâ subitò rerum facie *Johannis* perfidiam expertus est, qvasi jam luderet hac in scena, fabulâqve prologum Romana Curia, præmoneretqve, qvid Germaniæ Regibus ex *Imperatoris nomine* à Pontificibus exspectandum esset. *Johannes* enim homo levis, postqvam Româ abierat *Otto*, *Adalbertum* Berengarii filium evocat, *Imperatoremqve* destinat, sed *Otto* redux actis in fugam ambobus, Episcoporum Conventum Romæ celebravit, in qvo *Johanni* Pontificatus abrogatur, eiqve *Leo* An. 963. suffectus est, & licèt *Johanni* An. 964. ex plagâ à Diabolo inflictâ, uti *Luitpr. lib. 6. cap. 11.* & *Baron. ad An.* 964 *num.* 17. memorant, extincto à Romanis surrogatus esset *Benedictus*, hunc tamen *Otto* gradu dejectum in Germaniam secum abduxit, *Hamburgi* postea demortuum. *Adam. libr. 3. cap. 6. Ditmar. libr. 2.* *Otto* ad nepotem usqve *Ottonem III.* Imperii nomen produxit, qvi in fabulam plerisqve cessit, qvasi sub eo, annitente *Gregorio V. septem Electores* instituti essent, qvam ex *Aulæ Romanæ* confictam ingenio posteri avidè amplexi sunt; sed hâc de re aliàs agendum.

§. II.

Qvid autem *Otto* per Imperatorium nomen acceperit, *Romanumne Imperium*, an in *Urbem Romam* duntaxat, an *simplicem Advocatiam Ecclesiæ Romanæ*, magnô ardore disceptari, comperio. Ut me breviter expediam, (nam in *Carolo Magno* primus impetus absumtus est) neqve *Romanum*, neqve in *Urbem Romam* imperium, sed solùm *Advocatiæ jus* in *Ottonem* translatum esse, asseruerim. Etenim id disertè evincit diploma *Ottonis*, qvod apud *Baron. ad An.* 962. *num.* 3. *&c.* comperio. Ipse qvoqve *Johannes* relictum sibi à Patre *Alberico* Romanæ urbis Principatum in *Ottonem* non transtulit, neqve *Lombardia* ex *Papæ* beneficio in *Ottonem*, qvippe ejus jam pridem dominum transiit, qvodnam ergo illud Imperium *Romanum*, qvod sibi, ac Petro retinuit *Johannes*, qvod in *Ottonem* translatum esse deprædicant?

Ne-

Neqve hic moror, qvæ *Pacif. à lapide disc. 6. n. 17. in Monzamb.* attulit. Appellârit enim *Otto Johannem juramenti, ac fidelitatis immemorem*, inqvisiverit etiam in vitam ejus, ac mores; hæc tamen veram subjectionem non arguunt, cùm primum illud, qvod ex *Luitpr. lib. 6. cap.* 10. affertur, ex eodem scriptore *lib. 6. cap. 6.* facilè intelligatur, qvasi ex pacto & fœdere fuisse, jurâsseqve *Johannem*, se nunqvam *Berengario, atqve Adalberto* auxiliaturum; alterum verò *Advocati Ecclesiæ* jura non excedat, qvi Episcoporum consiliô *Johannem* fractæ fidei, multorumqve scelerum reum, ringente licèt B*aron. ad An.* 963. Papatu expulit, à Diabolo postea An. 964. *dum qvâdam nocte extra Romam se cum cujusdam viri uxore oblectaret, in temporibus adeò percussum, ut intrà dierum octo spatium eôdem sit vulnere mortuus. Luitpr. lib. 6. cap.* 11. Hæc est *Imperii* illius in *Germanos* translatio, qvam posteri Germanorum Reges per artes Romanas *Imperatoris illecti* nomine, multô sanguine eluerunt, triumphante semper *Curiâ Romanâ*, qvippe qvæ putamina, cassasqve nuces nucleô semper sibi retentô adeò callidè novit populorum aviditati objicere, ut in bella qvoqve, mutuasqve neces proruerint. Qvanqvam non defuerint postea inter Principes, qvi pari ludibriorum genere Pontificibus illuserint, & *Carolus VIII.* G. R. qvem Romæ præsentem *Alexander VI. Regem Ægypti* dixerat, ut ibi haberet *Mystam*, regestis ludibriis *Alexandrum Ægypti Calypham* salutârit. Sed Germanis semper volupe fuit, Italicos suo de corio lusus religiosè perpeti, *Petriqve* cultro etiam ad sanguinem, atqve ossa usqve secanti oscula figere.

CAP. X.

Qvibus artibus, mediisqve Pontifex Germanos ex Italiâ tandem expulerit.

SUMMARIA.

I *Pontifices etiam Germanos depellunt. Qvibus artibus? Qvantum possit horror Religionis. Clerici à Principum Imperio exemti. Origo Reipubl. Eccles.*

II. *Papa litem movet de Investitura. Hildebrandus fax & tuba turbarum. Henricus V. renunciat juri investituræ. Arcanum Episcoporum in Germaniâ.*

III. *Monachorum Ordines sunt Arcanum dominat. Aulæ Romanæ. Cur Societ. Jesu sedem Petri tueatur. Arcanum dominationis Cur. Roman. in appellãdis hæreticis, qui tamen non erant. Ordo Franciscan. insurgit contra Johannem XXII. Thomas Aqvinas hac occasione canonizatur.*

IV. *Fulmen Excommunicationis intorqvetur. Qvis ejus effectus? prava opinio de Excommunicatione. Prædicatio Cruciatæ contra Principes Christ. Pestilens opinio, Martyres esse, qvi pro Papâ moriuntur, sed scelestos, qvi pro Principibus.*

V. *Cæsares in Palæstinam callidè mittebantur. Gibellinorum, & Guelforum factio excitatur. Papa Cæsaris subditos ad rebellionem concitat. Sed suo damno. Papa Vicinos Reges à Germaniâ abstrahit per titulos regios. Conradinus Suevicæ familiæ ultimus dolô Papæ occiditur. Arcanum Aulæ Romanæ ratione regni Neapolitani. Cur Aula Romana malit Cæsares impotentes. Rudolphi Habspurgici prudentia. Pauli III. & Caroli V. dissidia.*

§. I.

§. I.

ETſi autem *Italiæ* Imperium ſuâ in gente Germani poſt *Ottones* ſat maſculè retinuerint, lapsû tamen temporis Teutonicæ qvoqve protectionis faſtidium Pontifices cœpit ſubire, cum *Vicarium Chriſti* ureret, diutiùs velut ſub tutelâ eſſe, qvi jam dudum omnibus leges ferre pruriebat. Ut ergo illud onus ſanctisſimæ iſtæ animæ excuterent, Italicam exacuêre calliditatem, cœlumqve miſcuerunt terræ, Acheronta etiam movere impavidi, donec Teutones deceſſiſſent Italiâ, ſedemqve Romanam Pontificum arbitrio reliqviſſent. Hanc autem Curiæ Romanæ mentem ſemper inſediſſe, nemo unqvam pernegabit; qvibus autem artibus, conſiliisqve Germanorum Cæſares Italiâ demum depulſi ſint, juvat paucis exponere. Et ſanè poſtqvam *Romanæ Sedis* adoleverat auctoritas, ſacrarumqve rerum in Occidente arbitrium ab hâc unicè viſum eſt dependere, facilè qvoqve poterat ſub *religionis obtentu* in civile orbis imperium manus injicere, cùm is, qvi ſummus religionis moderator inaudit, animis, hominumqve conſcientiis, & per has ipſi corpori imperet, uti non malè oſtendit *Thomas Campan. della Monarch. di Spagn. cap. 5.* Atqve ex ſacro illo terrore *Romana Sedes* omnium animos ſibi cœpit ſubjicere, quippe mortis æternæ metu anxios, niſi ad nutum parerent. Et plebem qvidem, qvippe imaginariæ impreſſioni, ut ſapienter advertit *Galeazo Part. 2. lib. 3. pag. 133. 134.* duntaxat obnoxiam jam ſuas in partes attraxerat Pontifex, à qvo & ſalutis æternæ diſpenſationem illa exſpectabat, & mortem timebat. Clerici jam pridem in partes iverant, cùm horum qvoqve intereſſet, *Laicorum* potentiam deprimi. Qvem in finem eorum dignitas immenſis firmata privilegiis, & à *Secularium* Imperio ſenſim exemta, qvi Pontificem hujus auctorem beneficii, tanqvam Reip. ſuæ caput contumaci obſeqviô adoraturi eſſent. Hæcqve eſt *Eccleſiaſtica illa* Reſp. *qvæ ex ipſo civili Imperio obſtetricante Pontifice ſenſim enata ipſam demum*

mum matrem suam velut vipera enecuit. Vide *Servitam lib. 4. del Concil di Trento sub An.* 1551. *ubi* mali istius originem admirandô judiciô explicat.

§. II.

Interim Pontifices certi *Germanicorum* Cæsarum in Italia potentiam extinguere, non tamen simul omnia audebant corripere: consilium intervalla, ac moram poscebat: ab *Episcoporum*, ut vocant, *investitura* cœptum est, *Hildebrandô* seu *Gregoriô VII.* tragœdiæ auctore, qvi primus *Monarchiæ Pontificiæ Dictator* lethalem plagam *Germanicorum Cæsarum* auctoritati inflixit, reliqvitqve successoribus *Arcana dominationis* (extant hi *dictatûs lib.* 2. *Epist.* 55. & apud *Baron. ad An.* 1076. *à num* 31.) qvibus innixi, Imperatorum potentiam exciderunt ad inane duntaxat nomen propè redactam. Cùm enim rebus suis nondum planè confideret Pontifex, nisi cuncti in Germaniâ Episcopi à se dependerent, de eorum *Investitura*, qvæ baculo & *annulo* fiebat, lis *Henrici IV.* mota est, nec desiit Europam penè omnem *Christi Vicarius* turbis involvere, donec *Henricus V.* An. 1122. *Wormatiæ* in Comitiis regiô istô Episcopos, atqve Abbates constituendi jure decessit, à qvo tempore Episcopi in Germania semper adhæsêre Pontifici Romano, cessitqve id in *Arcanum Episcopalis dominationis*, uti sapienter advertit *Servita lib.* 2. *pag. m.* 297. cujus verba non pigebit exscribere: *temevano, che l'Imperatore non leuasse l' obedienza, cosa da loro somma mente abhorrita, per l'innata, & inveterata openione de' prelati Thedeschi di sostentar la degnita del Pontificato, che sola puo contrapesare l'autorita degl' Imperatori, a' qvali essi senza l'appogio del papa non possino resistere, se conforme all' uso de' prencipi Christiani antichi voglione tenergli in officio, & leuar gli abusi della decantata libertà Ecclesiastica.* Hæc ille.

§. III.

Ut verò pluribus adhuc munimentis tanta *Curiæ Romanæ* moles inniteretur, *Monachorum*, præcipuè *mendicantium*

tium ſeculo 13. ordines magno *Curiæ* bono exorti ſunt, qvos non tantùm inviſæ *Epiſcoporum* auctoritati ex *dominationis Arcano* opponeret, ſed etiam ad *prædicandas cruciatas*, uti vocant, contra Principes, obſeqvi dubios, aut reluctantes emitteret. Et mirum eſt, qvantum turbarum hæc *raſorum examina* per orbem excitârint; *veterum* tamen *Ordinum* induſtriam multùm ſuperat hodie *Societatis Jeſu* ſolertia, qvæ velut *prætoria Aulæ Romanæ, Petriqve cohors* tribus votis *qvartum* de *tuendo* Pontifice, ac firmandâ *S. Petri Sede* addidit, credo, ut hôc ipsô gratum animum *S. Petro* exhiberet memor beneficii, qvod *S. Petrus Ignatii Lojolæ* crura ſanârit, firmâritqve, ut & ipſe *Petri Sedem* firmaret. Ut autem ſuriis illis debacchandi in Principes materiam darent Pontifices, *hæreſeos* condemnati ſunt, qvi in *Vicarium Chriſti* auſi ſunt obniti, qvanqvam de *ſeculari dominio* tantùm ageretur; qvi tamen motus, *hæreſeosqve* ſuſpiciones in fumum abiêre, ſimul ac accuſati ſe *Pontificis*, non *Imperatoris vicarios* agnoverunt, uti *Paulus Servita in Hiſt. inqviſit. cap.* 1. optimè obſervat, adductisqve eam in rem exemplis comprobat. Inter qvæ tamen miraculi locô penè duxerim, qvod ab An. 1324. *Ordo Franciſcanus Ludovico Bavaro* contra *Johannem XXII. Dominicanâ* munitum cohorte adhæſerit, hæreſinqve *Chriſti Vicario* intentare auſus ſit, qvanqvam hæc *raſorum* litigia *Thomam de Aqvino* è *Dominicana* familia hominem cœlo intulerint, qvem *Johannes*, ut *Franciſcanos* deprimeret, ſolenni ritu *Divum* fecit, parumqve abfuit, qvin & ejus dogmata, modò *Franciſci* laceraretur *tunica*, inter *fidei articulos* retulerit.

§. IV.

Poſtqvam ergo Pontifex Principatum ſuum tot munimentis ſubnixum comperit, novosqve indies *Monachorum* ordines in potentiæ ſuæ columen pullulare, *ſacra* arma contra Imperatores expediit, ſi fortè obſeqvium aut abnuerent, aut differrent, fulmenqve *excommunicationis*, cujus illâ

illâ tempestate summa erat formido, intorsit, qvô *Cæsarum* deniqve potentia planè disjecta est; qvanqvam hodie, nescio, per qvam seculi mutationem, vis illa elanguida evanuit, nec major terror à *Papali fulmine* restet, qvàm si pictâ in tabulâ trisulcô armatus telô fumet *Diespiter*. Olim tamen, qvô tempore barbaries, atqve ignorantia orbi incumbebat, gravior hujus cura premebat homines, præsertim cùm integra etiam regna Anathemati subjicerentur. Ex qvo, cùm ea omnibus impressa esset opinio, *qvasi omnis æternæ salutis spes præcisa esset iis, qvibus hoc in statu mori contingeret*, non poterat non fieri, ut *Cæsares*, aliiqve qvôvis etiam pretiô Pontificum iram redimerent. Ne autem Cæsares malo indurescerent, *subditi ab obseqvio absoluti*, *armati in dominos*, *filii in parentes concitati*, *intrusiqve æmuli* Imperatorum jura everterunt, eâqve semper opportunitate utendum rati Pontifices, à novis Cæsaribus, qvos sui favoris, opisqve indigos noverant, nova jura extorserunt. Utqve Imperatores, ac Principes eò citiùs redirent ad obseqvium, *crucem prædicari* contra eos jussit Aula, qvod militiæ genus olim contra *infideles* ac *Saracenos* armabatur. Ne autem milites de stipendiis conqveri possent, ex *Ecclesiæ ærario* placuit plenarias largiri indulgentias, cœlumqve, ac Tartara reserare, illud iis, qvicunqve pro causa *S. Petri cœli clavigeri* mortem obirent, hæc reliqvis, qvi *Principum jura* tutarentur. Ex qvo pestilens illa, & in Rerumpubl. exitium serpens opinio enata est, *qvæ etiam rebellis adversùm Principes suos, modò Pontificis causam morti obtendant, hactenus Martyres, ac Divos fecit, qvorum mutæ etiam imagines subditos ad seditiones, rebellionesqve animant*, qvod tamen *dominationis Pontificiæ Arcanum Henricus VIII.* Angliæ Rex in *Thomâ Cantuariensi* detexit, evertitqve, uti optimè advertit *Servita lib.* I. *del Concil. sub An.* 39.

§. V. In

§. V.

In longinquas quoque expeditiones à P*ontifice* illiciebantur C*æſares* (prætextum dabat *terræ ſanctæ recuperatio*) ut per horum abſentiam motis in Italiâ turbis paparum gliſceret potentia *Tacit. An. 2. cap.42.* unde, cum vel levis mora eſſet inviſa, *Gregorius IX. Fridericum II. Imp. in* P*alæſtinam* proficiſci cunctantem anathemate mulctavit. Excitabat Romana Curia in Italiâ factiones, & excitatas magnô ſtudiô alebat: *Gibellinorum*, *Guelphorumque* nomina per illas turbas in Italiâ ſeculo decimo tertio enata, quæ totam diſtrahebant. Pontificum quoque nutu viri principes in cæſareis Italiæ urbibus earum imperium invadebant, *Scaligeri Veronæ*, *Eſtenſes Ferrariæ*, *Mantuæ Gonzagæ* conſederunt favente *Benedicto XII.* ut eorum contra *Ludovicum Imp.* parata haberet auxilia. Quô tempore non exiſtimabant Pontifices, quondam futurum, ut verum deprehenderent id, quod *Antonius* Perez nobis reliquit *Aphor. 76. de las Relaçion. Ayudar. y ſolleuantar Vaſallos de otro Principe es contra las reglas de la conſervaçion de la obediençia de Vaſallos proprios*, cum ſuperiori ſeculo graves contra C*arolum V.* querelas moveret P*aulus IV.* quod C*arolus* ipſe Hæreticis, *Luthero*, aliisque P*apatum* obturbantibus favorem exhibuerit, illum quidem in finem, ut *ſanctam ſedem* deprimeret. Vicinos quoque Reges ab Imperatoris reverentiâ ſeduxere, *regii nominis* etiam in eos, qui fortè non expoſcebant, prodigi, ut veterum Imperatorum jura exſererent ipſi, Cæſarumque Germaniæ auctoritatem ſubruerent, in *Suevorum* è familiâ Imperatores maximè exacerbati, quòd ſimul regnum *Neapolitanum* obtinerent, è quo Pontificum inſolentiam propiùs compeſcebant. Neque quievêre, donec C*onradinus* per C*lementis IV.* conſilia An. 1268. Neapoli à C*arolo Andegavenſi* capite multatus formidandi materiam illa ex parte ſuſtulit *Suevicæ* familiæ ultimus. Ex quo in *Arcanum dominationis* abiit, Non eſſe permittendum, ut *Reges Neapolitani*, ſimul

Imperatores deveniant, quod ad nostra usque tempora etiam productum est, nisi quòd *Carolus* V. hanc legis relaxationem à Leone X grandi ære coëmerit, sed novâ deinde sanctione repetitum, postquam *Clemens* VII. captâ Româ captivus ipse *Leoninæ* relaxationis pœnas dedit. Ut brevibus dicendi finem faciam, huc cessêre omnes Pontificum artes, ut Cæsarem Germaniæ darent, qui tenui potentia pareret potius, quàm imperaret, disceretque Pontificis nutui obsequi, & solo Imperatoris contentus nomine Italiæ Imperium Italis relinqueret, quod diuturno etiam illi *Interregno* ab An. 1250, post *Friderici* obitum ad An. 1272. occasionem dedit, & viam fortè stravit *Rudolpho Habsburgico* ad obtinendos Imperii fasces, quippe à quo ob modicas vires *Romana Sedes* sibi nihil metueret. Et hic quoque aliorum territus vestigiis, ut erat summæ prudentiæ Princeps, Italiam reliquit Italis, ipsam quoque *Coronam Romanam* aspernatus. Quod exemplum in omnes propemodum successores transmisit, quanquam *Carolus V.* (ut de *Ludovico Bavaro* nihil dicam) in veteres Imperatorum lites ob potentiæ suspicionem cum *Aula Romana* prolapsus est, *Paulô III.* in omnes deprimendæ ejus potentiæ occasiones intentô, usque adeò etiam, ut cum *Protestantibus* eum bello commiserit, copiis auxiliaribus, quas *Carolo* submiserat, postquam utrique incaluerant, in Italiam revocatis, quò detentus domi *Carolus* aliorum arbitrio Italiam permitteret; sed nec *Carolo* defuêre artes, quibus Pontifices fatigaret, quæ omnia *Paulus Servita in Histor. Concil. Trid. lib.* 1, 2, 3, & 4. hinc indè sapienter commemorat. His itaque artibus (quis omnes enumeret) *Aula Romana Imperatorium nomen* eò deduxit, ut in inanem penè titulum apud Germanos abierit; ipsa Curia autem *Jura Cæsarum* subdolè arrepta retineat.

CAP.

CAP. XI.

Repelluntur prætensiones Pontificum in Germaniæ Imperatores, Imperiumque exercitæ.

SUMMARIA.

I. *Ambitio Aulæ* Romanæ. *Illudit orbi. An Germania sit feudum* Pontif. *Hæc verba sunt, quæ Aula* R*omana reguntur.*

II. *An Imperator à Papa debeat examinari? Arcanum Aulæ* Romanæ *hac in re. Vetera Imperatorum jura referuntur. Papa non potest argui.*

III. *An Papa confirmet Imperatorem? An instituerit Electores? An Electores, ut vocant, hæretici, & Pallio carentes non habeant jus eligendi? An Papa etiam locô defectum suppleat? An* Papa *sit Vicarius Imperii?*

IV. *An Imperator abdicans teneatur Imperium* Papæ *resignare? An Electores possint Imperatori successorem destinare?*

V. *An Imper. teneatur* Papæ *obedientiam, & fidelit. jurare? An ab Imp. ad Papam possit appellari? Curia* Romana *invasit, evertitque Germaniæ judicia. Lutherus libertatis Principum restitutor. An Germania possit numerum Electorum augere non volente Papâ. Innocentii X protestatio repellitur. Urbanus VIII. Austriacorum æmulus. Largitur indulgentias locô subsidii.*

§. I.

ETsi autem satis constet, *Aulam Romanam* huc usque invasisse *veterum Imperatorum* jura, & inane tantùm nomen Germaniæ Regibus reliquisse, tam effrons tamen ejus semper comperta est arrogantia, ut vel *solum ob titulum* Germaniam, ejusque Cæsares servituti addi-

 xerit,

xerit, barbarô ſanè exemplô, nihil dare, & tamen per ſpeciem, quaſi omnia dediſſet, in hujus *nihili* pretium cuncta rapere, & de ipsâ qvoqve regni, quod ad Imperium Romanum nunquam pertinuit, libertate triumphare. Juvat ergo putidas illas *Romanorum prætenſiones* excutere, ut, quid Germania *Chriſti Vicario* debeat, expendi poſſit, ſimulqve rideantur *Honorii* vanitas, qvòd etiam *Theſauro* ſuo iniqua illa pontificum poſtulata jam auſus ſit inferre, quaſi jam in numerato eſſent. Vide *pag.* 319. *diſcors ſopra l' autorità del Papa pag.* 322. *diſcors. come l'Imperio dipenda da papi.* 1 *Imperium Romanum* (ajunt) *eſt feudum Pontificis in Germania Reges collatum.* Feudum? collatum à *Papa*? qvi nec pupam, nec Papam Germaniæ Regibus largitur? qvodnam illud, & ubi terrarum? *Romanum Imperium*, *Romanum Imperium eſt nunquid id ſatis*? vel ſemel dictum: ſed ubi id eſt? an in *Germania*? nimis id putidum: *Germanicum* id regnum eſt *Romano* nunqvam ſubjectum. An *Roma*; ſed ibi *Pontifex* imperat non *Germanus*, cui ne tenuem qvidem caſam *Eccleſiæ paſtor* ibidem dedit. Ubi ergo nunc illud *feudum* vel ad ravim usqve Germaniæ exprobratum? fortè ſub concavo lunæ *Ideis Platonicis* ſe miſcuit? Ibi ergo *Vaſallos* ſuos *Aula Romana* quærat, non in *Germania*. *Sed tamen Germania dicitur Imperium Romanum.* Dicatur, *ergo feudum eſt.* Verba ſunt, qvæ Germania nimis carò redemit; hæc ſi *feuda* ſunt, qvid aliud Pontifex à Germania, qvàm *verbale* ſervitium poterit expoſcere? Et ne conqueri poſſit, eum *Ægypti Calipham*, *Aſiæ Mufti*, *Calecuti Patriarcham*, *Bronziorum*, *Bramidarumque primatem* facimus, ut & ille tot feudis ſibi repenſis gloriari poſſit. Prius itaqve Imperatori reſtituat Pontifex, qvæ ipſe in Italia detinet verborum duntaxat nunc prodigus, & vel tum remanebit quæſtio, *An populus, qvi alterius protectioni aut Imperio ſeſe ſubjicit, dicendus ſit, feudum concedere*? qvod vaniſſimum judicaverim.

§. II.

§. II.

Pergunt. *Persona in Imperatorem electa, antequam coronetur, priùs examinari debet.* Aquo? *à Papa?* quidni & excoriari; nam pari jure id licebit. Sed qvem in finem? Masne sit, an fœmina in sella stercorea? id Pontificum fuisse privilegium volunt, nunquam Imperatorum. *Examinari debet, ne fortè excommunicatus, Tyrannus, Sacrilegus, vel futurus hæreticus Imperatorium nomen obtineat.* Digna Episcopo universali cura, ut omnia rimetur. Breviùs dici poterat, examinandum esse, *an sit fidelis subditus Aulæ Romanæ*, nam verba illa aliud nihil volunt, cùm capere non possim, qvâ viâ aliàs rimari possit Pontifex, an Imperator *futurus* sit *hæreticus*? sed, cur non & reliquos Reges examinat *Aula Romana*? cur soli Germaniæ hanc intentat ferulam? num simplicius ejus ingenium adeo acrem solicitudinem excitavit? *sed extat id in Extrav. de Elect. cap. Venerabilem.* Extet. Si Romæ Imperatorem habeant, examinent, per nos licet: Germania Regem habet, quem ferulæ Romanæ non subjicit: Jura illa curiæ verè extravagantia sunt. Olim quidem ad *Imperatorum jura* pertinebat, providere, ne quis in *Cathedram Petri* irriperet, quem scelera, famæque fœditas contaminarent; sed *Curiæ Romanæ* calliditas hæc omnia in *Cæsares* detorsit, invertitque, ut nemo supersit hodie, qui electam in Vicarium Christi personam examinare audeat, num per *Simoniam* invaserit S. *Sedem*, & *Nepotismum* introductura sit, qui orbem bellis implicet, S. *que Petri Patrimonium* absorbeat. Sed id, credo, sacrilegium erit, cùm etiam ex *C. Si Papa dist.* 40. *Mortalium nullus Papæ culpas, licèt innumerabiles populos catervatim ad gehennam ducat, redarguere præsumat.*

§. III.

Papa (inquiunt) *Imperatorem electum confirmat.* Sed qvo jure? id beneficii *Pontifex* olim à *Cæsaribus* expectabat, non hi à *Pontifice.* Quid ergo in Cæsare confirmat?

Im-

Imperiumne in Romam, *& Italiam?* Id tradat prius. An in *Germaniam?* qvid hoc ad Pontificem? *Papa tamen Electores instituit.* Fabula eſt non ſemel ab Eruditis protrita. *Pontifex ſupplet defectus*, *ſi Electorum aliqvi* (ut nunc) *ſint hæretici*, *& Eccleſiaſticorum fortè qvis palliô careat.* Mira audio, qvæ tamen in *Maximiliani II.* electione invenit *Curia Romana*, ut videre licet apud *Pallav. lib. 22. cap. 6.* poſtqvam enim hic non adeo addictus *Aulæ Romanæ* videretur, ſed in *Proteſtantium* doctrinam propenſior, *Pius IV.* electioni ejus in *Romanorum Regem* multa objecit, quò regem optimum ſuas in partes fortiùs pertraheret. Sed eventu comprobatum eſt, *Maximiliani* conſtantiam ab *Aulæ* Romanæ ludibriis circumagi non potuiſſe, uti ſapienter meminit *Paulus Servita lib. 7. del. Concil. di Trento Anno 63. p. m. 740. 741.* & ex ipſo *Pallav. ll. ſatis* colligi poteſt. Neqve enim *pallium* Electori poteſtatem affert ab urbe Româ, quam *ut Princeps* in Germaniâ accipit, neqve Romana illa in Proteſtantes calumnia (qvamqvam nec hæreſis ſeculari jure qvenqvam ex ſe privare poſſit) Electorum jura abſorbet, licèt etiam *Paulus* III. *Carolo* V. vel ex hoc infenſus fuerit, quòd *Proteſtantes Electores* hac in dignitate reliquiſſet, qvos ipſa hæreſis jam antè hac dignitate privâſſet. *Papa enim tum ſupplet defectum, quando Corona non Aquisgrani, ſed Francofurti ſuſcipitur.* Et hæc ludibria *Maximiliano* objecta ſunt, *Pallav. ll. num. 6.* Miſera Germania, cui & loci libertatem præripit Curiæ ambitio, ubi coronationem perficiat. Sed, quæſo, quô jure? *Quando tamen vacat Imperium*, *Papa eſt ejus Vicarius univerſalis.* Qvidni univerſaliſſimus? totusne ergo Papa ſemper *vicarius*, jam *Chriſti* jam *Petri*, & nunc *ſecularis etiam Imperii?* hæc ambitio ſi longiùs ſerpat, tandem & ſuo regno *Erebi Tyrannus* metuet.

§. IV.

Nondum finis. *Imperator Imperio ſeſe abdicans tenetur illud in manus Papæ, non verò Electorum reſignare.* Reſignare? in

in manus Papæ, qui nihil unquam dedit? Sed quare? *quia Pontifex facultatem quidem dedit Electoribus Imperatori mortuo alium substituendi, sed non vivo: quo casu ad Pontificis dispositionem, atque arbitrium, novi Cæsaris constitutio relabitur.* Hæc putida sunt, quanquám *Paulus IV.* abdicationem *Caroli V.* hoc ex capite tam contumaciter rejecit, ut *Ferdinandum I.* nunquam voluerit *Cæsarem* agnoscere. V. *Servitam lib. 5 del. Concil. p.* 418. Interim si Pontifex *Imperium* habeat, ei *Imperatores* imponat, quos, & quando libet, Germania non obstabit: Sed obtrudi *Germaniæ* manu *Papali* Reges, eligendique libertatem, quam regna ex se ipsis habent, si habent, *Romanorum* libidini supponi quis patietur? *Electores* (pergunt) *non habent potestatem absque Pontificis consensu destinandi successorem Cæsari adhuc viventi, sed solùm subrogandi jam defuncto, aut saltem Adjutorem viventi, qui velut Romanorum Rex Imperatorem sublevet.* Sed cur non? sua de sede Papa disponat, Germanis Germaniam relinquat, quæ nunquam Romano Imperio subjecta fuit, neque in ejus unionem transiit, ergo ob vanam illam *Imperii Romani translationem* nihil ipsa in se, suâque libertate detrimenti capere potest.

§. V.

Imperator tenetur Pontifici juramentum fidelitatis præstare, atque obedientiam polliceri. Hoc subditorum est, & quos *Vasallos* vocant. Hæc onera nemo exigit à Vasallo, nisi qui feudum beneficio dedit, sed ubi illud est, quod *Curiæ Romanæ* beneficiô in Germaniam transierit? *Sed ab Imperatore quoque ad Papam appellari potest.* Nihil miror, id à *Curia Romana* exigi, quæ profanas etiam Germanorum causas in *Prima* quoque, ut vocant, *instantiâ*, suum ad judicium quondam pertraxit, uti ex centum Gravam. Grav. 9. 10 constat, qui liber verè aureus *Bellarm. lib. 1. de Transl Imper. cap. 2. num.* 13 tantum pudoris injecit, ut non à Germaniæ Principibus, sed à Lutheranis quibusdam in Papæ odium esse editum, contra tamen manifestam rei veritatem teste ipso *Pallav. lib. 2. cap. 7. num.* 14.

cap.

cap. 10. *n.* 10. *Illyrico* exprobret. Sed his malis finem *Lutherus* dedit, cui si aliud nihil deberet Germania, libertatem tamen suam Principes huic unicè debent. *Electorum quoque numerus augeri non potest absque* Pontificis *consensu.* Risum profectò meruit evanida illa *Innocentii X* P*: R.* contra *pacem Monasteriensem* protestatio, quòd præter alia hæc ingereret: *Numerus septem Electorum Imperii olim Apostolicâ Authoritate præfinitus sine nostro, & Sedis præfatæ beneplacito augetur, & octavus Electoratus in favorem Caroli Ludovici Comitis* Palatini *Rheni, hæretici instituitur.* Collegium Electorale nec quoad primam institutionem, nec quoad numerum à Pontifice dependet: Ubi ê re Germaniæ erit, etiam *nonus* ringente licet *Curiâ Romanâ* summô jure addi poterit. Si tanta autem *Catholicæ religionis* cura urebat *Sanctissimum* Patrem, non decebat *Urbanum VIII. Ferdinando*, quem *Suecus* urgebat, tam sævè illudere, & subsidii tam anxiè postulati loco *Indulgentias* largiri, quibus sanè bella non geruntur, quâ de re graviter scribit P*allavic. Vigil* 1. *dell' Anima p. oper.* 507. *Il pietoso* Pontefice*, temendo, che gli mancasse l'oro da vestire i Nepoti, in vece del desiderato sussidio mandò al povero Imperatore una indulgenza plenaria, acciochè i soldati morissero più volontieri di fame.* Hoc itaque hominum genus alienô sanguine firmari, augerique res suas amat, in auxilium verò acciti inanes verborum bullas rependunt. Italiam sibi, Italisque Pontifex retineat, sed Germanis Germaniam relinquat, quæ, licèt olim P*apa Imperium Romanum* in *Carolum* atque *Ottonem* transtulisset, nihil tamen detrimenti haurire potest, cùm nunquam ad *Imperium Romanum* pertinuerit.

CAP. XII.

An Germania sit Imperium Romanum, & quid utilitatis damnive hoc ex nomine habeat.

SUMMARIA.

I. *Germania non est verè Imperium Romanum. Francia nunquam ita appellata est. Germania distincta semper fuit ab Imperio Roman. Imperium Romano Germanicum contradictionem notat. Ex vaticinio Danielis nihil pro Germanis concludi potest.*

II. *Expenduntur commoda ex nomine Imper. An jura Advocatiæ adhuc retineantur. An Imper. sit Advocatus Eccles. Universalis? An Imper. in* Pontificum *electione jus obtineat? An Aula Romana Germanorum protectionem acceptet?* Papa *sibi ipsi tuendo sufficiens est pater communis, &* Principum *Arbiter.*

III. *An jus convocandi Concilia sit penes Imperat. Quid permittat jus Regium? Aula Romana arcet* Principes *ab hac cura. Histor. Concil. Trident.*

IV. *An Germaniæ præeminentia pracisè ex nomine Imperat. dependeat. Carolo M. etiam ut Regi Francorum debita fuit praeminentia.* Pa*pa non potest tollere jura Regum. Germania jam à tempore Ludovici An.* 842. *habuit præeminentiam præ Galliâ. Quibus ex causis? Germaniæ olim amplitudo. Gallia turbata.*

V. *Unde Imperator habeat jus primariarum precum? An Germania ex nomine Imperat. R. damna habeat? Quænam? Ludibria Aulæ Romanæ à* Paulo *Servita Veneto detecta.*

§. I.

INterim, ne pervicax *Aulæ Romanæ* ambitio *Imperii Romani titulô*, quem Germania adhuc retinere videtur, ultra inniti possit, pauca licebit & de hoc superaddere, utilitatemque ex eo, & damna quasi ad bilancem expendere. Ingenuè autem fateor, me hactenus denominationis illius fundamentum deprehendere non posse. Neque enim à subjecto id ita dici posse video, cùm non *Romanus*, sed *Germanus* imperet, neque à loco, cùm non Romæ, aut in Italia Imperator sedem figat, neque ab objecto, cùm Germania Romæ, & Italiæ non imperet, & licèt his imperaret, non tamen *Romanum*, sed simpliciter *Germanicum* appellari deberet imperium, cùm gens imperans, non subjecta Imperio nomen, ac gloriam tribuat. Neque uspiam comperio, *Franciam*, quæ *Carolum* Imperatorem habuit, nomine istô insignitam fuisse. Quid? quod *Imperium Romanum*, cujus sedes Roma fuit, jam dudum fuerit destructum, antequam Germania unius instar regni haberi cœpit. Et Germania quoque distincta semper fuit ab Imperio Romano civitas, neque ditiones, quæ *Patrimonio S. Petri* hodie insertæ sunt, in unam cum Germaniæ regno Remp. unquam coaluerunt, nec Germanorum Reges Germaniam Romæ, velut Metropoli subjecerunt, magno sanè argumento, *Germanicum Imperium*, *Romanum* verè dici non posse. Quanquam & contradictio sit, *Imperium Romano-Germanicum:* qua in re nescio, an probem *Pacif. à Lapide* pietatem, qui indignatus postponi *Germanicum*, ne Grammaticorum iram concitet, mavult *Germano-Romanum* dicere, ut patriæ decus tueatur: si de re ageretur, ego simpliciter *Germanicum* dixerim, ne cogar illud Imperium, quô tempore vetus ætas id habuisse creditur, appellare, *Germanico-Longobardico-Francico-Romanum*, qvi verborum cumulus monstrum denotat. Quæ autem communiter ex *cap.* II. *Dan. v.* 44. *cap.* VII. *v.* 22. 27. in contrarium

rium afferuntur, tanti non æſtimo, ut à ſententia diſcedam, cùm illa hanc in rem trahi non poſſe, liquidiſſimè poſſim oſtendere. *Lagidarum*, *Seleucidarumque* imperia, & quatuor illa regna præcipua, quæ poſt *Alexandri M.* obitum ex ipſius quaſi cineribus exorta ſunt, ſalvo aliorum judicio hic intelligi putem, cujus ſententiæ graviſſimas rationes alia opportunitas explicabit, liquidamque Vaticinii *Danielis* interpretationem ex *Veteri ſcripto Anglicano* (*concent of ſcripture*) *membranis impreſſo*, quô nihil nobilius hoc in genere hactenus comperi, ſuperaddet.

§. II.

Cæterum, ne quis exiſtimet, multum emolumenti deceſſurum Germaniæ, ſi *Imperii Romani nomen* obſoleſceret, non pigebit commoda illa expendere. Ac primò quidem ex priſco illo inſtituto Germaniæ Cæſar *Advocati Eccleſiæ* nomen adhuc retinet: Quid verò per *Eccleſiam* hîc intelligatur, fortè non ità in aprico erit. *Univerſalem* etiam Romanorum ſenſu *Catholicam* non deſignaverim, cùm nec *Carolus M.* nec *Otto M.* illius *Advocatiam* Pontificis beneficiô acceperint, quippe jam antè ſuis in regnis Eccleſiarum ex *jure Regio Advocati*, neque vel tum ceteri Principes *Imperatorum Advocatiæ* Eccleſias ſuas ſubjecerint, neque hodiè Germanorum Regibus ſubjiciant, ergo per nomen illud *ſedes* tantùm *Romana*, ejuſque bona denotantur. Antiquæ autem hujus Advocatiæ jura in oblivionem nunc delapſa ſunt. Etenim ex horum præſcripto Imperatorum erat, intruſos in *Petri Cathedram* pravos Pontifices expellere, atque in ordinem redigere, qui pacem auſi fuerint obturbare: Simul providere, ne quis præter, aut contra voluntatem Imperatoris *Sedem Apoſtolicam* occuparet. Intentet hodie hæc jura Imperator, mentiar, niſi Papali fulmine, velut *Coran*, *Dathan*, & *Abiran*, percellatur. Et ſanè Pontificum electio per Gallicas, Hiſpanicasqve Cardinalium factiones nunc perficitur, niſi quòd alii in *Nepotum* columen à Papâ demortuo aſſumti horum

commodis serviant, alii (*lasquadra volante*) planetarum cursu oberrent. Neque aliud penè Imperatori hac in re superest, nisi ut Pontifici jam electo *obedientiam* (ità enim volunt) polliceatur. De *Protectione*, quam *Advocatus* debebat Ecclesiæ, non pauca subjungerem, nisi dubitarem, commodane inter, an damna referenda sit. Habent enim hoc omnes sacerdotes, ut manus semper paratas gerant ad accipiendum, nunquam ad dandum. Et cùm alii clientes Patronos suos muneribus demulceant, Sacerdos Cliens ni ultrò donis deliniatnr, ringitur, suamqve benedictionem in immensum imputat. Quanqvam & *Paulus III. Carolum V.* invisa illa Advocatiæ jura intentantem monuerit, hæc tum exserenda, cùm *opus esset*, id est nunquam, cùm eò potentiæ *Sedes Romana* jam devenerit, ut Germanorum protectionem facilè respuat, & Pontifex ex *Arcano dominationis* sese *patrem communem* ostentet, hoc est, inter Principes, *Austriacos* præsertim, & *Gallos*, qui Europam suis consiliis librant, *Arbitrum*, neque utilitatis suæ, armorum inter, ac pacis consilia immemorem. Et quod si partium altera *Sedi Romanæ* propior imminuerit, *Hispanos* ostentatô etiam *Regis Catholici* nomine in subsidium *S. Petri* habebit advolantes, nec *Gallos nominis Christianissimi* oblitos.

§. III.

Sub hæc & illud urgeri comperio, quod *Imperatori* relictum sit, illum *Conciliorum in Rep. Christiana convocationi sese præ aliis immiscere*, qvâ de re *Silhon part. 2. liv. 3. disc. 3. f.* 441. agit. Quanquam autem fatear, *veteris Romani Imperii Cæsares*, quòd nullis ferè tum Regibus provincias illas, quæ nunc in distinctas coaluêre civitates, soli obtinerent, *Concilia* non tantùm convocâsse, sed & direxisse; hæc tamen jura mutatô imperii illius statu hodie interciderunt. Neque enim crediderim, Reges, ac Principes, ubi suo in regno hanc *Synodorum* necessitatem deprehenderint, *Germanorum* arbitrio illas subjecturos, aut etiam integrô jure Regiô subjicere posse, qvanqvam Germanorum Imperatori, si quæ ex Germania

mania necessitas universalem conventum exigat, invitationem facilè permittant, quippe qvam & sibi, si par causa ingruat, ab Imperatore denegari, subtrahiqve non posse, haud vanò existimant, cùm ex veteri instituto illa in Provincia *Synodus* habenda sit, in qua *Synodi causa* cogendæ exorta est. Sed *Imperatorii nominis* dignitati id concedant Principes, *Aula* tamen *Romana*, qvippe qvæ jam pridem jura illa invasit, Acheronta priùs movebit, cœlumqve miscebit Averno, qvàm ut tantum *dominationis Arcanum* Imperatoris arbitrio permittat. Quid per occasionem motuum Religionis superiori seculo, cùm postularetur *Concilium*, ab *Aula Romana* tactitatum sit, quibus artibus *Carolus V.* quòd hisce se curis acriùs immisceret, à Pontificibus circumactus, imò delusus sit, *Concilii Tridentini Historia* edocet, cujus qvidem confutationem *Cardin. Pallavicinus* magno opere molitus est, sed ex mendaciis, fraudibusqve consutam, verèqve à *Venetis*, quorum Ministrum *Fr. Paulum Servitam* admirandæ prudentiæ virum *Pallavicinus* veteri odiô percitus lacessiit, dictam *una quinta essenza di bugie.* Ergo neque hac ex parte emolumentum Imperatorio nomini *Curia Romana* unquam concedet.

§. IV.

Unum restat, qvod acriori curâ expendendum, nempe *praeminentia Imperatoris* respectu ceterorum in Europâ Regum: Hanc enim solius Pontificis beneficiô Germaniæ Regibus sub *nomine Imperatorio* concessam Bellarm. *lib.* 1. *de Translat. Imper. cap.* 13. aliiqve existimant, imo ad contumeliam usqve Germaniæ servitutem non ultra passuræ exprobrant. Ego tamen hoc Germaniæ jus ità esse comparatum nondum deprehendo, ut præcisè ex *nomine Imperatorio* trahi debeat, aut Germania ad inferiora subsellia detrudi, si fortè *Imperii Romani* nomen deponeret, quanquam & *Monzamb. n.*12. sub fin. videam asserere, *Carolum M. ejusqve posteros ob nomen Imperatorium inter reliquos Reges haud quicqvam repugnantes primum sibi locum asseruisse.* De *Carolo M.*

lo M. autem facilè transegerim, illum etiam ut Regem Francorum, ob regnorum amplitudinem, *Francicique* Regni gloriam, etiam ante nomen Imperatorium Romæ acceptum obtinuisse præeminentiam, cùm *Hispaniæ*, *Britanniæ*, *Longobardiæque* regna (hæc enim sola ferè in Occidente tunc erant) diversis distracta Regulis, aut noviter exorta *Francorum* dignitati facilè decederent. De *Germania* major difficultas, sed neqve hanc moror. Præterqvam enim qvòd Pontifici hanc potestatem nemo prudens concedet, *quâ suo unius arbitrio Regnorum jura subjiciat, aut novos ementiatur titulos, quibus prisca Regum, Principumqve dignitas in unius favorem evertatur*, ipse *Silhon. part. 2. livr. 1. disc. 12. f.* 186. Galliæ suæ, qvæ sola Germaniæ æmula esse potest, plagam infert, dum *Imperii Germanici dignitatem* ex Electorum aliorumqve Germaniæ principum, Statuumqve, qvi singuli qvasi Reges sunt, conjunctione desumit. Qvam autem rationem lubrico innixam fundamento existimem, cùm nec semper in Germaniâ is status viguerit, & ipsam Galliam paris penè dignitatis Principes olim distraxerint, donec *Ludovicus XI.* callidi ingenii Princeps oppressis Principibus Monarchiam ex parte restituit. Altiùs ergo mihi inquirendum est, qvô tempore, qvibusqve de causis Germania etiam absqve *Imperatoris nomine* præeminentiam illam indepta sit. Id autem statim ab obitu *Ludovici Pii* deduxerim, qvô tempore Germania primùm sub nomine *Franciæ Orientalis* in distinctum ab *Italiâ*, *Galliâqve* seu *Francia Occidentali* regnum abiit. Et *Lotharius* qvidem *Italiam*, nonnullaqve alia cum *nomine Imperatorio*, *Ludovicus Germaniam*, *Carolus Calvus Galliam à Mosa ad Oceanum Britannicum* accepit An. 842. qvorum illos *Ludovicus Pius* ex *Irmengarde* conjuge priore, hunc ex *Juditha Welpi Comitis* filia susceperat. Ex qvo facilè jam intelligitur, *Ludovico* utpote *secundo genito* præeminentiam præ fratre *Carolo* debitam fuisse, præsertim cùm *Francia Orientalis*, qvæ nunc *Germaniæ* nomen obtinet, splen-

didior

didior etiam habita fuerit, qvam *Occidentalis.* Neqve id mirabitur, qvisqvis reputabit, *Ludovicum*, cum An. 876. decederet, *Bojariam*, *Pannoniam*, *Boëmiam*, *Moraviam*, *Orientalem Franciam*, *Thuringiam*, *Saxoniam*, *Frisiam*, *Lotharingiam*, *atqve Alemanniam*, quàm immane terrarum spatium! liberis suis reliquisse. Quam *Germaniæ* dignitatem facilè etiam deinceps permisit *Gallia*, postqvam seculô nonô vexata à *Normannis* vix sibi tuendæ suffecit, & seculô decimô civilibus distracta bellis depulsâ *Caroli M.* familiâ *Hugo Capetus* rerum potitus est. Ex qvibvs colligere jam licet, *Germaniam* etiam *titulum Imperatorium* nondum adeptam præ *Gallia* eminuisse, cujus etiam dignitati *Hispaniam* ac *Britanniam* litem movere, rerum illis in regnis conditio non permittebat.

§. V.

Sed postremò urgent: *jus primariarum precum Imperator habet à Pontifice.* Miser Imperator, cui nequidem precari licebit, nisi Pontificis beneficiô, ac nutu, quanquam & hoc falsum sit, cùm jus illud *Regii illius Juris*, quod olim Imperatores Germaniæ in beneficia Ecclesiastica habebant, tenues potius reliqviæ sint, qvod à *Klockio* etiam *tom.* 3. *Cons.* 4. *num.* 24. *&c. cons.* 51. *num.* 34. observatum video. Et Pontifices, cæterosqve sacerdotes pudere potius debet, quòd tenuem illam *Juris Regii* particulam, instar *precum* etiam duntaxat valituram Imperatori in immensum audeant imputare. Eant ergo nunc, & *Imperatorii nominis emolumenta* Germaniæ enumerent, exprobrentqve, postqvam *Curia Romana* Imperatorum jura rapuit, & Germaniæ Cæsaribus nil nisi nomen reliquit. Quodsi nunc alterâ lance expendantur damna, quæ Germania ex nomine illo *Romani Imperii* perpessa est, facilè liquebit, *magni nominis splendorem Germaniæ libertati tenebras offudisse.* Non repetam, qvæ §. 10. hanc in rem jam allata sunt, dicat qvis tantùm, qvis unqvam Principum plures prodegerit opes, qvàm Germanorum Reges in profectiones ad capessendam *Coronam Romanam*? quantum auri, &

ri, & virorum abſumſerunt expeditiones in Italiam, compeſcendis turbis à Pontifice motis, aut ad eundem contra refractarios protegendum? qvanqvam levi gratiâ, aut nullâ, niſi hoc præmium lubeat appellare , quòd nemo unqvam principum ſæpiùs anathemate fuerit perſtrictus, nemo crebrioribus ſacerdotum ſeditionibus agitatus, quàm *Germanorum Imperatores.* Sic placuit *Aulæ Romanæ* orbi illudere, *transferre Imperia*, ſed *nihil tradere*, *concedere regna*, ſed ne *tenuem* qvidem, atqve *agreſtem caſam dare*, *largiri jura*, ſed ut ipſa *omnia invaderet*, *offerre titulos*, ſed ut *ſervos faceret*, *oſtentare magna nomina*, ſed ut *illuderet*, *Principatus quaſi ſub haſtâ venum exponere*, ſed ut *Reges bello committeret*, ut conſtaret, à *Curiâ Romanâ* populorum ſimplicitatem poſſe circumagi, nec tamen ludibria animadverti. *Dignus immortalitate Paulus Servita, qvi Curiæ hujus Arcana detexit, ne ſemper abſtruſæ calliditati timor , vel ſpes abeſſet calamitoſæ ſimplicitati.*

(o)

PERIODUS REGNI AUSTRASIÆ ſeu LOTHARINGIÆ

PER

DISSERTATIONEM HISTORICAM

De ejus

Ortu, progreſſu, Incrementis, mutationibus, Germanicorum, Gallorumque de eo certaminibus, ac denique occaſu expoſita.

Q. D. B. V.

PROOIMION.

EX *quo* Alſatia *cum* præfecturâ Hagenôenſi, *viciniſque*, *in* Lotharingia *Epiſcopatibus per pacis* Weſtphalicæ *tabulas in* Franciæ *tranſiit imperium*, *magnæ iis in locis evenêre mutationes. Erecta* Enſishemii An. 1658. 25 Octobr. *Curia turbavit provincialium animos*, *& curam injecit dubiæ urbium ibidem imperialium libertati*, *& audita tum inter prima auſpiciorum ſolennia* Præſidis *vox*, Alſatiam Regni Auſtraſiæ, *& hoc* Franciæ *quondam fuiſſe partem, memorantis, cunctos exterruit. Sub hæc* Carolus Lotharingiæ Dux Ann. 1661 *venditô* Gallis *patrimoniô*, *obſiſtente nequicquam Nepote evolutus imperio, poſt molitus varia*, Anno 69. *actus in fugam*,

ſibi exilium, aliis metum peperit. Ex eo ventum ad dependentias, à quibus Bipontinorum, Birckenf. Naſſav. Hannov. Eberſtein. Leining. Rheingr. Salmenſium, *aliorumque dependet libertas, quæ laxior ſemper ſub paſtorali* Epiſcoporum, *à quibus hæc capiebantur beneficia, pedo, quàm ſub gravi* Franciæ *dominantis ſceptro exſpectatur. Tandem quæ nuper venit in* Gallorum *manus*, Germaniæ *clavis*, Argentoratum, *recluſit* Germaniæ *mentem, non jam ampliùs dubitaturæ, quæ* Ludovici triumphantis *conſilia. Quæ inter cum jactata multorum vocibus, literisque* Regni Auſtraſiæ *conſtituendi ratio non paucos noſcendi cupidine accenderit, quæ* Regni Auſtraſiæ *primordia, qui limites, quæ in eo mutationes, quando extinctum, quæ Germanorum quondam, Gallorumque de eo certamina, placuit ſimplici, neque in partes abeunte ſtylô hæc ipſa enarrare; Quotquot autem in manus cura hæc noſtra pervenerit, oro, obteſtorque, ut eum ad legendum afferant animum, quem aſſiſtente ſupremô Numine applicui adſcribendum, hoc eſt, partium medium, integrumque, ne cibus ægrô exceptus ſtomachô coaceſcat.*

DISSERTATIONIS
SUMMARIA.

I. *Francorum regnum quando coeperit? Quinam illi? Quas ditiones occupârint? Clodovæus primus ex* Regi*bus Franc. Chriſtianus ſubjicit Alemanos. Quæ origo nominis* der witte Sonntag?

II. *Clodovæus Coloniam intercipit. Haſſia parebat Coloniæ principi.*

III. *Fran-*

III. *Francia in Teutonicam seu Austrasiam & Romanam seu VVestriam dividitur. Qui fuerint utriusque termini tempore Merovaorum Caroliqve M.*

IV. *Primus Austrasiæ Rex Theodoricus. An ex concubina natus? Dividit cum fratribus regnum Franc. Quæ fuerit ejus portio? Ubi sedem fixerit? An regnum, an vero sola ejus administratio divisa?*

V. *Thuringiam subjicit. Partem ejus accipiunt Saxones. Fratres ejus Burgundiæ regnum Franciæ subjiciunt.*

VI. *An etiam partem Hispaniæ? Theodorico successit filius Theodobertus. Qvi subjicit Rhætiam, Huic fil. Theodobaldus. Huic Clotarius patruus magnus. Charibertus Vasconiam domat, Pipinus Frisiam.*

VII. *Reges Franc. permittunt palatii Magistris regimen, ipsi desides. I. May quot annis comparent in publico. Quæ origo hujus celebritatis? Pipinus Magister palatii regnum Franciæ occupat.*

VIII. *Qui & quænam fuerint, sub regno Austrasiæ: Helvetii & Rhæti, Basileenses, Alsatia, Argentorat. Lotharingia. Trevir, Colonia. Leodiens. Juliac. Gelri. & Brabanti. Spira, VVormatia Moguntia. Svevia, Bavaria, Franconia, Thuringiæ pars, VVetteravia, Hassia. Per duces ac Comites administrata provinciæ. Francofurtum conditum.*

IX. *Pipinus ex Carolingis primus Austrasiæ Rex. Carolomanno & Carolo filiis relinquit regnum. An Carolus, an Carolomannus fuerit Austrasiæ princeps? Carolus M. fratris mortui regnum occupat. Saxoniam Austrasiæ addit. Ludovicus pius Caroli M. unicus hæres.*

X. *Filii ejus de regni divisione certant. Fœdus Ludovici & Caroli contra Lotharium linguâ romanâ provinciali & teutonicâ conceptum, firmatum quoque à proceribus Neustriæ & Austras.*

XI. *Tandem regnum dividunt. Quid singuli acceperint?*

XII. *Unde nomen Lotharingiæ? Quas urbes in regno Austras.*

 acceperit

acceperit Ludovicus? Qui fuerint fines regni Lotharingici? Origo comitat. Flandria. Batavi pertinuerunt ad regnum Lotharingiæ. Origo Comit. Holland.

XIII. *Lothar. Imper. facto Monacho Lothar. filius in Lotharingia succedit. Hôc mortuô Carolus Calvus patruus Lotharingiam occupat. Sed postea à fratre Ludovico ad divisionem compellitur. An patrui hi jure adierint nepotis hæreditatem? Quid quisque ex regno Lotharingiæ acceperit?*

XIV. *Filii Ludovici Germanici patris regnum dividunt. Nomen Austrasiæ sensim exolescit. Origo Normanniæ in Galliâ. Carolus Calvus mortuô fratre contra nepotes Lotharingiam invadit, sed repulsus moritur.*

XV. *Hujus filius Ludovicus Balbus cum patruele Ludovico divisionem confirmat. Normanni devastant Lotharingiam. Hugo Lotharii spurius turbat Lotharingiam.*

XVI. Post *obitum Ludovici* Balbi *tota Lotharingia pervenit ad Germanos. Quomodo id factum? An jure? An dominium ejus directum an verò utile?*

XVII. *Carolus simplex recuperat possessionem Lothar. Cismosanæ. Transmosanam etiam obtinet. Caroli M. stirps in Germ. deficit.*

XVIII. *Henricus Saxoniæ Dux fit Rex German. Galliæ status turbatus.* Carolus *simplex* R. *G. capitur. Scribitur Henricus accepisse Lotharingiam à Carolo simplice.*

XIX. *An Henricus fuerit Cæsar? An Henrici electio fuerit legitima? Germania de jure pertinebat ad Carolum simplicem.*

XX. *Quid Henrico negotii cum Giselberto Lotharingiæ Duce? Henrico in Lotharingiam nihil juris.*

XXI. *An Carolus simplex in Henricum transtulerit Bonnæ habitô colloquiô Lotharingiam? Totam Lotharingiam habuit, sed jure belli.*

XXII. *Giselbertus movet turbas in Lotharingia. Ludovic. Transmarinus R. G. hâc occasione repetit Lotharingiam. Sed fugatur ab Ottone I.*

tone I *Imper. Sororem Ottonis duxit, ab eodem postea contra Hugonem defensus. Exercitus constabat* 30. *millibus stramineô utentium pileô.* (Strohhute) *Otto capit Brisacum. Dat Lotharingiæ gubernatores. Et inter eos postea fratrem Brunonem Archiep. Colon. Hic commodis suis invigilat. VVestphalia adjecta Episcopatui Coloniensi.*

XXIII. *Lotharius R. G. repetit Galliam. Ejus frater Carolus ab Ottone II Dux Lotharingiæ constitutus. Lotharius* R. *G. abjurat Lotharingiam.*

XXIV. *Hinc ira Gallorum in Lothar. ejusque fratrem Carolum. Hugo Capetus illum regnô excludit.*

XXV. *Otto Caroli fil. succedit In Lotharingia. Huic Godefridus Ardennas. Sed Brabantiam retinet Lambertus.*

XXVI. *Explicantur mutationes aliquot in regno Lothar. seu Austrasia à seculo undecimo. Helvetia facta est Respublica Belgicæ provinciæ ad Burgundum, ab eo ad Austriacos transeunt. Nobilis illarum pars abit in Remp. fœderat. Episcopis quoque multa concessa.*

XXVII. *Alsatia & Lotharingia incorporantur Franciæ. Explicatur hujus rei origo.*

XXVIII. *In pacificatione Monaster. agitur de Alsatia &c. in Gallos transferenda. Quæ difficultates hac in re occurrerint. Mens Germanorum in transferenda Alsatia &c. Mens* Gallorum. *Verbis dubiis pax composita. Unde præsentes motus oriantur?*

§. I.

REgnum Francorum sub initium seculi quinti in Galliis cœpit, modicis primum, ut cætera imperia, initiis, sed postea mole conspicuum, ac potentiâ, vastissima terrarum spatia complexum. Hujus gentis, quæ in *VVestphalia, Frisia, Hassia, Franconia, ac Misnia* â tuenda contra

contra Romanos libertate *Francorum* (Francken und Freyen) acceperat nomen, memorare originem, & quomodo in Ubiis Rhenô ſuperatô effuſa in Gallias tandem *Pariſiis* ſub *Merovæo* (alii ſub *Clodovæo* id factum memorant) regni ſedem fixerit, conſilium mihi non eſt; ſed qvod ſcopo propius, non reticendum: *Francos* primùm in *Germaniâ ſecundâ*, cujus caput erant *Colonia*, ac *Tungri*, quâ ex urbe Epiſcopatus poſtea *Leodium* translatus eſt, atqve in utriuſqve *Belgicæ* parte cum uxoribus, ac liberis conſediſſe, unde velut flexô victoriarum curſu, Rhenôqve iterum ſuperatô, *Germaniam primam*, ad quam *Moguntia*, *Spira*, *VVormatia*, atqve *Argentoratum* pertinebant, ac *Sequanos*, id eſt *Helvetios*, Diœceſin *Baſileenſem*, ac vicina *Colmariæ* loca ſubegêre. Et *Clodovæus* quidem *Childerici* ex *Baſinâ Thuringorum* Regis conjuge, quam jam ante exul & hoſpes adulteriô pellexerat, filius *Alemannos* id eſt, *Suevos*, atqve *Helvetios*, nec non *Bojaros* ad *Tolbiacum* (Zulpich) *Coloniam* inter, & *Treviros* An. *Chr.* 496. devicit, quorum illi libertate exuti poſteris reliquêre ſervitutem, quæ florentibus Francorum rebus permanſit, uti *Vadianus apud Goldaſt. tom.* 2. *Alemann. f. mihi* 60. 61. refert; his verò libertas quidem relicta, ſed *regni* nomen ademtum, permiſſi tamen *Duces*, qui principatum *Franciæ* Regum beneficiô obtinerent, uti *Aventin. lib.* 3. *Bavar.* ex *Gregorio Turon. lib.* 2. *cap.* 30. *Aimon. lib.* 1. *cap.* 15. *Geſt. Franc. cap.* 15. aliisqve monumentis commemorat. Atqve ita hæ ditiones, ubi nunc *Helvetii*, *Baſileenſes*, *Comitatus Burgundiæ*, *VVirtenbergenſis*, *Suevia*, *Bavaria*, *Carinthia*, *Alſatia*, *Spira*, *VVormatia*, *ac Moguntia* in jus *Franciæ* tranſierunt. Parta hæc de hoſtibus victoria *Clodovæum Chriſto* peperit, ipſô *Chriſti* natali ſacris undis ablutum, uti ex *Aviti Epiſt. tom.* 1. *Concil. Gallic.* conſtat, qvô die *Candidatus inter Candidatos* referente *Æmyliô* comparuit, quæ erat illorum temporum conditio, qvibus tria baptiſmi tempora, ſed ad duo poſtea, *Paſchatis* ac *Pentecoſtes vigilias* contracta, quæ temporum diſcrimina ſeculô nonô adhuc

huc acriter urget *Leo IV. P. R.* apud *Baron. ad An.* Chr. 855. & manet etiamnum hodie horum ſolennium memoria ex nomine *Dominica in albis* der witte Sonntag / his in locis appellata. Sed hæc ἐν παρόδῳ.

§. II.

Sub hæc *Clodovæus Coloniam Agrippinam* aſtu intercepit, cum antea *Sigebertum* ejus principem per filium in *Silva Buchovia*, hunc deinde per ſubornatos hanc in rem miniſtros trucidâſſet, *Gregor. Turon.* lib. 2. cap. 4. atqve ita *Franciæ* regnum trans *Rhenum* per *Haſſiam* ad *Fuldam* uſque (hæc enim Coloniæ principi tum parebat) ac *Thuringiæ* fines extendit, *Coloniam* tributô oneravit, qnod *Bruno* demum Epiſcopus fratris *Ottonis* 1. *Imper.* nomine à nonnullis apud Auctorem Chron. Colon. fol. CXXXII. vſ. Eyn Deyl ſchryven / dat Biiſchoff Bruno haue gevryt etc. ſeculô decimô ſuſtuliſſe ſcribitur. Tandem poſt varia bella adverſus *Gothos*, *Burgundosque* ſuſcepta, *An. Chr.* 511. moritur, verè quidem regni Francici conditor, uti eum appellat elegantiſſimus rerum Francic. ſcriptor *p. Johann. Buſſieres lib.* 1. *Hiſtor. Francic.* ſed ob immitem in ſuos, ſibiqve ſanguine junctos animum immitius Hiſtoricorum judicium promeritus.

§. III.

Hujus Francorum regni pars alia dicta eſt *Francia Teutonica*, qvod in ea Germani *teutonicè*, alia *Romana*, qvod incolæ ſermone *Romano* loquerentur, quæ vocabula nobis *Luitprandus* vetus ſub *Ottone* 1. *Imper.* ſcriptor reliqvit: *Teutonica Auſtraſiæ* qvoqve nomen habuit, *Romana Neuſtriæ* ſeu *VVeſtriæ*; illud quidem non à Deâ Germanorum *Oſtra*, cujus memoria paſchatis feſto apud nos affricuit nomen Oſtern/ ſed à vento atqve Oriente aſſumptum, quaſi Oſtrich/Oſtſtraſſe; hoc verò ab occidente, quaſi Weſtrich/ Hnueſrich/ quæ diſtinctio ad ſeculum undecimum perduravit. Qui fuerint ſingularum partium fines, non ita in comperto eſt, cum *Neuſtriæ ſeu Franciæ interioris* terminos alii à *Moſa*, alii à *Se-*

quana

quanâ deſcribant ad *Ligerim*, alii ipſam quoque *Lotharingiam* ad *Neuſtriam* referant, atque ita cum ea *Normanniam*, *Britanniam*, *Picardiam* ac *Flandriam* complectantur. Mihi tria temporum intervalla diſtinguenda ſunt; ac primo quidem, quô *regnum Franciæ* enatum, ſoli tractui ab urbe *Coloniæ* in *Ubiis*, & *Galliæ Belgicæ Moſam* inter ac *Rhenum* adhæſit *Auſtraſiæ* appellatio, quæ deinde ad *Germaniam primam* à *Clodovæo* occupatam tranſiit, poſtea etiam ad cæteras ditiones in *Germania* à *Francis* ſubactas derivata ſub nomine *Orientalis Franciæ*, *uti ex Eginhard. in vitâ Caroli M.* conſtat, ita ut *Franciæ* illa pars præcipuè ditiones *Moſam* inter ac *Rhenum*, *Alſatiam*, *Lotharingiam*, *Colonienſes*, *Tungros*, *Brabantos*, *Juliacenſes*, *Gelros*, *Batavosque* ad *Oceanum* uſque, ac deinde trans *Rhenum Bavariam*, *Carinthiam*, *Sueviam*, *Franconiam*, *Haſſiam*, ac *Saxoniam* complecteretur; quanquam magis ex uſu veterum ſcriptorum *Auſtraſiæ* nomen *Moſam* inter ac *Rhenum* ſubſtitit, quod *Adelmus Benedict. in Annal. ad An.* 823. videtur innuere, dum dicit: *in hoc conventu non univerſi Franciæ primores, ſed de orientali Francia, atque Saxonia, Bojaria, Alemannia, atque Alemanniæ contermina Burgundia, & Rheno adjacentibus regionibus adeſſe juſſi ſunt.* Et hanc ſententiam *Pontano* quoque *lib. 2. Hiſt. Gelr. ad An. DXIII.* placuiſſe comperio.

§. IV.

Interim id certum, ante *regni Francici* diviſionem in *Clodovæi* filios *Auſtraſiæ* nomen apud ſcriptores antiquos non ita reperiri; ſed per hanc primum celebrari cæpit, ac ſub finem ſeculi noni ſenſim exolevit, retentâ duntaxat *Franciæ Orientalis* appellatione. Primum autem *Auſtraſiæ* Regem diviſo *Francorum* imperio *Theodoricum* damus, cujus ſucceſſores, jam *Reges de Auſtris*, jam in *Auſtriâ* in *breviar. Reg. Franc.* & *Majorum domûs*, & apud *Aimon. lib. 4. cap. XI.* appellantur; ſubditi verò *Oſterleudi* ſive *Oſterlingi*, uti ex laudato *breviar.* conſtat, in quo *ad An.* 688. ita ſcribitur:

Con-

Confluebant ad aulam Pipini universi optimates cunctorum orientalium Francorum, *quos illi propriâ lingua Osterleudos vocant.* *Clodovao* enim quatuor erant filiii, *Clodomirus*, *Childebertus*, & *Clotarius* ex *Clotilde Burgundorum* Regis filia; *Theodoricum* verò ex concubinâ susceptum plerique volunt, quanquam alii apud F*auchet liv.* 1. *de l' Hist. de* F*rance chap.* 3. ejus matrem legitimam fuisse uxorem asserant, scriptorum duntaxat vitiô appellatam pellicem, quod hæc prima ante *Clotildem* Christianam *Clodovai* conjux adhuc pagana connubii, justæque uxoris nomen non meruisset. Non ero hîc arbiter, cùm illis temporibus à familiâ herciscundâ filios thorus in pellicem, uxoremqve divisus non diviserit. Hi qvatucr in partes *regnum* F*rancia* diviserunt non æqvâ qvidem lance, ut scribit *Aimon. lib.* 2. *cap.* 1. referturqve *Gest.* F*rancor. cap.* 19 sed, ut benè observat *Joh. Bussier. lib.* 1. H*ist.* F*ranc.* partes iniquas *Theodorici* potentia fecit, qvi natu major subactis vivô patre *Aquitanis* probatus, bellôqve clarus potissimam regni partem sorti suæ addixit. Etenim præter *Aquitania* populos, Comitatum *Rhemensem*, & *Catalaunensem* (chalons) dein à *Mosa* ad *Rhenum Austrasiam*, & trans *Rhenum* provincias, quæ tum F*rancici* juris erant, nempe *Alemanniam*, *Sueviam*, *Bavariam*, *Carinthiam*, F*ranconiam*, H*assiam* &c. sibi seposuit; *Clodomirus Aurelia*, *Childebertus* P*arisiis*, *Clotarius* apud *Suessiones* sedem posuit, *Neustriam*, id est, *Normanniam*, *Picardiam*, & F*landriam* sortitus. Quam verò regni sedem elegerit *Theodoricus*, video in dubium trahi, cùm F*auchet liv.* 1. *chap.* 3. *Rhemis* eum consedisse scribat; ex adverso pleriqve urbem *Mediomatricum* præponant. Hoc certum, vocari eum apud scriptores veteres *Regem Metensem*, quanquam etiam *Aimon lib.* 2. *cap.* 1. cum aliis *Metas* (Metz) ejus regni sedem faciat. Illud qvoque nondum definitum est, An quatuor hi fratres solam duntaxat regni administrationem diviserint, an verò regnum ipsum quatuor in partes separârint? *Curia Paris.* P*rases* Fauchet solers rerum F*ranci-*

carum indagator *liv.* I. *chap.* 3. non regnum, ſed regni administrationem diviſam exiſtimat. Manſiſſe enim ait eoſdem Epiſcoporum, procerumqve in *Francia* regno conventus, retentum à ſingulis fratribus *Franciæ* Regis nomen, integris etiam ubiqve *Franciæ* legibus, magnô ſane argumentô, non regnum, ſed ejus curam in plures diſtinctam fuiſſe. Quæ uti non ſimpliciter negaverim, ita exiſtimem, illô ævô non adeò minutè omnia reſecta, ut quid adminiſtrationis inter, ac regni diviſionem interſit, ſubtiliùs ex politicorum principiis expenderint.

§. V.

Sub hæc *Theodoricus Auſtraſiæ Thuringiam An. Chr.* 528. vel, ut alii, 24. adjecit. Hermenfridum enim Thuringiæ Regem, cujus copias ad fluvium *Unſtrut* deleverat, datâ fide evocatum *Tolbiaci* (Zulpich) è loricâ muri, in qua deambulabant, vel ipſe, vel per ſceleris miniſtrum in ſubjectam foſſam egit præcipitem, qvi comminutô cerebrô extinctus vacuam regni poſſeſſionem *Theodorico* reliqvit, præſertim, cum liberos fatum patris involveret, nec Francus ſupereſſe pateretur, qvi regnum ſperarent, uti *Turon. lib.* 3. *cap* 4. 7. & 8. *Aimon lib.* 2. *cap. IX.* commemorant. Hæc alimenta creſcentis *Francorum* regni. Interim non totam adeptus eſt *Thuringiam Francus*, ſed ad *Saxones*, quos in belli, prædæque ſocietatem *Theodoricus* acciverat, ejus pars ad fluvium Unſtrut, pervenit, *Septentrionalis* dicta, altera *Francorum*, *Thuringia Auſtralis*: & ſuperſunt adhuc hodie rudera arcis Sachſenburg, quam *Saxones* ibidem condidêre. Et hinc qvoqve eſt, quod *Mulhuſia* & *Northuſia Saxoniæ* urbibus hodie accenſeantur. V. *VVidechind. in Annal.* qvi hac ſuper re ampliora, quam Francici ſcriptores, nobis reliquit. *An Chr.* 532. *Childebertus* & *Clotarius* fraternæ potentiæ æmuli *Burgundiæ* regnum pulſô ejus rege *Godomarô Franciæ* adjecerunt, uti *Turon. lib.* 3. *cap. XI. Aimon. lib.* 2. *cap.* 4. *lib.* 3. *cap.* 83. *Fredegar. in Chron. cap.* 15. referunt, *in Hiſpaniam*

qvoqve

TABULA
Regum Austrasiæ ex familia Merovæorum.

CLODOVÆUS CHILDERICI FILIUS MEROVÆI NEPOS
obiit Anno CHRISTI 511,
Filii ejus quatuor.

1. I. Theodoricus: Metis vel Rhemis. Primus Austrasiæ Rex. ob. An. 534.
 - II. Theodobertus fil. ob. An. 547.
 - III. Theodobaldus fil. obiit An. 554. ejus regnum pervenit ad Clotarium patruum.
2. Clodomirus Aureliæ sedem posuit ob. Ann. 528. in prælio contra Burgundos.
 - Filii 1. Theodovvald. 2. Guntharius. hi duo à Clotario patruo occisi An 531.
3. IV. Clotarius sedit apud Suessonas (Soissons) post obitum Theodobaldi Rex Austrasiæ & totius Franciæ ob. An. 561. Huic quatuor erant filii.
 - 3. Clodoaldus Clericus & Sanctus.
4. Childebertus Parisiis consedit.

1. Charibertus. Lutetiæ Parisi. ob. An. 570. regnum inter fratres divisum.
2. Guntramus Aureliæ ob. An. 593.
3. Chilpericus apud Suessones bellis civilibus clarus ob. An. 584. occisus à Sicariis à Landrico Fredegundis adultero subornatis. tres Filii.
4. V. Sigebertus in Austrasiâ: Uxor ejus Brunechildis Franciæ furia, quæ 10. Reges perdidit. ob. An. 595. ad Tornacum confossus.

1. VIII. Clotarius ex uxore Fredegunde mense octavô ætatis Rex dictus. ob. An. 584. An. 613. præter Austrasiam toto Franciæ regno potitus, Brunechildem punit. Saxones suo gladio majores jugulat. duo filii.
2. Theodobertus.
3. Merovæus ducit Brunechildem patrui uxorem: ob. An. 577. occisus à famulis.

VI. Childebertus quinque annorum puer Sub tutela matris Imperat: An. 596. Venenô sublatus. filii duo
- 1. 2. VII. Theodobertus, Theodoricus. Sub tutelâ aviæ Brunechil. An. 612. apud. Hic quinque Coloniam à suis--spuriorum pater. peremptus.

1. IX. Dagobertus ex Bertrude An. 622. Austrasiæ præfectus à patre: obiit Anno 644. duo filii.
2. Charibertus ex Schilde: Aquitaniam accepit: Vasconiam subjecit.

1. X. Sigebertus ex Regintrude An. 629. An. 632. puer à Patre Rex Austrasiæ dictus; ob. An. 654: Magistri Palatii augent sub eo potentiam.
2. XII. Clodovæus ex Nantilde Monacha, Neustriæ ac Burgundiæ Rex. ob. An. 660. tres filii.
 1. XIII. Childericus ex Bathilde Saxon. occisus à nobili An. 667.
 2. Clotarius ob. A. 664.
 3. XIV. Theodoricus: cum Ebroino Palatii Magistro detonsus Monasterio includitur, ex quo revocatus regnum adiit. ob. An. 690. duo ejus filii.

XI. Grimoaldi filius Childebertus à Sigeberto adoptatus; sed hic dejectus Successorem habuit Clodovæi filium Childericum.

1. XV. Clodovæus obiit. An. 694. fratrem nactus Successorem
2. XVI. Childebertus. ob. An. 711.

XVII Dagobertus fil. ob. An. 715. huic substitutus.

XVIII. Chilpericus, Daniel dictus antea, non satis compertæ familiæ, sed Crinitus regiam referens cui

XIX. Theodoricus substituitur, exin 7. annor. interregnum: post illud

XX. Childericus ex Merovæis ultimus An. 752. à Pipino detrusus in Monasterium.

qvoqve expeditione ſuſceptâ, cujus magnam partem ſubactam ſcribit *Turon. lib. 3. cap. 29.* quanquam ex *Aimon. libi 2. cap. 19.* devaſtatam potiùs H*iſpaniam* & Francos cum ſpoliis in patriam rediiſſe comperiam.

§. VI.

Theodoricus An. Chr. 534. obiit, filiumqve *Theodobertum* in *Auſtraſia* regno ſucceſſorem habuit, qvi *Rhætiam*, eaqve loca, ubi nunc *comitatus Tyrolis*, Francici juris fecit, uti refert *Guler. lib. 5. Rhæt. An. Chr.* 547. mortuus, excepitqve hunc filius *Theodobaldus*, productô *ad An.* 554. regimine, qvô vivis exemtus C*lotarium* patruum hæredem accepit, & hic quidem tribus fratribus, eorumque liberis ſuperſtes toti jam F*ranciæ* imperitabat ad *An. usque* 561. qvô vivere deſiit editâ ſub mortem voce, *vah; qualis, putas, Rex eſt ille cœleſtis, qvi ſic tam magnos Reges occidit. Turon. lib. 4. cap. 21.* Qvi verò poſt *Clotarium* ex *Merovæi* ſtirpe *Auſtraſiam* tenuerint, docebit annexa tabula, neqve animus mihi eſt, integram earum contexere hiſtoriam, præſertim, cùm F*ranciæ* fines non extenderint, ſed civili potiùs bellô ſæviente *Brunchilde Galliarum furiâ* attriverint vires, niſi qvòd C*haribertus* ſeculô ſeptimô totam ſibi ſubjecerit *Vaſconiam*, & P*ipinus palatii Magiſter* ſub *Theodorico* Rege F*riſios* victô eorum Duce *Ratbodô* domuerit, uti F*redegar. in Chron. cap.* 102. teſtatur. v. *Ubbon. Emmium.*

§. VII.

Id tamen non reticendum, poſt C*lodovæi An.* 660. obitum ad *palatii præfectos* paulatim rerum ſummam perveniſſe, ac penès eos, quorum alter *Auſtraſiæ*, *alter Neuſtriæ* præerat, ſtetiſſe pacis, bellique arbitrium, quod *Joh. Buſſier. lib. 3. pag.* 138. *& ſeq.* eleganter explicat: Reges enim in luxum ſoluti, atqve inertiam, ſolô contenti Regum nomine Magiſtris permittebant imperii curam, illiſqve ſatis erat, ſemel quotannis *Kalendis Maji* in publicis comitiis oſtentare ſcintillantem barbam, & jactare per humeros

fluentem comam, unicam Regum eâ tempeſtate gloriam, quod tamen apud Græcos iis peperit infamiam, qui, ut patet ex Theoph. ad An. 1. Leon. Iſaur. *Francorum* Reges porcorum inſtar ſetoſum habuiſſe tergum confinxere, atqve ex eo *trichorochatos* appellârunt. Nobis fortè relicta ex eo *Calendarum May* celebritas, cujus tamen origo, uti aliàs explicabitur, in Romanotum *Majumam*, de quâ tollendâ in *Cod. Juſtin. titulus*, referri debet, & crediderim quoque, veteres, ut paganæ ſuperſtitionis memoriam abolerent, *Philippo* & *Jacobo* conſecrâſſe *May calendas*, ut ſub ſacro nomine *Majuma* tandem conticeſceret. Interim ex eventu patuit, quanti interſit, principem ipſum aſſidere clavo Reip. cùm, quæ eſt ingenii humani ambitio, Miniſtri, in quam ſumma rerum collata, excreſcens potentia ipſum tandem Principis nomen invadat. *Pipinus* enim *Caroli M.* pater *An. Chr.* 752. rerum in *Auſtraſia* & *Neuſtria* potitus fratre *Carolomanno Caſſini* Monachorum in clauſtrum ſeſe abdente *Childericum* cum uxore *Giſela* detonſum regnô dejecit, &, ne de coronâ ademtâ conquereretur, monaſticam dedit, quam tragædiam *Joh. Buſſier. lib.* 4. *à pag.* 162. ſi quis unqam, elegantiſſimè explicat. Atque ita ſtirps *Merovæorum* extincta *Carolingis* reliquit *Franciæ* imperium, qui tamen ſtabilitô ſemel Reges dejiciendi exemplô, parem audaciam ad *Hugonem Capetum* transmiſere, uti ſuô locô commemorabo. Quæ hic *Zachariæ P. R.* quem per Epiſcopum *Wirtzburgenſem* conſuluerat *Pipinus*, intervenerit auctoritas, explicare mihi integrum non eſt, cum *Gallicos* inter, *Italoſque* ſcriptores magna hac ſuper re comperiam certamina; quod ſi tamen hi illis regeſſerint, aliâs, ubi de *Anglorum* regno ſub *Johanne* ex *Innocentii* P. *R* ſeculô decimô tertiô agebatur arbitrio, *Gallos* facili veneratione adorâſſe *Pontificis* ſententiam, cæterùm in reliquis, quæ ad *Franciam* pertinent, anxios, dubioſque, neſcio, an aberrent V. *Matth. Pariſ. Hiſt. Anglic. ad An. Chr.* 1212. *fol.* 162. *&c.*

§. VIII.

§. VIII.

Antequam autem hinc abeam, juvat ſimul ac ſemel omnium provinciarum, quæ *Auſtraſiæ* regno ſub *Merovæis* ad *Pipinum* uſque novà ex familia Regem comprehendebantur, pandere ſeriem, ut, quid inde Francorum imperio avulſum, ſtatim pateat intuentibus. Ac primo quidem *Helvetii* & *Rheti cum Comitatu Tyrolis*, uti harum gentium ſcriptores *Stumphius in Chron. Helvet. Vadian. & Guler. in Rhæt.* teſtantur, pertinuêre ad *Auſtraſiæ* regnum; deinde *Rauracorum* ſeu *Baſileenſis* ager ad *Seleſtadium* uſque: ex eo *Alſatia* cum urbe *Argentorato*, cujus Epiſcopatum *Dagobertus Francorum* Rex, qui vivô patre *Kirchemii* non procul à *Mollesheimo Seleſtadium* inter & *Argentoratum* ſedem fixerat, uti ex *vita Florentii Scoti Argentor. Epiſcopi* patet, aut conſtituit, aut certè reſtauravit: *Lotharingia* cum Epiſcopatibus *Metenſi*, *Tullenſi*, & *Virodunenſi* (an etiam cis *Moſam ſequanam* verſus *comitatus Rhemenſis*, & *Catalaunenſis*, non ita certò liquet) & quidquid *Rhenum* inter ac *Moſam* ad *Oceanum* uſque interjacet, *Trevirenſes*, *Colonienſes*, *Leodienſes* ac *Tungri*, *Juliacenſes*, *Gelria*, cæteræque inde procurrentes ditiones *Auſtraſiorum* paruêre Regibus, neque hi duntaxat, ſed etiam, quâ parte *Moſa Rheno* propiùs jungitur, *Scaldis* ſupplebat vicem, atque ita *Brabantia* idem ſceptrum adorabat. *Spiram* quoque, quam *Otto Friſing.* Seculi duodecimi ſcriptor *lib. 1. de geſtis. Frider. 1. cap. 10. Galliæ civitatem* vocat, tenuêre *Franci*, cujus Epiſcopatum non quidem primus erexit Dagobertus, ut nonnulli putant, ſed obſervante *Lehm. in Chron. lib. 1. cap. 28. An. 610.* reſtauravit, cùm jam *An. Chr. 359. Jeſſeus Nemetum* ſeu *Spirenſis* Epiſcopus ſynodo *Colonienſi*, in qua *Euphrates* ejus loci Antiſtes ob hæreſin Arrianam dejectus, *tom. 1. Concil* interfuiſſe legatur: Nec minùs *VVormatiam*, ac *Moguntiam Germaniæ primæ Metropolim*, cujus Antiſtes *S Bonifacius Pipinum An. Chr 752.* apud *Sueßiones* in Regem inunxit; *Sueviam* quoque, ac *Bavariam*,

riam, *Franconiam*, *Thuringiæ partem auſtralem*, *VVetteraviam* & *Haßiam* habuêre ſub imperio. Et illas quidem ditiones *Auſtraſiæ* Reges per *Duces*, ac *Comites* regiæ poteſtatis miniſtros retentô Romanorum more rexerunt, quod, uti apud omnes conſtat, ita id pluribus inani hic operâ ex veterum monumentis repetere conſilium non eſt, ſatis eſt, ex *Trithem. in compend. Annal* in hujus rei argumentum deſcribere, *Lotharium ſub initium ſeculi ſeptimi Genebaldo ejus nominis tertio*, *Duci Francorum in Oriente apud Marcopolim*, *quæ nunc* Wurtzburg *nominatur*, *commiſiſſe Moguntiam*, *VVormatiam*, *Spiram*, *& populum earundem regionum*, *qui Franckenfurt villam juxta moenum erexit*. Vide eundem de *Orig. Francor.* & *Æmyl. in Lothario*.

§. IX.

Pipinus ergo, quem *ſextum Brabantiæ principem*, ubi ejus majores bonorum habuerant ſedem, facit *Haræus tom.* I. *Annal. Brabant.* primus ex *Carolingis Auſtraſiam* ſupremô imperiô rexit, moriens *An. Chr.* 768. *Carolomannum* & *Carolum*, quem poſtea *Magnum* dixêre, reliquit filios. Uter autem ex illis *Auſtraſiæ* regnum obtinuerit, *Carolomannus*, an *Carolus*, in dubium trahi poterit, cùm *Fredegar.* aut quisquis ille eſt, qui *cap.* 110. *Chron.* nonnulla adjunxit, *Carolo* utpote natu majori *Auſtraſiam*, *Carolomanno* verò *Burgundiam*, & *provinciam Aleſanſ.* (*Alſatiam* vocat annotator) & *Alemanniam* obtigiſſe commemoret? Alii vero hanc invertant ſortem, & *Carolomanno Auſtraſiam* vendicant, uti *Bußier. lib.* 4. *Hiſtor. Franc. f. m.* 175. quorum ſententia ex eo firmari poſſe videtur, quòd *Abbas urſperg in Chron ad An.* 767. referat, illam regni partem, quæ patris *Pipini* fuerat, perveniſſe ad *Carolum*, quæ verò patrui *Carolomanni*, eam ad *Carolomannum* devolutam; jam verò (ejusdem *Fredeg. cap.* 110. verba ſunt) *Carolus Martellus Carolomanno Auſter*, *& Sueviam*, *quæ nunc* Alemannia *dicitur*, *atque Thuringiam tradidit*, *Pipinum vero Burgundia*, *& Neuſtraſia*,

& pro-

& provincia præfecit; *Carolo* ergo *Neustriam*, *Carolomanno* *Austrasiam* obtigisse asserant. Ego id primum apud veteres comperio, *Carolum Noviomi*, *Carolomannum* apud *Suessiones* suscepisse regni insignia, *vide Adelm. Benedict. in Annal ad An. Chr. DCCLXVIII. Abbat. Ursperg. ad An. 768. Regin. lib. 2. Chron. ad An.* 768. qui *Novianam* vocat; Sed quænam illa sit civitas, an *Noviodunum* (*Noyon*) an verò *VVormatia*, quod aliqui existimant (quanquam non meminerim, *VVormatiam Noviomi* nomine apud veteres appellatam, legisse) æque disceptatur, nec minùs comperio, *Carolum* ex eo *Aquisgranum* abiisse, ibidemque celebrâsse Natalem Dom. Pascha in *Roterdamâ* civitate, ut scribit *Regino Abbas prumiensis* (*Rhotomagensem*, *ceu Ratismago* vocat Adelmus II.) ex quo collegerim, aut aliam, quàm apud Merovæos inductam esse regni *Francici* divisionem à *Pipini* successoribus, aut ob breve illud tempus, quô *Carolomannus* parti suæ præfuit, scriptores non adeò accuratam habuisse hujus divisionis rationem. *Carolus* enim post fratris obitum *An. Chr.* 771. jam ultro ad ejus regnum properans, depulsis *Carolomanni* liberis procerum voluntate *Austrasiam* quoque accepit, num jure, & an hanc per electionem facti exhauriatur iniquitas, non dijudicabo; neque hîc memorabo, *Longobardiam* postea in Italia abductô in *Franciam* ejus Rege *Desideriô* subactam, & *An. Chr.* 800. obtentum *Imperiale nomen* à *Carolo*, sed quod scopo nostro propius, satis est insinuâsse, ipsam tandem *Saxoniam*, quæ *VVestphalos*, *Ostphalos*, aliosque complectebatur, domitô per triginta & amplius annorum bellum VVidekindô transiisse in jus *Franciæ*, atque ita totam Germaniam *Francorum* regno seculô octavô accessisse, sub *Francia Orientali* deinde comprehensam. *Carolus M.* sub hæc *An. Chr.* 814. *Aquisgrani* obiit, unicumque tam vasti imperii habuit hæredem *Ludovicum pium*, qui variis procerum, filiorumque etiam exercitus turbis, *Franciam*, quam vivam, ac vegetam latè Europâ sparsam susceperat,

divisam

divisam in plura membra, languentem posteris *An.* 840. reliquit.

§. X.

Post *Ludovici* excessum inter ejus filios *Lotharium*, *Ludovicum* & *Carolum Calvum* de regni jure, ac finibus orta dissensio est. *Lotharius*, quem pater *Imperatorem* dixerat, trahebat ad se omnia, fratribus certas duntaxat provincias beneficii instar concessurus. Sed hi non passuri dominantem *Lotharium*, illum *An. Chr.* 841. 7. *cal. Jul. ad* Fontane-*tum* agri *Altis siodorensis* vicum magnô prœliô in fugam egêre, quâ de re vide *Regin. Chron. ad* An. 841. *Chron. Pithai.* *Hermann. Contract. Otton.* Frising. *Chron. lib.* 5. *cap.* 35. Cùm vero nec tantam post cladem à cœptis desisteret *Lotharius*, fratres *An.* 842. Argentorati novum pepigere fœdus, subditorum quoque firmatum sacramentô, quod, quia aliô sermone, quàm nunc in *Francia* obtinet, conceptum, *Teutonicô* quidem à *Carolo*, ejusque proceribus, *Romanô* autem *provinciali* à *Ludovico*, ut *Austrasii*, qui *teutonicè* loquebantur, *Neustrios*, quibus *Carolus* præerat, hi verò illos intelligerent, placet ex antiquis monumentis studioso harum rerum lectori verba describere. Et *Ludovicus* quidem hæc locutus; *pro Deo amur, & pro Christian poblo, & nostro commun-schvvarz, dist dienavant, in quant Deus Savir, & podir me dunat, Si Salvvarej ocist meon fradra* Carlo, *& in adjudha, & in cadhuna cosa, Si combom per droit son fradra Salvardist: Ino quid il un altro si faret, & abludher nulplaid nunquam prindrai, que mon vol cist meon fradre* Carle *in damno sit:* Id est, ut verbum verbo reddam, *pro Dei amore, & pro* Christiano *populo, & nostra communi salute ab isto die in ante, in quantum Deus scire & posse mihi dabit, salvabo istum meum fratrem* Carolum, *& in auxilio, & in omni causa, sicut homo jure suum fratrem salvare debet, & non quòd unus alius sic faceret, & ab ipso nullum litigium unquam capiam, quod meum velle isti meo fratri Carolo in damno sit.* Carolus fratrem sermone *teutonicô* excipit (ipse enim,

enim, uti & *Ludovicus* utriusque idiomatis in Aula *Francica* recepti peritus erat.) In Goddes Nunna / in duites Christianes Folckes / ind onserder Gealnisi / of hete / soa moaglige mor desso Overan / so mihr GOtt gewissei in dinaffürgibet / schald jachet sau minen Brudher / soso mar mit rethe sinen Brudher schal / int uß Heerkumme / rathen / inher int Morgen / int vergive gantzo minan willon / Imah uß schadin Wichana: Verborum sensus superiori respondet. Præeuntes principes secuti proceres, & *Neustrii* quidem sermone Romanô: *Sy Ludvvigs Sagrament, que son fradre Carlo jurat, conservat, & Carlus me ossender* (id est *meus senior monseigneur*) *de suo part nolo stanit, si jo returnar nolint pois, ne nuls evi eo retournar nit pois, in nula adjudha contra Ludvvig nun li juer*: hos excepere *Austrasii*: Oba *Carlo* ther / soso sinan Brudher Ludwinge geschwor geleistet / ind Ludhunwige uso Herro tigem geschwor Varbrichet / da jach ina ren von derine mag / noach tero einte niachs tro van dara mag &c. Quis verborum sensus, facilè patet, neque eorum interpretatione morabor lectorem.

§. XI.

Tandem composita fratrum certamina, & *An.* 842. procerum Consiliô repetita divisio, in qua (verba sunt *Reginon. in Chron. ad hunc An.*) *Carolo occidentalia regna cessерunt à Britannico Oceano usque ad Mosam fluvium, Ludovico verò Orientalia, scilicet omnis Germania usque ad Rheni fluenta, & nonnullæ civitates cum adjacentibus pagis trans Rhenum propter vini copiam. Porrò Lotharius, qui & major natu erat, & Imperator appellabatur, medius inter utrosque incedens, regnum sortitus est, quod hactenus ex ipsius vocabulo Lotharingia nuncupatur, totamque provinciam, nec non omnia regna Italiæ, cum ipsa Romanæ urbe.* Vide quoque *Otton. lib.* 5. *cap.* 35. *Sigebert. Albert. Abb. Stad. in Chron. ad An.* 841. *Adam. Brem. lib* 1. *cap.* 22. (ubi *Monasterium Thuroltz à jure S. Ansgarii Hamburgens. Episc. alienatum* referunt. *Hamburg. Ecclesia*

postea jus suum urgente, uti scribit *Andr. Vellejus*) præprimis *capit. Carol. Calvi. tit.* 37. *& ibid.* magnum antiquitatis Magistrum *Sirmondum.* Sub hæc *Carolus* ut erat princeps vafer, ac subdolus, alienique semper appetens (ex eo quoque putem detractam *Calvis* vulgatô per Germaniam diverbiô existimationem) *Pipini* quondam fratris sui filios *Pipinum* & *Carolum*, quibus *Aquitania* obtigerat receptô per ea tempora dominationis instrumentô *Monachorum* cœtui vel invitos adscripsit, *Aquitaniam* sibi, quod *Sigebert. ad An.* 852. referre comperio.

§. XII.

Ita ergo regnum *Austrasiæ* ad *Lotharium* pervenit, cæteris fratribus distincta jam regna obtinentibus, & eô quidem tempore *Germania* in separatam à reliquâ *Francia* abiit Remp. cùm antea in unum cum ea corpus coaluisset. Interim, cùm magni intersit, quos singuli hac in divisione sortiti sint regnorum terminos, quæque iis indita nomina, non tædebit *Reginonis*, qui *An. Chr.* 905. adhuc vixit, & jam ante fuerat *Abbas Prumiensis*, mentem explicare. Et primò quidem quæri potest, unde *Austrasiæ* regno nomen *Lotharingiæ* inditum? ab hoc *Lothario* id cæptum *Reginò* asserit, quem plerique scriptores sequuntur; alii verò in ejus filium, cui idem *Lotharii* nomen, potiùs refundunt, quasi *Lotherregne*, & hinc *Lorraine*, quam opinionem non adeò obstinatè rejicio, cùm propius verò sit, hoc nomen tum primùm celebrari cæpisse, quando post *Lotharii junioris* obitum *Germanos* inter ac *Gallos* hoc de regno exorta sunt certamina. Sed hæc minora sunt, quam ut anxiè disquirentis curam mereantur. Illud majus, quæ fuerint illæ civitates quæ *Ludovico* Germaniæ Regi ex *Lotharii* regno concessæ sunt? *Aventin. lib.* 4. *Annal. Bavar. Spiram*, *Moguntiam*, *atque Argentoratum* designat: Sed *Argentoratum* facilè excipiunt divisionis *Ludovicum* inter & *Carolum Calvum postea An.* 870. repetitæ tabulæ, quas infra dabo, in quibus ex *Lotharii junio-*

vii junioris regno *Argentoratum Ludovico* addicitur. *Spiram* ergo, *Moguntiam*, & *VVormatiam* nomino. Sed qui fuerint tum regni *Lotharingici*, quod antea *Austrasia* appellabatur, fines, in disquisitionem trahi potest: *Regino Rhenô* & *Mosâ* eos claudit: *Aventin. lib.* 4. *Annal* ad *Lotharium* peruenisse scribit *Helvetiam*, *Burgundiam*, *Delphinatum*, *Arelatenses*, *provinciam*, *Sabaudiam*, *Lugdunum*, *Alsatiam*, *Coloniam*, *& quæ cis Rhenum sunt Galliam versus Mediomatrices*, *Treviros*, *Brabantiam*, *Flandriam*, *Picardiam*, *usque ad sequanam*; *ad Carolum verò ditiones à sequana ad Ligerim*; *ad Ludovicum Germaniam trans Rhenanam*: quorum pleraque uti vera esse non diffiteor, ita ex adverso *Flandriam*, ac *Picardiam* fuisse *Lothario* adscriptam apud veteres non comperio, quin potius constat, *Balduinum* à *Carolo Calvo*, cujus filiam *Judith* quanquam non invitam rapuerat (qua de re V. *tom.* 3. *concil. Gallic. pag.* 213.) *An.* 866. nuptiis ritè celebratis à socero dotalem accepisse *Flandriam*, uti ex *Mejero in Annal. Flandr. Harao tom.* 1. *Annal. Brabant. in Lothario* 2. *pag.* 84. *Johan. à Leydis Carmel. lib.* 6. *Chron. Belgic. cap.* 8. *Chron. Colon. fol. CXXI. rubric.* **Von dem begynne der Graeffschaff von Vlandern** aliisque Annalibus videre licet. Cœterum ex divisionis regni *Lotharingici* inter *Ludovicum* & *Carolum Calvum*, quas infra exponam, tabulis patet, *Lotharium* accepisse, quidquid à *Rhodano Rhenum* inter, & *Mosam*, & in inferiori ejus parte *Scaldim* ad Oceanum usque interjacet, reliqua ad fratres transiere, quamquam negari non debeat, etiam cis *Mosam*, *Galliam* versus non nulla *Lothario* permansisse. Facilè autem hîc excuso *Hug. Grotium*, quòd pro *Batavorum* suorum libertate sollicitus *Hollandiam* in *Annal. Francorum* regno, quanquam minùs verè, conetur eximere. Præterquam enim, quòd *Hollandia* olim ad *Frisiam*, quam *Pipinus Caroli M.* pater domuit, uti supra observatum, pertinuerit, neque credi possit, devictâ etiam *Zelandiâ Batavorum* gentem illâ tempestate adhuc invalidam unà

in *Hollandiâ* gavisam libertate, ex ipsorum *Belgarum* constat *Annalibus*, *Hollandiæ Comitem* primum à *Francorum* Regibus datum, sive à *Carolo Calvo*, qui *Theodoricum An. Chr.* 863. *Hollandis* præfecisse scribitur à *Johan.* à *Leydis in Chron. Holland. lib.* 5. *cap.* 36. *lib.* 6. *cap.* 1. 2. 3. & 4. *Snojo lib.* 5. *Rer. Batavic. sub init. Ægyd. de* Roya *in Annal. Belg. ad An.* 863. *Lambert. Hortensio lib.* 1. *Rer. Ultraject pag.* 4. *in Ch. Colon. fol.* CXXI. *tit.* Der eyrste Graeff in Hollant. Sive, quod vero propius, id primum sub *Carolo simplice* contigerit, quod post *Hed'am Dousa lib.* 5. *Annal. Holland* & *Haræus in Carolo Simpl. fol.* 124. comprobant. Qui ergo regni *Lotharingici* fuerint fines, constare jam arbitror. Vide etiam *Ioh. à Leydis lib.* 9. *cap. VI.*

§. XIII.

Lotharius (ut regni *Austrasiæ* mutationes persequar) *Anno* 855. in *Prumiensi* cœnobio factus Monachus, liberis regnum divisit, *Italiam Ludovico*, *Provinciam* Carolo, *Lothario* reliqua ad Oceanum usque reliquit, & hic quidem *Carolo* fratre mortuô *Lugdunum*, *Vesontionem*, ac *Viennam* ejus ex portione sortitus est. Sed ejus obitum, qui in *An. Chr.* 869. incidit, magna certamina Germanos inter ac Gallos ob *Lotharingiæ* regnum excepêre. *Carolus Calvus* enim, ut erat regnorum avidus, instigante *Hincmarô*, *Rhemensi* Episcopô, auditâ nepotis morte in *Lotharingiam* properavit iter, exceptusque *Metis* ab *Adventio* ejus loci Antistite ceteris Episcopis comprobantibus in *Lotharingiæ* seu *Austrasiæ* regem junctus est, deditque sub hæc *Treviris Bertulfum Adventii* nepotem Episcopum, daturus etiam *Coloniæ Hilduinum*, nisi *VVillipertus* jubente *Ludovicô*, submissôque hunc in finem *Coloniam Luitpertô Moguntiæ Archiepiscopô Caroli* prævenisset consilia. Sed *Ludovicus* non passurus fratrem toti dominantem *Lotharingiæ*, & post adhibita incassum mitiora consilia etiam acie decertaturus *Carolum* tandem ad regni divisionem compulit, quæ *An. Chr.* 870. *Marsannæ ad Mosam* (locum

cum in Dominio de *Falckenburg* prope *Trajectum* designat *magnum Chron.* Belgic.) peracta est, uti *Regino in Chron ad An.* 869. 70. pluribus commemorat. Quâ in re duo mihi explicanda sunt, & primò quidem, *An Ludovicus & Carolus jure occupârint nepotis regnum?* deinde *quid quisque ex eo* acceperit? Jus certè non reperio, cùm *Lothario* fuerit in *Italia* superstes frater *Ludovicus*, ad quem fraterna pertinebat hæreditas, præsertim cùm *Lotharius* nullis ultimæ voluntatis, seu testamenti tabulis patruos scripsisset hæredes: & reposcebat quoque *Ludovicus* à patruis fraternum regnum, simulque *Adrianus P. R.* indignatus ita præripi justo hæredi provincias, post submissos ad utrumque incassum legatos minabatur diras, sed frustra, quippe cupiditas oculatissima est, sed auribus manca, & ad voces omnes, nisi quas ingerit metus, immota, uti acutè subnectit *Bußier. lib.* 6. *Hist. Franc. in Carolo Calvo.* Sed hanc litem *Ludovici* mors *An.* 875. composuit, novamque in *Calvi* animo etiam *Italiæ*, *Romæque* adipiscendæ spem accendit, quam etiam nequicquam obstante *Ludovicô* fratre adeptus est, à *Iohanne VIII.* ipsô natalis dominici die in *Augustum* coronatus, uti ex *Capit. Carol. pag.* 407. *Regin. ad An.* 877. aliisque constat. Alterum autem, nempe, quid quisque ex *Lotharii* regno acceperit, magis ambiguum est, cùm *Regino* hæc verba duntaxat reliquerit posteris: *qualiter autem hæc divisio facta sit, quia omnibus penè notum, supervacuum duximus adnotare*, quod scriptori *magni Chron. Belg.* atque *Edmundo* bilem movet: ex *Nithardo*, (ita putant aliqui) magno harum rerum, quibus ipse interfuit, teste hauriri potuisset notitia, nisi librorum ejus finem ævi vitium corrupisset. Sed malè, cum is non de hâc, sed de priori divisione quæ An. 842. contigit, scripserit. Ad *Aimon.* quidem *libr.* 5. *cap.* 25 recurrit *Haræus Tom.* 1. *Annal. Brab. prolegom.* 4. sed adstrictior est: uni *Auberto Miræo* ampliores hujus divisionis debemus tabulas, quas ex *Codice Antiquar. donat.* adjectâ *Miræi* interpretatione hic

ne hic

ne hîc lubet annectere, ut constet, quæ in quemque partes ex *Lotharingiæ* regno transscriptæ sint.

§. XIV.

Ludovicus Germanicus An. Chr. 876. obiit, relictis tribus filiis, *Ludovico*, cui *Francia Orientalis*, *Thuringia*, *Saxonia*, & quidquid ultra, citraque inferiorem *Rhenum* est, ubi nunc *Gelria*, *Transisalanorum* & *Frisiorum* agri, cessit, appellatusque est *Rex Orientalis Franciæ*, vocabulô *Austrasiæ* sensim exolescente, uti *Pontanus lib.* 4. *Gelr. pag.* 87. non malè observat; fratrum alter *Carolomannus Bavariam Carinthiam* Bohemiam *Moraviam*, *ac* Pannoniam accepit, tertius verò *Carolus*, cui postea *Craßi* cognomen inditum, *Alemanniam* sortitus est, repetitâ *Francorum* regni divisione, sed quæ regnum ipsum pessum dedit, cùm ne tantum quidem post bella illa civilia superfuerit virium, ut irruentes *Northmanni* depelli potuerint, sed iis concessâ potius provinciâ, etiam in generum adscitô *Rollone*, à quo postea *Anglorum* Reges *VVilhelmô Conquestore* Angliam occupante traxêre originem, quæ hodiedum quoque hac ab gente *Normannia* (*Normandie*) nomen retinet. Sed *Carolum Calvum* auditâ fratris morte jam penè vita, sed non alieni cupido deseruerat. Ingressus enim *Lotharingiæ* seu *Austrasiæ* regnum fraternam quoque partem ad se revocabat, absterritus quidem à *Ludovico* nepote per legatos (*Francofurti* ad Mœnum tum degebat) *quorum decem cum aqua calida* (utor verbis *Aimon. ilb.* 5. *cap.* 34.) *& decem cum ferro calido & decem cum aqua frigida ad judicium misit coram eis*, *qui cum illo erant*, *petentibus omnibus*, *ut Deus in illo judicio declararet*, *si per jus & æquum ille habere deberet portionem de regno*, *quam pater suus illi dimisit ex eâ parte*, *quam cum fratre suo* Carolo *per consensionem illius & per sacramentum accepit*, *qui omnes illæsi reperti sunt*, (de qua temporum illorum consuetudine post *Bangert. in notis ad* Chron. *Slavor. Helmoldi lib.* 1. *cap* 83. *à p.* 189. non habeo, quod dicam, nisi quòd ad nostram usque ætatem solis

veneficis

TABULA
Divisionis
Regni Lotharingici inter *Ludovicum R. Germ.* & *Carolum Calvum R. Gall.*

ANno incarnat. Dominicæ DCCC LXX. regni *Caroli* XXXIII. *indict* III. VI. *Id. Aug.* inter gloriosf. Reges *Carolum* & *Hludovicum* fuit hæc divisio regni facta in procaspide super fluvium *Mosam.*

Et hæc est portio, quam sibi *Hludovicus accepit.*
Coloniam, *Cölen ad Rhenum.*
Treveros, *Trier ad mosell.*
Utrecht, *Ultrai. ad Veterem Rheni Alveum.*
Strasburgh, *Argentoratum ad Rhenum.*
Basulam, *Baselibidem.*
Abbatiam Suester, *Sustern in ducatu Juliacensi.*
Berch, *prope Ruremont,*
Niu Monasterium, *fortè Huy.*
Castellum, *Kessel ad Mosam.*
Indam, *S. Cornelii Münster, prope Aquisgran.*
S. Maximini, *prope Treviros.*
Ephternacum, *Echternach oppidum & Abbat. in ducatu Luxenburg.*
Horreum, *Trevir. Monaster.*
S. Gangulphi, *S. Gengoul.*
Faverniacum, *Faverney Abbatia in Comit. Burg.*
Polemniacum, *Polygni oppid. ibid.*
Luxovium, *Luxeut oppid. & Abbat. ibid.*
Luteram, *Lure Abbat. in Alsatia.*
Balmam, *Baulme des Nonnes.*
Offonis villam, *Ville faux.*
Megeni Monaster, *Mejer Monstier Abbat. in Lothar.*
S. Deodat. *S. Diey in Lothar. ad Murrham.*
Stivagium, *Estivay Abbat. in Lothar., ad Murrh.*
Romerici montem, *Miremont in Lotharing.*
Morbach, *Murbachum in Alsatia.*
S. Gregorii.
Mauri monasterium, *Maur Münster.*
Homburg.
S. Stephani, *Strasburch.*
S. Urbi in Salodoro, *Soleure.*
Grandi vallem, *Grand vaux.*
Altam petram, *Haulte pierro.*
Justinam, *fortè mont justin.*
Vallem clusæ.
Castellum Carnonis, *chastel chalon*
Heribodesheim, *Abbatia.*
Abbatiam de Aquis.
Hôen chirche.
August chirche.
Comitatus Testrebant, *Teysterbant.*
Batua, *Betuwe.*
Hattuarias, *ad fl. Neers in Geldria.*
Masau subterior de ista parte, **onder Maesland.**
Item Masau Superior, quod de ista parte **Opper Maeslandt.** sest,
Lingas, quod est de ista parte, *Liege.*
Districtum Aquense, *Aken, AIX.*
Districtum Tectis seu Tetis, *prope Spâ.*
In Ribuariis Comitatus IV. *ad Ruram fl.*
Megenensium, *Meyen proqe Andernacum.*
Bedagowa, *Bidburg versus Meyen.*
Nitachowa Subterior, *ager ad Niddam fl.*
Sarachowa subterior, *ad fl. Sar. in Lothari.*
Blesitchowa, *Blis versus Treviros.*
Selme, *Salme ad Saram fl.*
Albechowa, *Sar Alben.*
Suentiscum, *Sanctoy in Lothar.*
Calmontis, *Chaumont ad Mosell. in Lothar.*
Sarachowa superior, *Sargou.*
Odornense, quod Bernardus habuit. *Darney in sylva Vosego.*
Solocense, *Solieurs in Burgundia.*
Bassiniacum, *Bassigny.*
Elischowe, *ager Alisiensis vel Elsaticus.*
Warasch, *Comitatus de Varesco.*
Scudingum, *Salins in Comit. Burgund.*
Emaus.
Basalchowa, *ager Basil.*
In Elisatico Comitatus. II. *Elsaten.* de Frisiaduas partes.
De regno quod *Hlotarius* habuit Super istam divisionem propter pacis, & charitatis custodiam super addimus istam adjectionem, Civitatem *Mettis* cum Abbati

batia *Petri* & S. *Martini* & Comitatum *Moslens.* cum omnibus villis in eo consistentibus, tam dominicatis, quam & Vasallorum. De *Arduenna* sicut flumen *Urta* surgit, inter *Bislanc* & *Tumbas*, ac decurrit in Mosam, & sicut rectâ viâ pergit in *Bedensi*, secundum quod communes fideles nostri rectiùs invenerint, excepto quod de Condustro est ad partem orientis trans *Urtam*, Et Abbatiam *Prumiam*, & *Stabolau* cum omnibus villis dominicatis, & Vasallorum.

Et hæc est portio quam *Carolus* de eodem regno sibi accepit.

Lugdunum, *Lyon.*
Vesontium, *Besanson*
Viennam, *Vienne.*
Tungris, *Tongre.*
Tullum, *Toul.*
Virodunum, *Verdun.*
Cameracum, *Cambray.*
Vivarias, *Vivarez.*
Ucetia, *Usez.*
Montem Falconis, *Mont.* Faulcon *ad Mosam.*
S. Michel. in Lothar.
Culdini Monaster, *Col Moustier.*
S. Mariæ in Bisontione, *Jussanum Monast.*
S. Martini in eod loco.
S. Eugendi. S. *Oyan de Joux, vulg.* S. Claude
S. Martelli, *à chalon.*
S. Laurentii, *S. Laurens in comit. Burg.*
Leudense.
Sennonem. *Senone Abbat. in* Lothar.
Abbatiam *Mellam.*
Melbarium.
Laubias, L*ob ad sabim.*
S. Gaugerici, *prope* Cameracum.
S. Salvii, *prope Valentianas.*
Crispinio, *Crespin in Hannon.*
Hunulcurt, *Houncourt in diæces. Camer.*
S. Servatii, *S. Servas à Maestricht.*
Malinas, *Malines ad Demeram.*
Ledi, *Lier in Brabant. ad Netam fl.*
Sunniacum, *Soigny in Hannon.*
Antonium, *Antoin prope Tornac.*
Condatum, *condé in* Hannon.
Merrebecchi, *Meerbeke prope* Hannon.
Ticlivinni, *Diekelvenne prope Grandimontem*
Luitosa, L*euse in* Hannon.
Galmontis, *Calmont in diæces. Leod.*
S. Mariæ in Deonant, *Dinant.*
Echa, *Eyck propre Maseicam.*
Andana, *Andonne.*
Wasloi, *Wasler in* Fania.
Altum montem, *Hault mont.*
Comitat Texandrum, **Kempenlandt.**
In Brachbant Comitat. IV. *Brabant.*
Cameracensium, *pays de Cambresis.*
Hanioum, H*ainau.*
Lomensem, *Versus Namur.*
In Hasbanio Comitatus IV. *Hasbaigne.*
Masau superior de ista parte Mosæ **Maeslandt.**
Masau subterior, quantum de ista parte est.
Linguas, quod ista parte Mosæ est, & pertinet ad Vesatum, L*iege viset.*
Scarbonense, *Scarbonne ad Mosell. in* L*othar.*
Viridunense, *Le Verdunois.*
Dulminse.
Arlon, *in ducatu Luxenb.*
Vaurense, Comitat. II. *terre de la vaiure ad* Carum *fl.*
Mosminse, *Mouson.*
Castricium.
Condrust, C*ondreux.*
De *Arduenna* sicut fl. *Urta* surgit inter *Bislanc*, & *Tumbas*, ac decurrit er hac parte in *Mosam*, & sicut rectâ viâ ex hac parte occidentali pergit in *Bedensi*, secundum quod missi nostri rectiꝰ in venerint.
Tullense, *Toul.*
Aliud Ordonnense, quod *Termarus habuit.*
Barrense, *Barrois.*
Portense, *Portian.*
Salmoringum, *Semurr in Ducat.* Burg.
Lugdunense, L*es Lionnois.*
Viennense, *les Viennois.*
Vivarias *Vivarez.*
Vcetiam, *Vsez.*
De Frisiis tertiam partem.

veneficis fallaci ſanè experimentô aqua frigida relicta ſit) ſed ſpretis hiſce poſtea eodem *An.* 876. magnâ clade repulſus paternam nepoti hæreditatem permiſit, & *An.* 877. extinctus filio (*Balbum* den Kikaker ſeu Stamler appellant Annales) Galliam reliquit.

§. XV.

Et hic quidem *An.* 879. uti refert *Aimon. lib.* 5. *cap.* 35. cum patruele *Ludovico Marſannenſem* illam, de qua §. 13. regni *Lotharingici* diviſionem novô pactô repetiit (*Sicut inter patrem meum*, *Carolum*, *& patrem veſtrum Ludovicum*, verba fœderis ſunt, *regnum Lotharii diviſum fuit*, *volumus*, *ut ita conſiſtat*, *& ſi aliquis noſtrorum fidelium de regno patris ſui purpriſam habet*, *juſſu noſtrô illud dimittatur*) atque ex eo Germani *Lotharingiæ Transmoſanæ*, cujus caput *Aquisgranum*, Galli verò *Ciſmoſanæ*, in qua *Heriſtallum* (ita enim *Lotharingiam*, quod illorum de quibus jam ago, ſubſequentiumque temporum exigit ratio, cum *Haræo*, aliiſque placet dividere) quietam aliquamdiu retinuêre poſſeſſionem, niſi quod *Northmanni* fixâ *Lovanii* ſede in eam irruperint, ac pleraſque urbes, *Leodium*, *Virodunum*, *Treviros* &c. devaſtârint, de quibus *Regino*, *Sigebertus*, *Aimon. Frodoard. vita S. Gudilæ*, *Annales Pithæani*, *Annales Fuldenſes ab An.* 880. multa ſcribunt, & *Hugo Lotharii junioris* (frater is erat *Ludovici* & *Caroli Burgundiæ Regis*) ex *VValrada* pellice ſpurius regno patris, velut ſibi debito inhiârit, ſed poſtea (*Sigeberti* verba ſunt ad *An.* 885. (*excæcatus*, *& noviſſimè in Monaſterium Prumiæ detonſus*.

XVI.

Sed poſt *Ludovici Balbi* obitum recruduere de *Lotharingiæ* regno certamina, quæ ad poſteros quoque derivata ſunt. Cùm enim ex *Ansgarde* (ſed patris juſſu, quô inſciô hæc ducta, eam repudiârat) ſuſcepiſſet *Ludovicum*, & *Carolomannum*, *Carolum* autem *ſimplicem* gravida ſub mariti obitum conjux *Adelheidis*, poſtea dediſſet poſthumum, orta

primùm

primùm de ſucceſſione controverſia, &, ut fieri plerumque ejuſmodi in turbis ſolet, procerum nonnulli *Ludovicum* & *Carolomannum* velut ſpurios non paſſuri in *Gallia* reges (hic color tegendis, quæ ſinguli captabant, commodis quæſitus.) *Ludovicum* è Germania ſpe regni totius obtinendi oſtentatâ evocant, & hic quidem *Viroduni* (ad Gallos hæc pertinebat) exceptus, jam commoverat rerum novarum cupidos, ſed poſtea ſubmiſsâ à Gallorum probioribus legatione abſterritus receſſit in Germaniam, hôc unô tamen lætus, quòd *Boſo Burgundorum Regulus*, *Theodoricus*, & ſocii (hi tutelam regum ſuſceperant) oblatô totius *Lotharingiæ* regnô pacem redemiſſent, uti *Aimon. lib.* 5. *cap.* 39. *Regin ad Ann.* 879. tradunt, & *Bußier. lib. 6. pag. m.* 282. pro more eleganter proſequitur. Ergo tum tota *Lotharingia* adeoque & *Brabantia* ad Germanorum Reges pervenit, & hunc exiſtimem primum fuiſſe fontem, ex quo poſtea diuturna illa Germanos inter, Galloſque de Lotharingiæ regno profluxêre certamina. Interim, *An Lotharingiam illam Ciſmoſanam Ludovicus Germ. R. plenô jure, an verò fiducia duntaxat nomine acceperit, nec minus, an jure, an injuriâ id factum*, non tædebit dijudicare. Et de poſtremo quidem facilè tranſegerim; *Ludovicus* enim, & *Carolomanus Balbi* filii, quorum tutelam, curamque *Boſo Burgundiæ Rex* antea *An.* 877. à *Calvo* jam Imperatore ex veterum Romanorum inſtituto dictus (*Regino ad An.* 877. hæc tradit) aliique invalidâ adhuc puerorum ætate ſuſceperant, aut legitimi fuere Gallorum Reges, aut natalium labes eos excluſit; ſi hoc, quomodo *Lotharingiæ* ſub iis ad Germanum translatio vagiente in cunis *Carolô ſimplice* valida potuerit eſſe, non video; Imò ne tum quidem, ſi demus reges, niſi fortè quis aſſerat, licere tutoribus pupillorum bona, opesque prodigâ manu diſſipare, contra Francorum morem, quibus inſciis, imò & invitis furtiva hæc ceſſio peracta eſt. Alterum autem *Aimoinius* decidit, qui *lib.* 5. *cap.* 41. ita ſcribit: *Ad quod placitum*

citum (*VVormatiæ* tum *Carolus Crassus* regnorum, quæ *Ludovicus* frater *An.* 882. extinctus reliquerat, successor id ipsum indixerat) *Hugo Abbas quibusdam sociis secum assumptis profectus Carolum adiit, pro petitione partis regni, quam frater suus Ludovicus in locarium* (*Apenagium* vocat interpres) *acceperat, ut sicut ipse Carolus olim promiserat, Carolomanno restitueret: Unde nihil certi obtinuit. Hæc Aimon.*

§. XVII.

Quidquid de hoc sit, id certè constat, *Carolum simplicem* post *Carolomanni* fratris obitum *An.* 884. *Franciæ* regem dictum (quanquam *Otto* seu *Eudo* ad *An.* 898. regnô turbatô intercipiebat regium nomen) ad *Lotharingiæ Cismosanæ* possessionem rediisse. Licèt enim *Arnulphus* German. Rex *Carolomanni* spurius, ejusdem notæ filium *Zuvendiboldum Lotharingiæ* regno præfecerit, postea *An.* 900. in prælio, cui ipse ob motas in regno turbas causam dederat, peremtum, uti *Regin. ad* An. *Chr.* 895. & 900. refert, sua tamen jura *Carolus simplex* tutatus est. Etenim ex *Tom.* 1. *Rer. Leodiens. fol.* 161. discimus, hunc *Carolum Ecclesiæ Leodiensi*, quæ ad *Lotharingiam Cismosanam* pertinet, amplô diplomate datô firmasse jura, quod *An.* 894. peractum, & *fol.* 169. aliud quoque legitur, in quo *Stephano Tungrorum* Episcopo, ejusque Ecclesiæ conferuntur beneficia; Imo & *Lotharingiam Transmosanam An. Chr.* 912. post *Ludovici* Carolingorum in Germania postremi obitum Galliæ restituit, uti *Sigebertus ad An.* 916. scribit, & ex *Frodoardo* quoque, qui *Sigeberto* ducentis etiam annis antiquior, in *Chron.* ad *An.* 921. 923. colligi potest. Id quoque certum, *Richarium*, qui fuerat *Abbas prumiensis*, *An. Chr.* 921. *Leodiensibus* à *Carolo simplice* datum Episcopum, firmatumque *Iohannis X. P. R.* auctoritate, ac *Hilduinum*, quem *Giselbertus Dux* Bullionensis, & postea ab Henrico German. Rege toti præfectus Lotharingiæ, obtruserat, depulsum, uti ex *Frodoardo* refert *Cardin. Baron.* in *Annal. ad An.* 921. V. etiam *Chron. magn. Bel-*

Cc gic,

gic. pag. m. 76. Et hic *Lotharingia* ſtatus fuit ad vergentem usque *Caroli M.* in Germania ſtirpem, quæ in *Ludovico* An. 911. (alii in ſucceſſore *Cunrado*, *Franconiæ* antea, atque *Haſſiæ*, in qua etiam ferè ſemper vitam exegit, Duce, id factum memorant) exaruit, quæ omnia ex affixa tabula, principum *Lotharingiæ Trans & Ciſmoſanæ* ex *Carolinâ* familiâ indice lecturis conſtabunt.

§. XVIII.

Poſtquam extinctâ *Carolingorum* in Germaniâ ſtirpe regnum Teutonicum *Saxonicam* tranſiit in familiam, acriùs quoque repetita de *Lotharingiæ*, ſeu *Auſtraſiæ* regno certamina: quæ dum memoro, facile ſperabo à lecturis veniam, ſi alicubi ceſpitem, cùm ſcriptorum illa ætate inopia confuſam illorum temporum narrationem reliquerit. Conabor tamen Deô duce eluctari: Ab *Henrico Aucupe* Saxonum ex ſanguine *VVidekindi* Duce exordior. Hic poſt *Cunradi* obitum *Frideslariæ* in *Haſſiâ* à Francis, Saxonibusque in Germaniæ regem electus *An. Chr.* 919. (alii An. 920. numerant) uti *Continuator. Reginon.* qui *An. Chr.* 905. adhuc vixit, finiitque hæc circa tempora Chronicon, ad *An.* 919. 920. *VVidekindus Corbejenſ.* | *Hermann. contractus ad An.* 919. *Urſpergens. in Chron. ad An.* 920. aliique memorant, *Lotharingiæ* quoque, quam Dux *Giſelbertus* dubiæ fidei princeps à *Carolo ſimplice* obtinebat, injecit manum: quod facilè fieri poterat, cùm illa tempeſtate Gallia civili flagraret bellô, & novi ſemper Reges adversùs *Carolum* obtruderentur, è quibus tamen *Robertum* trajectâ per os lanceâ, linguâque affixâ palato, ut eâ, quâ fefellerat, parte perfidiæ pœnas lueret, in prælio apud *Sueſſiones* peremit, v. *Flodoard. Odorann. Reginon. contin. ad An.* 922. (*alii* 23. habent) ſed vel hoſtis victor adhuc infelix, cum *Heribertus Veromanduorum* Comes *Carolum* è prælio profugum dolô interceperit, caſtroque *Theodorici* (*chaſteau Thierri* ad *Matronam flu.*) incluſerit, in quo vitam aliquamdiu exegit, & ad peronam poſtea

TABULA
Regum *Auſtraſiæ* ſeu *Lotharingiæ* ex familia *Carolingorum* & *Saxonum* à ſeculo octavo ad undecimum.

I.

PIPINUS *Nanus*, *Caroli Martelli* fil.
Pipini Heriſtalli Nepos, *Anſegiſi* ex Avo Pronepos,
Pipini de Landis Brabantiæ Ducis ex Avia *Begga* Abnepos
Carolomanni An. 915. mortui ex eadem Atnepos:
Primum in *Auſtraſia* & *Neuſtria Palatii Magiſter*,
dein *An.* 752. *Franc. Rex*; obiit *An.* 768. 8. *Cal. Octobr.*
filii duo.

1.
II CAROLUS *M. Imper.*
Saxones debellavit:
ob *An* 814. *Cal. Febr.*
Aquisgrani.

2.
CAROLOMANNUS
ob *An.* 771. filios ejus
Carolus patruus ab hæreditate
repulit.

1.
III. LUDOVICUS *I. Pius Imp.*
ob *An.* 840. *Cal. Jul.*
filii quatuor.

1.
IV. LOTHARIUS *I. Imper.*
In diviſione regnorum cum fratribus *An.* 841.
accepit terras inter *Rhenum* & *Moſam*
ac *Scaldin*, in quibus *Auſtraſiorum* ſedes,
qui tractus *Lotharingiæ regnum* poſtea
dicebatur. ob *An.* 855. paulò ante
Monachus in cœnobio *Prumienſi* factus,
tres filii.

2.
VI. LUDOVICUS *German. Rex.*
An 870. cum fratre *Carolo Calvo*
Lotharingiam diviſit ſortitus
magna ex parte *Transmoſanam*;
ob *An.* 876. Tres filii
Caroloman. Ludovic. Carol. craſſus.

3.
VI. CAROLUS *Calvus Imper.*
An. 870. accepit
Lothar. cismoſanam.
ob *An.* 877. *Non Octob.*

1.
VII. LUDOVICUS *Balbus*
ob *An.* 879.

4.
PIPINUS *Aquitaniam*
accepit ante patris obitum,
ſed *Pipinum* & *Carolum*
ejus filios *Carolus Calvus*
Monachos fecit.

1.
LUDOVICUS *II. Imper.*
Italiam habuit, ob. *An.* 875.

2. V.
LOTHARIUS.
Is tractum inter *Rhenum*
& *Moſam* (*Lotharingiæ*
regnum) accepit & *Carolo*
fratre mortuo *Lugdunum*,
veſontionem, *viennam*.
ob. *An.* 869.
filius ex *Walrada* pellice
Spurius HUGO *An.* 885.
detonſus in Monachum.

3.
CAROLUS
accepit *Provinciam*
(*la provence*)
ob. abſque prole.

1.
Ex ANSGARDE
patris juſſu repudiata

1.
LUDOVICUS
Neuſtriæ Rex
ob. *An.* 882.

2.
CAROLOMANNUS
Burgund. & Aquit.
Rex. ob. *An.* 884.

Horum tutores *Ludovico* patrueli
R. Germ. dederunt Lotharingiam,
Sed *Carolus Simplex* hoc poſtea
revocavit.

2.
VIII. Ex ADELHEIDE
ad *An.* 879. CAROLUS *Simplex*
An. 912. totam *Lotharingiam* occupat:
An. 923. captus ab *Heriberto*,
An. 929. in captivitate obiit.

1.
LUDOVICUS TRANSMARINUS
An. 939. rejectus *ex Alſatia*, &
Lothar. ab *Ottone I. Imp.* & *R.*
Germ. ob *An.* 954.
filii duo.

LUDOVICUS *Rex German.*
tres filii.

1.
CAROLOMANNUS
accepit *Bavariam*, & c.
ob. *An.* 880.
filius ſpurius.

X. ARNOLPHUS *Imper*
An. 896. ob. *An.* 900.
filii duo,

XI. 1. Spurius
SWENTIPOLDUS
Rex *Lotharingiæ*
à patre dictus
An. 895. ſed *An.*
1000. occiſus.

2.
VIII. LUDOVICUS
An. 879. à tutoribus *Ludovici*
& *Carolomanni filiorum*
Ludov. Balbi accepit *Lotharingiam* totam, jam ante ejus ex
parte Rex, & ſimul *Franconiæ*, *Haſiæ*, *Thuring. Saxon.*
Friſiæ, ob. *An.* 881. *Carolus*
Craſſus frater hæres fuit.

XII. 2. Legitimus
LUDOVICUS ob. *An.* 911. in eo *Carolingor.* ſtirps regia in Germania defecit.
poſt ejusdem obitum Carolus Simplex
Lothar. occupavit:
Huic ſucceſſit electus à primoribus Germ.
Conradus Francon. & *Haſſ. Dux* ob. *An.* 918.
regnum *Henrico Aucupi* detulit.

3.
IX. CAROLUS *Craſſus*
Imp. poſt fratrem totius
German. & poſtea etiam
Galliæ ſed paucos per annos
Rex ob. *An.* 887.
Caroli Simplicis in Galliâ
tutor fuit.

1.
LOTHARIUS *An.* 954.
Ottoni II. Imp An. 978.
Lotharingiam permiſit.
ob. *An.* 986. filius.

LUDOVICUS *Nihil fecit*
An. 986. Rex factus:
ob. *An.* 987. ſine prole.

2.
CAROLUS.
Dux Lotharingiæ Anno 877.
ab *Ottone II. Imp.* dictus:
Anno 987. ab *Hugone Capeto*,
à quo tertia Regum Franc.
familia, regno exutus, quod
Ludovico Nepote defuncto ad
ipſum pertinebat:

Ex uxore priori.

1.
OTTO *Dux Lothar.*
ob. *An.* 1005 abque
prole.

2.
Gerberga
filia.

Hæc *Lamberto*
Longicollo nupta
Brabantiæ Succeſſionem ſuis reliquit.

Ex alterâ

1.
Ludov.

2
Carol.

poſt hos Plato
jubet quieſcere.

Ex Familiâ *Saxonica*
Lotharing. Reges.

XIII. HENRICUS *Auceps*: *An.* 919.
Lotharingiam ab *An.* 924. habuit:
Giſelbertum Ducem præfecit: ob. *An.* 936.
filius.

XIV. OTTO *I. Imper. An.* 939. *Giſelbertum*
rebellantem, Rheno poſtea ſubmerſum depulit
& *Ludovic. Transmar. R. G.* ex *Alſatia*: hic
Ottoni Lotharingiam permiſit. ob. 973.
Brunon. fratrem *Archi-Ep. Colon. An.* 954. *Lotharing. Ducem*
creavit. filius

XV. OTTO *II. Imp.*
Lotharium Gall. R. è *Lothar.* expulit
ejus fratrem *Carolum An.* 977. *Lotharingiæ* præficit;
ob. *An.* 983. 8. Decemb

XVI. OTTO *III. Imp.*
ob. *An.* 1002. 23. *Jan.*

XVII. Poſt hunc *Henricus II.*

ſtea translatus, *An. Chr.* 929. deceſſit, cùm jam ante *An.* 923. *Rudolphus Burgundiæ* Regulus velut vacuam regni poſſeſſionem occupâſſet, uti *Flodoard. Odorann. Regin. contin.* referunt. Hæc inter non prætereundum, duo, quæ *Lotharingiæ* regnum concernunt, à *Sigeberto*, quem Germani noſtri hoc in genere libenter ſequuntur, (aliqua etiam *VVidekindus Sigebertô* longè antiquior memorat.) referri, quorum alterum eſt, *Carolum ſimplicem* cum *Henrico* poſt prælium illud, de quo jam dixi, *Bonnæ* collocutum, totamque in eum *Lotharingiam* adhibitô procerum conſenſu tranſtuliſſe, quod repetit *Chron. Colon. fol.* CXXV. quanquam tempus ipſum non deſignet: non tædebit verba ipſa transſcribere: **In der zyt zoich der ſelue Kónynck Henrich zo Bunne up dem Ryn / dar quam Konynck Karl von Vranckrich / aldar wart der groiſſe / ind lange Kriech geſcheiden eyn mit dem ſryde / der tuſchen den Vurkayſeren ind dem Konyckrych van Vranckrych biſ dair zo gewert hadde / alſo dat Lothringen dem Roemiſchen Rych van der zyt vortan bleue. Dat wart mit eyden ind brieven beſiegelt ouermitz die Fúrſten beyde der buſchoue ind leyen zo ewigen dagen / ind Vranckryck ſouthe behalden Konynck Karl.** v. quoque *Otton. Friſing. lib. 6. chron. cap.* 18. Alterum eſt, *Giſelbertum Lotharingiæ* Ducem, captum primùm à quodam *Lotharingo*, abductum inde ad *Henricum* Regem, ejus filiam *Gerbergam*, ſimulque *Henrici* nomine accepiſſe *Lotharingiæ* Ducatum (obſervandum hîc, illô tempore Duces, Comitesque Regum fuiſſe miniſtros, nec ſuô, ſed Regiô nomine imperitâſſe, quamquam eorum potentia poſtea, imò etiam illis temporibus vel ipſos Reges venum expoſuit) quam in rem *Abbas Urſperg.* quoque legi poterit, qui etiam refert, *Henrici* conſilia in eo potiùs conſtitiſſe, ut *Lotharingos* arte, non marte, *quippe gentem variam, aſſuetam artibus, bellis promptam, mobilemque ad rerum novitates* ſubigeret.

§. XIX.

Sed his, quæ jam ex nonnullorum monumentis produxi, immorandum parumper, &, quomodo pleraque illa, quæ allata, & historiæ, temporumque rationi, & juri denique accommodari queant, dispiciendum. Id primùm non moror, *Henrico Cæsaris* nomen à *Buntingio*, aliisque indi, quanquam contra temporum illorum rationem; illud disquisitu nobilius, *An* Henrici *in* Germaniæ *Regem electio fuerit legitima*? *deinde an Giselberto* Lotharingiæ *Duci jure potuerit movere controversiam*? ac postremò, *An* Carolus *Lotharingiam* Henrico *Bonnæ reliquerit*? Quod si vera essent, quæ *apud Ursperg. in Chron.* & *Otton.* Frising. *lib. 6. Chron. cap. 18.* Gallici scriptores memorant, nempe, *Henricum* ab ipso hoc *Carolo simplice* Ducem Saxoniæ constitutum, sed postea aliorum consiliô post *Cunradi* obitum in se, suosque derivâsse regium in Germania nomen, uni *Simplici* debitum, faterer, nihil superesse, quô hæc electio defendi posset; sed hæc, quippe incerta, non moror, quanquam aliqua hujus rei vestigia etiam apud *Avent. in lib. 4. Annal. in Cunrado R. G.* reperiam, & perpetuum illud *Conradum* regem inter, & hunc *Henricum* bellum aliquam detrectati imperii supicionem ingerat v. *VVidekind. lib. 1. Annal. Dithmar. lib. 1. Albert. Stad. in Chron.* Interim tamen ex eo adhuc dubiam quis reddiderit *Henrici* electionem, quòd ea à *Saxonibus* duntaxat, & *Francis* (hoc nomen retinebant in Germania *Franconiæ*, & fortè etiam *Hassiæ* populi, uti ex *Reginon. Continuat. ad An. 920. 26. 31. & 933.* constat.) fuerit peracta, quod *Ursperg. Abbas* refert, quanquam postea *Alemanniæ*, ac *Bavariæ* Duces armis perterriti *Henricum* regem appellârint, permissô tamen *Bavariæ* Duci *Arnolpho* Episcopos constituendi arbitriô, uti *VVidekind. lib 1. Annal. Abb. Stad. Aventin. lib. 4.* aliique memorant, adeoque fortè ex eo vulneratæ primùm electioni obducta cicatrix; *Carolo* tamen *simplici* in Germaniam jus, ad quem quippe *Carolinæ* familiæ principem post extinctos in

Ger-

Germania *Carolingos*, illud velut hæreditarium devolvebatur, mansisse integrum mihi persuadeo. Excusari tamen poterit hæc regni teutonici in familiam *Saxonicam* translatio, quòd *Carolingi* ne ipsi quidem *Galliæ* regno, quod novi semper reges, jam ex *Burgundia Rudolphus*, jam ex *Parisiensium Comitum* familiâ *Robertus* contra *simplicem* scindebant in partes, tutando pares essent, neque Germanos unquam pœnituit adorâsse *Henricum* Regem, qui de *Hungaris* Germaniam illâ tempestate inundantibus tam gloriosè triumphavit.

§. XX.

Interim quid *Henrico* cum *Giselberto*, qui à *Carolo simplice* datus *Lotharingiæ* Dux, *Cunradum* quoque *Henrici* prædecessorem respuerat, intercesserit negotii, non satis liquet; Id primum ex *Ekkehardo juniore de casib. Monast. S. Galli cap.* 5. aliisque scriptoribus constat, *Giselbertum* nullas in *Henrici* electione habuisse partes, sed potiùs *Franconiæ*, *Sueviæ* ac *Bavariæ* Duces ab ea dehortatum: atque hinc derivo irarum causas in *Giselbertum Henrici* Generum (an ei filia ante *Henrici* electionem, an post tradita, incertum reliquit varia Historicorum relatio) sed tamen nulla *Henrico* in *Lotharingiam* jura, quippe cujus pars etiam *Transmosana*, quam aliâs *Carolingi* in Germania tenuerant, tum nullo ex his superstite indubiè pertinebat ad *Carolum simplicem*, quæ usque adeo vera existimo, ut cum *Dn.* P. *Laurentio à Dript.* *magnæ sanè eruditionis, ac teutonici, apertique pectoris viro in Append. ad Anti decal. Theol. polit.* ausim dubitare, an non ipsi Franci, quorum sanguine, atque opibus *Austrasia*, aliæque provinciæ subactæ, extinctâ etiam Regum suorum familiâ integra illas in provincias jura, nisi quæ temporis præscriptio abolet, præ cæteris omnibus retineant?

§. XXI.

An verò *Carolus simplex An*, 923. post prœlium, in quo *Robertus* adversæ factionis Rex cecidit, *Lotharingiam* habitô *Bonnæ* colloquiô in *Henricum* transtulerit, non ita expedi-

ditu

ditu facile. Et Galli quidem *Sigeberti* hæc memorantis fidem ex eo fortè redarguent, quòd *Carolum simplicem* ex prœlio illo profugum, *Heribertus* in fugâ ad Sanctum *Quintinum* interceptum custodiæ mandârit, in qua etiam *An.* 929. decessit, quod ex *Flodoard.* qui *Sigeberto* multò antiquior, & illis quoque temporibus vixit, in *Chron. ad An.* 923. aliisque constat. Interim, unde hæc narratio fortè traxerit originem, non tædebit ex veterum monumentis eruere. *Henricus*, cùm cerneret, Galliam bellô civili *Carolum simplicem* inter, & quem adversa *Comitum Parisiensium* factio obtruserat Regem, *Robertum* dividi, hâc usus opportunitate in *Lotharingiam* convertit arma, quod ex *Frodoard.* ad *An.* 921. constat, qui hæc scribit: *Carolus Rex in regnum Lotharii abiit, receptisque per vim quibusdam Ricuini infidelis sui præsidiis, & facta pactione usque ad Missam Sancti Martini cum Heinrico principe Transrhenensi reversus est in montem Lauduni*, item: *Carolus verò iterum pacem cum* Henrico *firmat.* An. 923. illuc repetiit iter Henricus: verba Flodoardi sunt: *Rotbertus in regnum Lothariense proficiscitur locuturus cum* Henrico, *qui ei ob viam venit in pagum Ribuariorum super fluvium Ruram, ubi se invicem paverunt, & pacta amicitiâ discesserunt.* Eôdem annô, & eô quidem tempore, quo *Carolum Heribertus* interceperat, Henricus (verba sunt Flodoardi) *invitantibus se Gisleberto Comite*; & *Rotgario Trevirorum præsule depopulatus est, quidquid inter Rhenum, & Mosellam interjacet, qui auditô, quod Rudolphus exercitus non modo è Francia, quin ex omni cogeret* Bungundia, *in suo se regno recepit.* Et crediderim circa hæc tempora, *à Carolo* jam tum captivo, legatum illum, de quo agit *Ursperg. in Chron.* cum Brachio *S. Dionysii* submissum esse ad *Henricum*, simulque oblatum *Lotharingiæ* regnum. Hoc ex eodem *Flodoardo* constat, *An.* 925. *Tulpiacum* ab *Henrico* vi captum, & *Lotharingiam* totam subactam, in quam etiam ab eodem *An.* 926. (cum Frod. loquor) *Ebrardus Trans Rhenensis mittitur justitiam faciendi causa, & Lotharienses inter se pace consoerat.*

ciat. Affertâ ergo jure belli, ut opinor, *Henrico Lotharingiâ* (nam *Carolinam* illam translationem verè fimplicem, & invalidam exiftimo) & hanc conftitutô ibidem Duce *Gifelberto, An.* 936. mortuus *Ottoni* I. filio reliquit.

§. XXII. Sub hæc novæ ob *Lotharingiam* turbæ exortæ, earum incentore *Gifelberto Duce*, quarum feriem ex *Flodoard. Regin. contin. Abb. Urfperg. in Ottone* 1. *Sigebert. VVidek. Abb. Stad. Otton. Frifing. lib.* 6. *cap.* 19. *Chron. Colon. fol. CXXIX. CXXXII.* aliifque fcriptoribus breviter pertexam. Et *Gifelbertus* quidem *Ottoni* infenfus *Lotharingiam* primùm *Ludovico*, quem ex *Anglia*, quò auditâ patris *fimplicis* captivitate profugerat (ex eo ipfi cognomen *Transmarinus*) *Hugo* revocârat *An.* 936. offerebat, quafi juftam ac legitimam hæreditatem; deinde pellectis fuas in partes nonnullis in Germania principibus, imo & præter *Archiep. Moguntinum Henrico Ottonis* filio, bellum regi movet, & penetrabat quoque in *Lotharingiam*, *Auftrafiis* id fummopere cupientibus, *Ludovicus* in *Alfatiam* impreffione factâ, fed actus in fugam ab *Ottone* An. 939. abjecit *Lotharingiæ* fpem, quin potius, ut fubfidia potentiæ contra *Hugonem* regno inhiantem conquireret, *Gerbergam Ottonis* fororem, ac *Gifelberti Ducis* Rheno in fugâ fubmerfi viduam duxit, periculofiffimis quoque temporibus poftea *An.* 948. contra *Hugonem* ab affine defenfus, quod verbis *Urfperg.* lubet explicare: *quod audiens Hugo legatione miffâ jurat per animam patris fui, quod tanta fibi armorum copia effet, quam rex nunquam vidiffet: addiditque contemptum loquendo vane, tumideque de Saxonibus, quia imbelles effent, & quia facilè poffet unà potione feptem Saxonica tela abforbere.* Ad *hæc rex famofum fatis reddidit refponfum, fibi fore tantam multitudinem pileorum fæninorum* (Schein-oder Strohüte) *quos ei repræfentari oporteret, quantam nec ipfe, nec pater fuus unquam viderit, & revera cum effet magnus valdè exercitus,* 30 *fcilicet, duarumque legionum, non eft inventus, qui fænino non uteretur pileo, nifi Abbas Corbejus cum tribus fuis fequacibus* &c. huc usque

Urfperg.

Ursperg. Sed Otto capto jam Bri*saca*, qui locus *Ottonibus* semper infestus, uti observat *Rhenan. lib.* 3. *Germ. Lotharingiæ* gubernatores dedit, non quidem filium *Henricum*, uti H*æræus* refert, neque etiam statim *Brunonem Giselberto* suffecit, in quo errat *Chron. Colon. fol* CXXIX. cum *Bruno*, ut patet ex eodem *Chron. fol.* CXXXII. primûm *An.* 954. Episcopatum adeptus sit, *Giselbertô* jam pridem extinctô, sed alios, quos *Ursperg.* & ex eo *Abb. Stad. in* Chron. *ad* An. 941. nominat: His deinde extinctis An. 953. uti *Flodard.* refert (alii 54. numerant) Bruno Archiep. Colon. à fratre *Lotharingiæ* imperium sub nomine *Ducis* obtinet, novo, & antea in Germania non audito exemplo, uti *VVidekind* refert, repetitque *Chron. Colon. fol. CXXVII.* **So solden sy auch sich vortan Hertzogen noemen/ ind mit dem swerde urdelen/ vechten ind streyden/ die vurhyn plaigen zo gebruychen eyn Staff mit eyner Kruncken/ item. Dat vur nieme gevreischtin was/ dat eyn Byschoff mit dem Swerde dede richten.** Expertus & hic pronos in rebellionem *Lotharingorum* animos, præprimis *Ragineri* Comitis *Montensis*, quem *Longicollum* vocabant, ejusque filiorum *Ragineri* & L*amberti*, quorum motus, ac consilia L*otharius G. R.* fovebat, nec minus *Immonis* cujusdam, quæ F*lodoard. ad An.* 957. 958. &c. & *Sigebertus* referunt, uti plerumque novis in imperiis, præsertim si ingruens rerum mutatio exulceret subditorum animos, fieri solet, sufflaminantibus has scintillas, clandestinas per artes primoribus, donec in flammam erumpant: sed *Bruno* exortos motus feliciter composuit, *An.* 967. teste *Chron. Colon fol. CXXXIV.* mortuus, vel An. 965. uti *Sigebert.* refert, relictis Coloniensi Ecclesiæ amplis ditionibus, quæ antea pauper & egena principum opem expectabat: & hæc quidem à B*runone* peracta, cum à fratre *Ottone*, qui in *Italiam* abierat, vicarium in Germania accepisset imperium, adjectâ quoque Coloniensi Episcopatui parte VVestphaliæ, in quâ Gesekæ (**Geseke**) jam ante ipse *Otto* Rex exstruxerat monasterium, & postea *Gerovvart* Episcop. qui An. 972. suf-

fectus,

fectus, *Gladbachii* (Gladbach) Abbatiam *in Molendino S. Viti* condidit, Sed hæc non ſunt hujus loci.

§. XXIII.

Ottoni An. 973. ſucceſſit filius *Otto II. Ludovico Transmarino* in *Galliâ An.* 954. *Lotharius*: & hic quidem urgente Francorum querelâ, quibus ægrè erat, detineri à Germanis *Auſtraſiam*, *Lotharingiam* velut avitum recuperaturus patrimonium ſub *Ottone II.* armatus repetiit; ſed jam ante *An.* 977. *Ducatus* Lotharingiæ (utor verbis *Sigeberti ad hunc An.*) *datur fratri* Lotharii *Regis Francorum*, *multis inſuper conducto beneficiis, ut & ipſe ab inſolentiis deſiſtat, & fratris ſui Lotharii motibus obſiſtat.* Ex eo quidem ventum ad arma, quibus ſub initium feliciter uſus *Lotharius*, oppreſſô, captôque propemodum *Aquisgrani Ottone*, ſed cùm poſt hæc *Otto* ad ipſas *Lutetiæ Pariſiorum* portas admoviſſet exercitum, novam ſub hæc minatus expeditionem, *Ottoni Lotharius Auſtraſiam* reddidit: An retentô ſibi ſupremô in eam imperiô, quod *Bußier. lib. 6. pag. m.* 306. dubio procul ex *Nangii continuat.* apud *Pithæum* adjicit, an verò cuncta, plenumque jus *Ottoni* reliquerit, dubium *Nangii continuat.* fecit, ſed malè: *Sigeberti ad An.* 980. verba ſunt: *Otto Imperator, & Lotharius Rex convenientes ſuper Charum fluvium pacificantur, datis invicem ſacramentis, & Rex Lotharius Lotharingiam abjurat*: *Chron. Colon.* addit & filium renunciaſſe: *fol.* CXXXIII. und verzegen und verſchwoiren dat lant van Lothringen zo ewigen dagen.

§. XXIV.

Sed *Lotharius* ex eo, quod *Ottoni* permiſiſſet *Auſtraſiam*, à ſe Francorum abalienavit animos (verba *continuat. Nangii* ſunt: *quod magis corda prædictorum principum contriſtavit, & maximè* Hu*gonem Capucii pariſienſem Comitem*, & Henr*icum fratrem ejus Ducem Burgundiæ*) fratri autem, quippe Germanorum amicitiæ nimium innexo, regni Gallicani ſpem ademit; Hic enim *Ludovicô Lotharii* filiô, qui Regum

in Gallia ex *Caroli M.* ſtirpe poſtremus, vili cognomine, *Ludovicus Nihil fecit*, parentavit proavis, *An.* 987. extinctô, accitus qvidem ad nepotis ex fratre regnum; ſed cum primum cunctandô *rem deferret ad conſilium*, *Hugo Capetus*, à quo tertia jam *Capetingorum* familia, vacuam regni poſſeſſionem occupavit, ſublectus qvoqve procerum voluntate, &, (ita quidem referebat ipſe, multum tamen hæc ludibria irridente *Bußieriô*) à *Ludovico* hæres ſcriptus. Ita ergo jam tertiam in familiam Franciæ tranſiit ſceptrum, & *Hugo quidem*, *Bußierii* verba placet adſcribere, ut *Regi in poſterum tolleret æmulum, Comitis pariſienſis dignitatem extinxit; quippe ut Carolingi Magiſtros palatii abrogaverant, quô ipſi nomine à Merovingis extorſerant regnum; ita Capetus haud ignarus, ſibi, ſuisque majoribus viam munitam ad ſceptrum pariſienſis Comitis dignitate; ne peccarent exemplô poſteri, modum peccandi eripuit: documento egregio, ne Reges ſibi proximum quemquam conſtituant, cum admoto ad regnum propius, nihil pronius ſit, quam in regnum ipſum votum adjicere.* Hæc Buſſier.

§. XXV.

Carolus repetitâ ab *Hugone* nequicquam *Franciâ An.* 989. captus, *Ottonem* ex priori conjuge *Lotharingorum* reliquit *Ducem*, ac *Gerbergam Lamberto Longicollio*, *Comiti Montenſi*, ſeu, *Hainonienſi* nuptam; ex alterâ *Ludovicum*, & *Carolum*, de quibus, quod dicam, non habeo: *Otto An.* 1005. abſque prole obiit, hinc exortâ de ſucceſſione controverſiâ, cùm ex uno *Godefredus Lotharingiæ ducatum*, velut jam vacuum ab *Ottonis* obitu beneficium ab *Henrico II. Germ.* Rege impetrâſſet; inde autem *Lambertus Gerbergæ* maritus *Ciſmoſanam* armis tutaretur *Lotharingiam*, abjectô feudi nomine, in quod nunquam tranſiiſſe Brabantiam aſſerebat. vide Sigebert, *An.* 1005. *Chron Colon. fol* CL*II.* CL*V.* ſcribit, *Ottonem* moribundum in *Germaniæ* Regnum transtuliſſe per ultimæ voluntatis tabulas *Lotharingiam ſuperiorem*, ſed Br*abantiam* in *Godefridum Ardennatem Comitem*.

non

non habitâ ſororis ratione vſ. Deſe Otto aſʒ he an ſyme doiet Bedde lach/ ſo ouergaff he upʒ Vryen willen etc. *fol. CLX.* vſ. Mer want ſy eyn Wyff waſʒ etc. & hunc quidem morem *Lotharingiæ* etiam *Ciſmoſanæ* conſtituendi Duces ad centum ferè annos poſtea retinuere Germanorum Reges, quamquam *Gerbergæ* poſteri Brabantiæ tutarentur principatum. Sed hæc ad *Haræum* remitto.

§. XXVI.

Hic ergo erat regni *Lotharingici* ſeu *Auſtraſii* ſtatus ad ſeculum uſque undecimum, in quo nunc figerem pedem, præſertim, cùm Germaniam inter & Galliam poſtea alta quies priſtinæ ſuper *Lotharingia* litis propè aboleret memoriam, niſi mancum fine videretur opus, & ſuperiori, noſtrôque adhuc ævô aliqua eveniſſent, quorum enarrationem diſſertationis inſcriptio exigit. Qua in re id univerſim præmitto, tot in partes poſt *Ottonum* tempora, quibus *Duces*, *Comitesque* invalidâ Regum auctoritate concreditas ſibi ditiones liberis velut hæreditarias reliquêre, *Lotharingiam* eſſe diſtractam, ut ipſum etiam ejus nomen in modicis duntaxat *Mediomatricum*, ac *Leucorum* terris (ubi hodie *Lotharingia*) ægrè perdurârit. Lubet aliqua ſingulatim percurrere. Et *Helvetia* quidem, quæ olim *Auſtraſiæ* acceſſerat, ſeculô decimô quartô in diſtinctam abiit Remp. cœuntibus primum in ſocietatem *An.* 1315. *ſuitiis*, *Uriis* & *Undervvaldis*, quibus poſtea acceſſere alii, quæ omnia *Stumphius* jam pridem in *Chron. Helvet.* expoſuit. *Belgium* in varias ante ſciſſum provincias *An.* 1356. in domum *Burgundicam* tranſiit, ex ea *An.* 1477. 20. *Aug.* per *Mariam Caroli Audacis* ad *Nancejum* cæſi filiam *Maximiliano Imper.* nuptam traducta in *Auſtriacam*, manſitque penès illam integra ad *An.* 1572. à quo nobilis ejus pars in Remp. coaluit, quæ *Fœderatorum Ordinum* dicitur, reliqua *Galli* ultimis bellis lacerârunt. Plurima qvoqve ex *Auſtraſiæ* regno Epiſcopatibus acceſſere; de qvibus *Heda in rebus Ultra.* & *Beka in Leodiens.* Et *Leodienſi*

qvidem *Hasbaniæ Comitatus*, ut alia prætercam: *Ultrajectensi* ab *Henrico II. Imper.* An. 1024. *Trentoniæ comitatus*, à *Conrado I. Teysterbantia* data, uti ex *Heda Joh. à Leydis lib.* 9 *cap. XI* & 12. refert, & hæc qvidem, uti *Snojus lib.* 5. *Rer. Batav.* obſervat, continet *terras & agros Bommeliorum*, *Tyelanorum*, *Herculanorum*, Heuſ*denorum*, *Altenanorum*, *Vianenſium Culenbergenſium*, *Buranorum*, *ad uſque veterem Moſam: Henricus III.* *An.* 1047. *Daventriam* cum *Amelandia* adjecit, & qvis omnia enumeret, ſed in *Carolum V.* velut *Burgundiæ* Ducem, ejuſque ſucceſſores *An.* 1528. ab Epiſcopo, comprobante quoque *Clemente VII. P. R.* ſeculare imperium, narrante H*ortenſio Rer. Ultrai. lib.* 7. & *pontan. lib.* 11. *Gelr.* translatum eſt. Nec cæteri ad *Rhenum Moſellamqve* Antiſtites effuſas Regum largitiones negabant. Qvid juvat ſingula recenſere?

§. XXVII.

Reſtat *Alſatia* ac *Lotharingia* antiqva *Auſtraſiorum* ſedes, ſed utramqve Galli junxerunt Franciæ. Juvat rem, qvæ tot in Europa motus dedit dabitqve forſan graviores, ſi *Francofurto* pacis ibidem componendæ intercidat gloria, ex *ſcipion. dupleix.* ſcriptore *des veritez francoiſes*, *Vittor. Siri*, *Mercurio de tempi*, *Galeazo* Gualdo, Au*ctore de la conſideration ſur la paix de Munſter*, *Mr. desdier de la paix de Niemvvegen*, aliiſqve ab ipſis primordiis enarrare. Et qvidem A*n.* 1552. H*enricus II. G. R.* per occaſionem civilis in Germaniâ belli, quod exteris ſemper lætum, *Virodunum*, *Tullum*, *Metasqve* liberas Imperii teutonici urbes Germaniæ eripuit, transmiſitqve ad poſteros: manebat tamen hæc inter ſua Epiſcopis harum urbium libertas, leviûs tamen poſtea tentata, nec poterat Francia poſt H*enrici* exceſſum invalidâ Regum ætate, & bellis civilibus flagrans occupatam domi ſolicitudinem in Germaniam transferre; quibus poſtea extinctus *Henricus IV* magna videbatur moliturus, niſi gravidam vergentibus in Hiſpanorum exitium conſiliis mentem

ſcelerat

ſcelerata manus nefandô parricidiô extorſiſſet è corpore. Sed poſtqvam *Ludovicus XIII.* ſuâ felicitate, ac patientiâ, *Cardinal. Richelii*, qvi Franciam ad ſummam erexit gloriam, conſiliis Galliam reſtituit Galliæ, traducta tum primùm in exteros cura *Lotharingiæ* injecit recordationem. Tenebat eam illâ tempeſtate *Carolus* notum Europæ nomen, & *Sueci* jam ad Rhenum uſque penetrârant in Germaniam, *Ludovicus*, cui certum ingruenti Suecorum potentiæ, ſi exundaret, figere obicem, ſed veritus, ne ſi *Lotharingium*, quæ Galliam à Germania ea ex parte dirimit, dubiæ fidei principis relinqueret arbitrio, *Lotharingum An.* 1632. ad fœdus primùm adigit, ſed hoc poſtea evileſcente *An.* 33. ad clientelam *Barrenſis Ducatus* præſtandam compellat, at detrectantem (jure an injuria, poſt *Chifletium* ac *Blondellum* non diſceptabo) edictô ſenatûs ejicit, & iterum ſub hæc ſupplicem admittit *Ludovicus*, ſed *An.* 34. redeuntem ad novas turbas *Lotharingiâ* expulit. Et aliunde quoque feſtinabat illô ipſô annô ad *Ludovicum* felicitas, cum Sueci poſt cladem *Nordlingenſem*, Gallis fortè in ſinu lætam, occupatas ſuorum ſanguine in *Alſatia*, ac *Palatinatu* urbes, *Colmariam*, *Hagenoam*, *Sletſtadium*, *Philippoburgum* &c. multùm indignante *Oxenſtirnio* Gallis, quorum ope indigebant, vendidêre. Ex quo firmandi in *Alſatia* imperii ſtabilita conſilia, &, ut ſcopo duntaxat ſerviam, poſtea *An.* 1635. ob captum ab Hiſpanis *Philippum Chriſtophorum Trevir.* Antiſtitem, Romanô more indictum Auſtriacis, bellum, tractis in fædus è Germaniâ principibus. *An.* 1638. *Briſacum* ſub *Bernardo Vinar. Duce* adjectum. *An.* 1643. *Ludovici* clementiam expetiit *Carolus*, obtinuitque ex parte, ſed poſtea devolutus ad priora, &, quod hoſtem ſentiret indomabilem Francia, à pace *Monaſter.* & *Oſnabrugenſi* excluſus, ſpem alia in tempora diſtulit. Sed *An.* 1661 venditô Franciæ Lotharingiæ Ducatu, Nepote ex fratre nequicquam obſiſtente (credo, id fieri poſſe ex eo autumabat, quod *An.* 1542. Lotharingiæ in

Comitiis

Comitiis ſub *Carolo V.* permiſſa libertas) exin poſt ſeram pœnitentiam varia molitus An. 69. actus in fugam Germaniæ jurgia, ac metum, Nepoti ſpem ex longinqvo reliquit. Atque ita *Lotharingia* ad Gallos abiit.

§. XXVIII.

Poſtquam autem bellatum ſatis, & exhauſtæ regnorum vires, *An.* 1648. *Monaſterii* & *Oſnabrugi* in pacem coaluerunt Regum principumque animi, obteſtante nequicquam *Lotharingô.* Sed quia verborum, quibus partium voluntas expreſſa dubius ſenſus, & ex eo tracta in ſingulorum commoda interpretatio divellit contrahentium animos, lubet Germanorum, Gallorumque mentem ex ipſis rerum monumentis expromere. Et Galli quidem, *Dux* nempe *Longavillanus*, *Memmius*, ac *Servientius Comites*, cum *An.* 1645. coram *Nuntio Apoſtolico*, *Venetaque Reip.* Legato pacis concedendæ explicarent Conditiones, inter alia, reparando damno, quod contumaci iſtô bellô pertuliſſent, petiêre præter Epiſcopatus *Metenſem*, *Tullenſem*, ac *Virodunenſem* (*quanquam*, uti ipſi ingerebant, *jam olim poſſeſſos à Francis, atque ad Coronam jam ab antiquo pertinentes*) utramqve *Alſatiam* cum *præfecturâ Hagenoënſi &c.* Tangebat ea res primùm *Auſtriacos*, penetrabatque ejus ſenſus ad iſtorum locorum Epiſcopos ſuâ de libertate ſolicitos, & ad *Carolum Lotharingiæ* Ducem, qui, quantum peteretur è Rep. præcurrenti in futura animô *An* 1646. *die* 16. *Jul.* præmonuit Germaniæ proceres, & ſub hæc noſtrorum conditio temporum docuit, *Lotharingum*, etiam *Vatem* fuiſſe. Interim Cæſarei, ut fatum aliunde à Suecis ingruens fortè etiam Gallorum favore emollirent, domûs ſuæ in *Alſatiam*, *Hagenoaque præfecturam* jura in Franciam tranſtulêre. Enim verò ex eo acrior oborta eſt in Ordinum *Alſatiæ* provincialium ſuâ jam de libertate anxiorum animis ſolicitudo, & oblatô Germaniæ ordinibus ſcriptô, repetitâque à primordio *Præfecturæ Hagenoënſis* origine, imperiales illæ urbes integram

tegram ſibi libertatem, hactenus illibatam ſub Auſtriacis ſtipulatæ ſunt, & *Ruſſelotius* Lotharingii Legatus *An.* 1646. 2. *Nov.* objectâ obteſtatione factam Epiſcopatuum, quos ante nominavi, ceſſionem in Gallos conatus eſt corrumpere. Interim jam illuc res hæc proceſſerat, ut non jam ampliùs traheretur in dubium, an permittenda Gallis A*lſatia* cum Lotharingiæ Epiſcopatibus, ſed quomodo, quibuſque conditionibus jura illa in *Alſatiam*, atque Epiſcopatus conſtringenda, ne quid inde detrimenti imperiales in A*lſatia* urbes, ceterique principes, nempe *Bipontini*, Birc*k*enfeld. *Naſſav. Hanov. Eberſtein*, *Rheingr Salmens*, aliique Epiſcopatuum illorum, ut vocant, Vaſalli, ſeu clientes caperent, cùm jam ſatis, ſuperque conſtaret, aliam in Germania ſub ſacrorum Antiſtitum pedo, quam ſub dominante Gallorum ſceptro clientum eſſe rationem. Et huic quidem formidini aptum ab initio videbatur remedium, ſi provincias illas ſub nomine *Civis Germanici* integrô in Comitiis, aliiſque conventibus ſuffragiô adiret Galliarum Rex, quô ipsô, ſi quid adverſi poſtea intentaretur procerum illorum libertati, promptum à ceteris Ordinibus ingruenti malo ſperari poſſet remedium, cùm non Galliarum Regis, ſed Civis Germanici habenda tum eſſet ratio. Et ipſi quoque Galli huic conſilio dederant anſam, cùm ſe ſub nomine Civis Germanici, ſi ita luberet, provincias illas poſſeſſuros primis poſtulatorum tabulis profiterentur. Sed penetrabant hæc altiùs multorum pectora, (quanquam multi tantum civem, magnis eam in rem adductis argumentis exoptarent) & rejecta quoque exin hæc conditio eſt, cujus ipſos etiam Gallos jam pœnitebat, tanquam Regum ſuorum, quibus non parere, ſed imperare datum, gloriæ adverſantis. Reditum ergo ad priora jurgia, ſed perſtabat immotus, ad ipſius quoque *Salvii* Suecorum legati, quem Germanorum exorârant, ſubmiſerantque proceres, *Servientius*, preces, quos inter tamen certum Germanis, ſupremô in *Alſatiam* imperiô

riô nunquam decedere, neque ex *feudorum*, uti vocant, jure ceteros principes, qui hæc beneficia à Lotharingicis Episcopatibus acceperant antea, Gallis submittere, placet Germanorum mentem iis ipsis verbis, quibus eam Gallorum Oratoribus sub tam molesti conventûs finem An. 1648. 12. 22. Aug. Osnabrug. explicuere ipsi, hîc reddere: *Electorum, principum, & Statuum S. R. J. Legati consenseruut, ut Articulus de satisfactione Gallicana Instrumento pacis iisdem verbis inseratur, quibus die* 11. 21. *Nov. An.* 1647. *Monasterii firmatus est, & eatenus assecurationem promittunt, si modo, ut declaravit plenipotentiarius Gallicus, cum S. Cæsar. Majest. assensu Christianißimus Rex, & Regnum Galliæ* Alsatiam *cum Suntgoviâ, & præfecturâ Hagenoensi, supremô ejus dominiô apud Imperium permanente, eâdem formâ, quâ hactenus Archiduces Austriæ eam possederunt, ab Imperatore, & Imperio, tanquam feudum perpetuum, & immediatum, Landgraviatûs titulo recognoscat, & Domino Episcopo Basileensi circa Comitatum Ferretanum satisfiat: fruatur autem in eo Christianißimus Rex, ejus successores superioritatis, & territorii jure, omnibus prærogativis, exemtionibus & privilegiis, quibus Archiduces Austriæ, cum possederunt dictum Landgraviatum, sunt gavisi, & ad Comitia Imperii Romani titulô Landgraviorum Alsatiæ vocentur, atque votum, & seßionem habeant, eô locô, ut etiam, cui circulo Imperii Romani* Alsatia *in posterum accenseri debeat, proximis comitiis convenietur.* Cùm *præterea in* Articulo *de satisfactione Gallicana, & ceßionum formulis, quæ eô nomine exhiberi debent, nonnulla obscuriùs posita sint, Regii vero plenipotentiarii mentem Christianißimi Regis semper ita explicârint, quòd nullum prorsus statibus Imperii Rom. per satisfactionem* Gallicanam *præjudicium fieri debeat; idcirco Electorum, principum, & Statuum Legati declarant, neque aliâ intentione, atque sensu in supra dictam satisfactionem, & insertionem consentiunt, quam ut* 1. Chri*stianißimus* Rex, *Regnumque Galliæ habeat, & retineat quidem supradictum dominium Episcopatuum Metensis, Tullensis, & Virodunensis;*

dunensis; *Verùm illud*, *ut & regia jurisdictio exerceantur eatenus*, *quatenus exercita fuerunt ante hos motus*, *nec juris diœcesani*, *aut feudalitatis*, *sive ullo alio prætextu extendantur ultra ipsorum proprium territorium*, *aut in ea feuda*, *quæ status imperii Rom. comprehensa immediata imperii nobilitate à dictis Episcopatibus recognoverunt*, *& adhuc habent recognoscenda.* 2 *Quoties mentio fit in Art. satisfactionis*, *vel cessionum literis*, *Superioris & inferioris Alsatiæ*, *Suntgoviæ*, *& provincialis præfecturæ Hagenoënsis*, *nihil aliud eo nomine translatum*, *& cessum intelligatur*, *quam quæ ad domum* Austriacam *spectârunt*, *atque ab eâ cedi potuerunt*: *Nec cessio hæc ullum præjudicium afferat ulli statuum*, *vel etiam immediatæ nobilitati in sua libertate*, *& immedietatis ergo Imper. Rom. possessione*, *vel juribus & bonis ubicunque sitis.* 3. *Ipsi status provinciales*, *Landsaßii*, *& subditi cessarum ditionum sua jura*, *privilegia*, *& possessiones*, *usum etiam atque exercitium tam in Ecclesiasticis*, *& ipsa religione*, *quam in politicis*, *juxta hanc pacificationem retineant.* 4. *Quæ in sylva nigra*, *Ortenavia*, *vel alibi ad domum Austriacam*, *vel alios status*, *vel etiam Nobilitatem immediatam pertinent*, *suum cuivis reddatur*, *& restituatur.* Hæc Germaniæ proceres. Verum irrita hæc fuere apud Comitem *Servientium*, qui nec manu quidem hoc scriptum contingere dignatus, postulantium vota ad Regem suum, à quo molliora expectarent, rejecit. Unde eôdem annô 19. 29. *Sept.* datis ad Regem literis, quæ sibi in *Alsatia*, tribusque illis Episcopatibus in Franciam transferendis, mens, quodque consilium, repetiêre, certi, non decedere supremô in *Alsatiam* imperiô, sed ea duntaxat jura, quæ *Austriaca* habuerat domus, permittere. Ex eo tamen seposita magis, quàm soluta difficultas, aspernantibus jam Gallis civitatis Germanicæ, quod antea ambierant, nomen & ad cetera immotis. Cum ergò jam omnia componendis his motibus, quanquam non profuturo labore, essent tentata, & tamen ultima jam manus conficiendis adhibenda tabulis, quæsituri ex tempore

remedium, ivere ad verba dubia, & implexa, ne vel Galli Germanis, vel hi illis cessisse viderentur. Placet nonnulla ex *Pacis Gallicanæ Instrumento* exscribere, ut, quo ex fonte præsentes ad Rhenum motus exorti, legentibus pateat. Et qvidem §. *qvo magis autem dicta pax &c.* 1. *Supremum dominium, jura Superioritatis, aliaqve omnia in Episcopatus Metensem, Tullensem, & Virodunensem &c. eô modô, quo hactenus ad Romanum spectabant Imperium, in posterum ad Coronam Gallicam spectare, eique incorporari debent.* Hinc famosæ illæ *feudorum* dependentiæ, de quibus supra actum: deinde §. *Imperator tertio. Imperium cedit omnibus juribus, quæ hactenus in Alsatiam &c. habuit*: item: *permittuntur Gallis omnia jura absqve ulla reservatione cum supremo etiam Imperio.* Præterea §. *Imperator, imperiumque exsolvunt Alsatiæ Ordines vinculis, & sacramentis; qvibus hucusqve Imperio fuerant obstricti.* Nec minus. §. *Ad majorem &c. Imperium Rom. expressé derogat omnibus constitutionibus, quibus aliàs alienatio bonorum, & jurium Imperii prohibetur.* Postremo in §. *Conventum est. Insuper* adjicitur, *provincias illas illum in finem* (in tesseram nempe translati legitimè in Galliam supremi Imperii) *ab Imperii matriculâ expungendas.* Hæc inter tamen §. *teneatur Rex Christianissimus*, Ordinum iis in locis libertati prospectum videtur, explicaturqve Germanorum mens, & consilium, suam in *Alsatia* ordinum libertatem sartam, tectamqve volentium; & augeret hæc solicitudo gaudium, nisi id fortè adjecta hæc verba: *Ita tamen, ut præsenti hâc declaratione nihil detractum intelligatur de omni supremi dominii jure, qvod supra concessum est*: corrumperent. Ex eo enim magnum illud dubitationum mare exortum, *quomodo Galliarum Rex supremum Imperium in provincias illas, & expungendas qvidem ex Imperii Germanici matricula, exsolutis qvoqve à præstito Germaniæ sacramento Ordinibus qveat exercere, & tamen simul integra ab iis libertatis suæ retineri possessio.* Mihi

satis

ſatis fuit hinc Ordinum Germaniæ, illinc Gallorum expromere mentem, & uti hæc, qvæ *Francofurti* jam fervet, illa ſuper re conſultatio, eſt qvaſi qvædam pacis *Weſtphalicæ* appendix; ita gratulabimur Auguſtæ urbi, ſi compoſitæ ibidem pacis procerum ſapientia ei relinquat gloriam, & dubitabunt poſteri, majorne debeatur *Monaſterio*, atqve *Oſnabrugo*, ubi Germaniæ qvidem proviſum, ſed triginta jam annos afflictæ, & ad nova mala ex dubio verborum ſenſu jam tum inhorreſcenti, qvàm *Francofurto*, ubi proviſum, ne affligeretur, ſed ut ſecutura temporum felicitas comprobet, qvod alluſum ad *pacem Noviomagenſem.*

Proſpicitur modo, quod durabunt tempore longè
Fœdera: nec patriâ pax citò diffugiet.

damnetque præpoſterô lectum ordine

Diffugiet cito pax patriâ: nec fœdera longo
Tempore durabunt, quod modò proſpicitur.

DISSERTATIO
AD
Cap. 40. *lib.* 4. *Annal.* CORN. TACITI
DE REPUTATIONE.

Q. D. B. V.
PROOIMION.

SEjanus *postqvam in aulâ* Tiberii *Cæsaris eo potentiæ atque audaciæ prorupit, ut Cæsaris domum polluerit adulterio & filium* Tiberii Drusum *ope uxoris adulteræ sustulerit è medio, nimiâ illâ fortunâ socors & ebrius animum applicabat ad perficiendum cum Drusi vidua connubium. Illum in finem componit ad* Tiberium *Codicillos, ejusque consilium ac consensum rogat.* Tiberius *autem, licèt ejus in sinu consideret* Sejanus, *altiùs hæc ipsa animo revolvens, temerarias preces magna arte repellit, Huic inter alia fundamento innixus, qvòd* cæteris qvidem mortalibus in eo stent consilia, qvid sibi conducere putent: Principum verò diversam esse sortem, qvibus præcipua rerum ad famam dirigenda, *uti multis exponit Corn. Tac. l.* 4. *Annal. cap.* 39. & 40. *Qvâ in re laudari debet magnus hic Dominantium magister* Tiberius, *cùm sanè constet, Principum vitam atqve ani-*

animam consistere in reputatione, qvâ concidente, ipse Principis status concidat necesse est. Cui reputationis ac famæ augendæ conservandæqve consilio non in prædicto tantùm casu Tiberius, *sed etiam alias sæpius prudenter & constanter institit, qvâ de re vid.* Tac. l. 1. An. c. 7. l. 3. cap. 53. l. 6. c. 46. & alibi, *hinc inde plura commemorat. Hæc inter non immeritò tamen dubitari poterit, qvomodo* Tiberius *cæteros mortales à cura famæ, & reputationis excludat, cùm qvævis etiam honestæ animæ reputationis suæ rationem habeant.*

Sicut enim nulla est tam tenuis etiam privatorum conditio, in qva non & ipsi suam observent rationem status, *ita etiam, qvibus nominis decus curæ est, reputationis adeò memores sunt, ut etiam in imminentibus vitæ periculis, extremisqve fortunæ,* reputationis *suæ ultimam ferè curam habeant, uti vel ipse* Tac. *l.* 6. An. cap. 48. *hujus rei notabile affert exemplum.*

Huic dubio satisfieri fortè non incommodè poterit, si dicamus, uti lux stellarum minorum, licèt ipsæ luce non careant, ita in statu civili eminentem Principum conditionem in tantum lucescere, ut privatorum, licèt reputatione abundantium status non ita publicè exponatur: Interim tamen unius cujusqve honesta conditio annexam habet sibi debitam reputationem. Qvæ materia, cùm qvotidianam hominis vitam percurrat, placuit exemplo illustris Forstneri, *aliorumqve* Taciti *interpretum de* Reputatione *differere & qvid illa sit, qvomodo acqviratur,*

ratur, acqviſita conſervetur, qvibus denique modis amittatur, pro ingenii modulo Deo clementer aſſiſtente diſſerere.

§. I.

R*Eputatio* à re & puto deſcendit, denotatqve hæc vox in genere ſollicitam alicujus cogitationem, qva uni rei inhæret, cæteras verò qvaſi amputat Non uno autem modo ſumitur, primò vulgariter & generaliter, pro actu animi interno, qvô qvis aliqvid ſecum perpendit: ſecundo ſpecialiter & politicè, & qvidem vel pro opinione hominum, alium ejusqve actiones magni æſtimantium, & ità vocari etiam ſolet æſtimatio; vel pro ipſa hominis conditione & qvalitate, qvæ facit, ut æſtimetur ab aliis, & ita moraliter ſupra alios emineat. Et hoc modo poſſe dici *Reputationem*, acutè probat *Torqvatus Taſſus*, qvia talis homo in ſuis actionibus omnia illa amputare debet, qvæ ſiniſtram hominum opinionem poſſint producere. Sæpisſimè tamen ultimæ hæ ſignificationes confunduntur, & alias appellari qvoqve ſolet fama, conſideratio, opinio, auctoritas, reſpectus, honor, dignitas, exiſtimatio & pretium, qvanqvam pretium rebus maximè, exiſtimatio verò perſonis attribuatur. Ex his itaqve reputatio ita deſcribi poterit, qvòd ſit æſtimatio ſeu valor perſonarum in vita communi & ſocietate civili viventium, per qvem qvælibet perſonæ poſſint æſtimari, an aliis perſonis debeant vel æqvari, vel comparari vel antihaberi, vel poſtponi.

§. II.

In genere dividi poteſt in Reputationem ſimplicem & intenſivam, qvæ utraqve locum habet, non ſolum abſolutè inter

inter homines ſimplices, & eos, qvi in naturali libertate vivunt extra aliqvam civitatem, ſed etiam relatè inter eos, qvi in eadem civitate habitant, & continentur. In naturali autem libertate ſimpliciter & abſolutè vivunt illi, qvi neqve communi imperio humano, neqve alter alteri ſubjicitur.

§. III.

Reputatio ſimplex perſonarum in naturali libertate conſtitutarum eſt, qvando qvis talem ſe fert, & etiam pro tali habetur, cum qvo poteſt agi, tanqvam cum viro bono, & ad Societatis humanæ leges ſeſe accommodare apto, & legem naturalem obſervat. Nam qvemadmodum res aliqvem uſum in vita communi habens alicujus pretii eſſe dicitur; planè verò inutilis, nullius pretii vocatur; ita etiam reputatio dicitur ejus, cum qvo tantum aliqvo modo, tanqvam cum animali ſociabili in vita civili poteſt agi; penitùs verò ineptus ad ſocietatem meritò nullius reputationis homo æſtimatur.

§. IV.

Et hæc reputatio porrò conſiderari poteſt, vel ut integra, vel ut diminuta, vel ut penitùs conſumta: Integra eſt, qvando qvis nondum per aliqvod factum malitioſum, & enorme delictum ſciens & volens dolo malo legem naturæ adverſus alios violavit. Qvo tamen caſu peccata & delicta infirmitatis excluduntur, & conditioni humanæ condonantur; qvia per illa non ſtatim reputatio alicujus boni viri extinguitur, modo aliâs honeſtus animus, & ad juſtum cupidus adſit, qvomodo etiam cuicunqve iſthæc reputatio eousqve adeſſe præſumitur, qvousqve per factum aliqvod malitioſum eandem non deminuat ſecundum illud tritum: Qvilibet præſumitur bonus, donec probetur contrarium.

§. V.

Reputatio ſimplex deminuta dicitur, qvæ debilitata eſt per delicta & facta malitioſa, enormia, contra jus naturæ aliis hominibus immeritò illata, qvæ omnino faciunt, ut alii homi-

homines deinde huic non amplius habeant fidem, neqve absqve ſufficienti ſatisdatione cum ipſo negotii qvid habeant, vel contrahant. Qvo ſpectat, an fides perfido ſit ſervanda? Diſtingvendum eſt, aut qvis in eodem pacto non præſtitit, qvæ promiſit, tunc neqve ego, qvod promiſi, debeo præſtare: ratio eſt, qvia pacta ſunt mutua & conditionalia; faciam ſi facias, dabo ſi dabis: aut, qvi cum eo, à qvo ſemel eſt deceptus, denuò paciſcitur absqve cautione, hoc caſu ſanè aliqvis facit imprudenter, qvod tam facilè crediderit, & ſibi ſuæqve facilitati id imputet. Hinc in proverbium abiit: Qvi ſemel me deceperit, illum Dii perdant, ſi bis me deceperit.

§. VI.

Reputationem planè conſumunt vitæ genus & inſtitutum, qvod directè & principaliter aliis nocet, & ad aliorum injuriam eſt comparatum. Eqvidem dantur qvædam vitæ genera, qvæ exercitium certi cujusdam vitii profitentur, ut ſunt meretrices, lenones, vagabundi medici, item erant apud Ægyptios fures profeſſi. *Diodor. Sib lib.1. cap.80.* Sed tamen non debent tolerari in civitate: nam qvanti illa ſit hujus civitatis reputatio, qvæ tales tolerat, facile eſt determinare. Et licèt de facto indulgeantur nonnunqvam talia vitæ genera, tamen ſaltem communi hominum jure frui debent, talia qvi exercent. Hinc *Terent. in Adelph. Act. 2. Sc. 1. Leno ſum, fateor, pernicies communis adoleſcentum, perjurus, peſtis, tamen Tibi à me nulla orta eſt injuria.* Item illud *Ulpiani JCti l 4. §.3. de Condict. ob. turp. cauſ. meretricem turpiter facere qvod ſit meretrix, non turpiter accipere, cùm ſit meretrix.* Et etiamſi naturalis reputatio valdè profligatur per talia vitæ genera, & per vitiorum profeſſiones, tamen cum illa non ſint cum aliorum injuria conjuncta, non videntur tales homines, tanqvam communes omnium hoſtes poſſe tractari. Qvorum verò profeſſio injuriam aliorum habet directè propoſitam, qviq; erga omnes homines indifferenter

eadem,

eâdem, qvâ in bruta, licentiâ utuntur, apud illos reputatio deficit. Inter hos referuntur Piratæ, prædones, latrones, ſicarii, manticularii, & id genus alii, item ſaccularii germ: Beutelſchneider/ Spitzbuben/ ꝛc.

§. VII.

Hinc etiam eſt, qvod talibus hominibus, reputatione penitùs deſtitutis, niſi vitam ſuam malam mutent, planè non parcatur, ſed cum iis, tanqvam beſtiis miſere agatur, & ubi deprehenſi fuerint, atrociùs plerumqve ſoleant tractari. *Puffend. de Exiſt. §.* 8. Præterea indigni planè habentur, qvibus ullum humanitatis etiam ſimplicis officium exhibeatur, ne ad nocendum aliis ulterius confirmentur, ulterius nihil eorum fidei tribuatur, nec aliorum fidei datæ capaces eſſe exiſtimentur, qvamdiu ſcilicet in iſtius ſceleſtæ vitæ genere vivunt pertinaciter.

§. VIII.

Reputatio ſimplex civilis, ſeu qvæ eſt intra civitates degentium, qvâ qvis pro membro ſaltem vulgari, eoqve integro Civitatis reputatur, ſcilicet, ut qvis juxta leges & mores civitatis pro vitioſo ejusdem membro non fuerit declaratus, & aliqvo eſſe numero, caputqve ſive ſtatum habere intelligatur. Qvæ deficit in civitate, vel ex mero ſtatu, vel ex delicto. Priori modo, prout ſtatus in ſe naturaliter vel nihil turpe habet, vel prout cum vitio aliqvo, aut ſaltem ejus opinione eſt conjunctus. Qvi ex natura ſua nihil in ſe vitioſi habent, ſunt ſervi, qvibus ſolus ſtatus ſervilis reputationem ſimplicem in multis locis adimit; pro perſonis enim civilibus non reputantur, planè pro nullis habentur, caputqve civile habere non intelliguntur, Et in genere qvam vilis eorum ſtatus apud Rom. fuerit, cuiqve notisſimum. Hinc non poterant matrimonium contrahere, non adoptari, non tutores dari, non teſtes eſſe, ſed qvadrupedibus, & rebus æqviparabantur. *l. 22. de Reg. Jur.* §. 4. *inſtit. de cap. Deminut. l. 2. ad leg. Aqvil.*

§. IX.

Statuſ conjunctus cum vitio aliquo, vel vero, vel ficto, & ex opinione, Reputationem civilem tollit aut minuit, ideò, qvia homines in tali ſtatu conſtituti circa ea negotia verſantur, qvæ ſinè vitiis vel peragi non poſſunt, vel propter ſordes non niſi à vilisſimis & abjectisſimis hominibus exercentur. Hinc Carnifices, lictores, excoriatores, foricarii & ſimilis farinæ homines ab honeſtiorum conſortio excluduntur, non qvidem ideò, qvòd hoc ità in legibus ſit conſtitutum, & qvòd aliqvâ juris infamiâ laborent, ſed qvòd tantùm, ſint notati levis notæ macula, *l. 27. Cod. de Inoff. Tsto. Dn. Struv. Syntagm. J. C. Ex. VII. th. 20.* & qvòd communi conſvetudine, & opinione talibus perſonis miſceri habeatur pudendum. *Speidel. Syll. qvæſt. jurid. voc. Carnifex.* Idqve tum, qvia miniſteriis eorum cum atrocitate & fœditate conjunctis, plerumq; mores reſpondere ſolent, tum, qvia non niſi viles animæ ad talia ſordida negotia ultrò ſe applicant. Nonnunqvam etiam certa vitæ genera contra reputationem ſunt e. g. ſi qvis mercedis cauſa in ſcenam prodibat, legibus Romanis notatur is, ſimiliter qvi operas ſuas, ut cum beſtiis pugnaret, locabat *l. 1. de his, qvi not. infam.*

§. X.

Reputatio intenſiva eſt, ſecundùm qvam perſonæ, qvæ alias qvoad exiſtimationem ſimplicem ſunt æqvales, invicem ſibi præferuntur, prout uni præ altero inſunt, qvibus aliorum animi ad exhibendum honorem promoveri ſolent. Honor autem qvi intenſioni reputationis reſpondet, hîc ſumitur propriè, pro præſtantia alterius, ita ut revera honor non ſit in honorato, ſed in honorante ſecundum vulgatum Ethicum axioma: *Honor eſt honorantis, non honorati,* aliâs impropriè & metonymicè ſumitur qvoqve pro ipſâ reputatione, ſeu eo, qvod reputationem & honorem meretur, qvemadmodum etiam certi ſtatus, qvos reputatio & honor comitatur, honores dicuntur, ex ratione qvòd

regu-

regulariter illis conferantur, qvi alios præſtantia antecedunt.

§. XI.

Reputatio intenſiva conſideratur porrò dupliciter, vel inter eos homines, qvi in naturali vivunt libertate, vel inter eos, qvi in eadem civitate habitant. Fundamenta autem hujus reputationis intenſivæ in genere habentur omnia ea, qvæ inſignem aliqvam præſtantiam aut perfectionem habent, & qvidem talem, cujus effectus cum fine legis naturalis aut etiam civitatis congruit. Hinc qvo excellentior alicujus virtus eſt, eò major qvoqve inde reſultat reputatio, qva de re multis eleganter diſcurrit *Boterus de reputatione principis. cap. 2.* perperam verò & planè ſtultè laudantur illi, qvi circa vitia qvædam exercenda ſeſe cumprimis ſtrenuos poſſunt exhibere e. g. potatores bicongii & tricongii, **die Haupt-Säuffer / die zu halben / gantzen und Hausticos drincken können /** aſtutiſſimi, fures & aliorum vitiorum homines anteſignani. Hi enim qvo perfectius artificium ſuum callent, eò etiam neqviores à probis viris habentur.

§. XII.

Maximè autem reputationem intendunt res egregiè geſtæ, qvia & hæ intrinſecam qvandam præſtantiam præſupponunt, & eam in uſum deductam, & ad legitimos fines adhibitam oſtendunt. Qvæ tamen præſtantia variis indigitatur nominibus, prout enim illa præſtantia, aut res geſtæ in plurimorum notitiam perveniunt, dicitur Claritas; prout verò illa præſtantia aliqvem comitatur apud alios ratione alicujus peculiaris prudentiæ ac ſapientiæ, nuncupatur Auctoritas: Sic ſenes exiſtimantur eſſe in majori auctoritate, qvàm juvenes, qvia ætas provectior ex multo rerum uſu & diuturna contemplatione negotiorum humanorum prudentiam conciliâſſe putatur *l. 5. de jur. immun.* Etiamſi in genere ſexus fœmineus cum maſculino qvædam reputatio-

nis fundamenta habeat communia, qvædam peculiaria, *l. 9. de Stat. Hom. l. 1. de Senator.* qvemadmodum est præcellentia in virtutibus & functionibus, qvæ in sexum fœmineum præcipuè cadunt, qvædam etiam sunt mutuatitia e. g. qvando dicuntur radiis maritorum fulgere, vel, qvòd se numero & præstantia prolis efferunt *Vid. Valer. Max. l. 4. cap. 4. §. 1.*

§. XIII.

Causa efficiens reputationis est vel principalis, vel minùs principalis. Principalis est vel remota, vel proxima: Propinqva est Princeps, vel Majestas dignitatem, vel reputationem conferens: Remota est hominum opinio. Minùs principalis seu instrumentalis est virtus.

§. XIV.

Forma reputationis est veneratio, ut constitutus in reputatione præ aliis veneretur, & etiam præferatur aliis, & magni sanè refert, principum venerationem ità manere illibatam. Auctoritas illa est qvasi character cœlitùs regnantium animis impressus, qvæ gemella cum sceptris nascitur, nihil illa aliud est, qvàm concepta in mentibus subditorum veneratio, virtute & arte acqvisita, iisdemqve conservata & aucta, qvâ de re vid. *Roccabell. in tract. de principe practico cap. de auctor. principis.* Illa autem acqviritur tempore belli per fortitudinem, & tempore pacis maximè per justititiam, utrobiqve autem prudentiâ & religione, uti benè docet *Boter. cap. 2.* In specie verò crescit principis reputatio (1.) per scientiam & cognitionem rerum omnium, qvæ à subditis, maximè in principatu noviter acqvisito, præsertim potentioribus geruntur, uti benè advertit Canini interpres *Balthasaris Varienti scriptoris Hisp.* Aphor. 55. in lib. 1. Annal. Tacit. (2.) Per consilium optimè formatum, cujus ipse præses & director est. (3.) Observatione promissorum, cùm verbum principis vim jurisjurandi & sacramenti habeat, qvam rem eleganter exprimit *Moscheni in Tac.*

Tac. hist. Aphor. 78. *p.* 99. vid. etiam *Anthon. Perez, aphor. Hisp.* 149. *p. oper.* 738. (4.) Conſpirationum ſubita disjectione, qva de re legi poteſt aurea Hiſt. Henrici VII. Angl. Rom. à Verulamio conſcripta, ut alia plura omittam. Omnia ex adverſo recidenda ſunt, qvæ principis reputationem posſint lædere. Et illa qvidem vel ſe habent ex parte principis, v. g. ſi aula vitiis corrupta ſit, qva de re *vid. liv. 2. des derniers troubles de France f.* 39. ubi de aula Gallicana ſub Henrico III. corruptisſima præclarè diſſeritur, vel ex parte aliorum, qvi principis actiones ex odio & invidia aliove affectu, ſive publicè ſive privatim pejùs interpretari, & ad cenſuram revocare audent, aut ſimilibus aliis modis principis auctoritatem lædere; an verò illis in caſibus, qvibus reputatio illæſa eſt, lædentis ſanguine, & bellô illatô reſarciri debeat ejus deciſio, non ità in proclivi eſt. Si princeps qvà princeps læſus ſit de jure fieri poſſe exiſtimamus.

§. XV.

Objectum ſeu materia ſunt actiones virtuoſæ, & qvæ conveniunt vel cum jure naturæ, vel etiam cum jure & moribus civitatum, ſecundùm qvos qvilibet in reputatione vivens ſua negotia & actiones inſtituit.

§. XVI.

Finis eſt vel primarius vel ſecundarius. Primarius eſt ſalus publica, ubi non excluditur, ſed potiùs includitur gloria & honor Dei. Secundarius, eſt commodum privatum, & ſui, ſuorumqve conſervatio, ac augmentatio; qvilibet enim ſuas actiones primario & principaliter debet inſtituere ad honorem & gloriam Dei, ſecundario etiam ad publicam utilitatem, ſuumqve proprium emolumentum.

§. XVII.

Contrarium reputationis ſunt omnia ea facta & negotia, qvæ reputationem, & exiſtimationem vel aliqvando lædunt, vel planè deſtruunt, vel ſaltem etiam imminuunt. Uti ex ſubjectis qvæſtionibus apparebit.

§. XVIII.

§. XVIII.

Qværunt enim: *an provocatus his verbis:* Bist du ein ehrlicher Kerl und kein Schelm / so komm herauß/und wehre dich mein *& similibus honoris sui defendendi causa comparere debeat, & si non compareat, an non comparentis honor & reputatio aliqvo modo lædatur.* Duellum seu monomachia non recens introducta est, sed jam olim apud plerasqve Gentes Europæas recepta, ita qvidem, ut etiam fuerit ratio inqvirendi veritatem, & inter *Probationes canonicas recepta.* Unde multæ leges ab Imperatoribus & Ducibus hac super re latæ sunt, uti multis hæc exponit *Dn. Bangert. in notis ad Arnold. Chron. Slav. p.* 277. *& seq.* Ex qvo jam facilè licèt deducere originem, cur hodie hoc præliandi genus tam receptum sit; Sed qvid de qvæstione mota dicendum? de jure videtur neganda, de facto verò & consuetudine affirmanda. Jure enim tam divino, qvam humano tales provocationes & duella sunt prohibita, cùm talis provocatus sit munitus jure & remedio ordinario, qvô Magistratum adire, & illum injuriæ suæ vindicem implorare possit; ubi autem est remedium ordinarium, ibi cessat extraordinarium. Vide *Jason. ad l.* 3. *de just. & jur. num* 34. *& vol.* 11. *cons* 1144. *Vasqvez. l.* 1. *contr. Illustr. l. cap.* 18. *num.* 15. De consuetudine tamen Germaniæ sic provocato nobili præprimis reputant ignominiosum & reputationi contrarium, si non compareat, de qvâ testatur *Sichardus consil.* 8. *inter consil. criminal. num.* 41. *&c. fol.* 26. Nam provocatus non comparens pro effœminato & indigno honestâ conversatione apud Germanos habetur. Cui consuetudini qvoqve Imperatores, Reges ac Principes se accommodâsse recensent Historiæ. Notum enim est, qvòd *Franciscus* I. Galliæ Rex *Carolum* V. Imperatorem provocaverit. *Sleidan. comment. rer. germ. lib.* 6. *p.m.* 162. *&* 166. *Eduardus* etiam III. Rex Angliæ *Philippo Valesio* Regi Galliæ singulare certamen offerebat. *Joh. Buss. hist. Franc. l.* 10. *p.m.* 472. *Carolus Andegavensis Petro Arragoniæ*

Regi,

Regi. Besold. hist. Reg. Neapol. p. m. 667. Renatus Lotharingiæ Dux Alphonso Arragonio; Rudolphus Agricola in epistola de congressu Friderici Cæsaris cum Cardinale Duce Burgundiæ. Hanc tamen consuetudinem tanqvam juribus, rationi, & bonis moribus contrariam rectè asserunt. *Koppen. l. 1. obs. 11. Berl. p. 4. cond. 16. & seq.* in qvam etiam invehit *Christophorus de capite Fontium* in confutatione puncti honoris, ac etiam liber gallicus, *le Lict d' honneur*; inscriptus. Laudandus itaqve est *Ludovicus* XIII. Rex Galliæ, ejusqve filius *Ludovicus* XIV. hodie feliciter regens, qvi ejusmodi provocationes per regna & ditiones suas abrogârunt eisqve patibulum, aliasqve gravissimas pœnas præfixerunt.

§. XIX.

Porrò qværunt: *an reputationi conveniant saltationes virginum & uxorum.* Qvemadmodum saltare per se res est indifferens, capaxqve utriusqve moralitatis, sicut amare, odisse, edere, bibere, ita ut in nuptiis, aut aliis conversationibus honestis omninò modicè saltare liceat, adeoqve non sit contra reputationem, cùm stupiditati aut arrogantiæ potius virginibus imputetur, si ad saltum invitatæ Adolescentibus repulsam dent. Si autem dies noctesqve velint persaltare, id neqvaqvam reputationi congruum est, cùm Virgines uxoresve per adolescentum astutiam diu servatum decus, ac pudicitiam ità perdere atqve amittere possint. *Besold. thes. pract. sub verbo* Dantzen.

§. XX.

An reputationi contrarietur Degradatio? ℞. Sicut olim apud Romanos cingulum erat signum dignitatis, ità qvoqve degradatio fiebat per ademtionem cinguli, uti inter alia patet *ex novell. 33. & 130.* & ex Historicis abunde. Si degradatio fiat ob flagitiosum aliqvod, tunc omninò est contra reputationem, v. g. Si miles ob perpetratum aliqvod scelus degradetur, & cogatur vigilias agere, vel planè ab officio removeatur, miles iste omninò reputationem suam perdit.

Nam

Nam qvalis causa, talis effectus, causa degradationis sive perpetratum scelus est contra reputationem, ergo etiam effectus, seu, degradatio ipsa. Si autem degradatio fiat ob invidiam, religionem aut aliam aliqvam causam contra meritum degradati, neqvaqvam reputatio læditur; ratio, qvia causa degradationis non est contra reputationem. Sic v. g. Sacerdotum istorum, qvi à Pontifice ob contractum matrimonium degradabantur, reputatio omninò manebat illæsa. Cujus degradationis solennia prolixè describit *Sleidanus comment. rer. germ. lib. 4. pag. 89.* Idem dicendum est de pœnis, qvæ irrogantur, qvalis in Hist. German. olim etiam recepta fuit *portatio canis*, & magni etiam Duces cogebantur portare canes scabiosos humeris impositos, cujus rei luculenta prostant exempla apud *Witechind. Corb. l. 2. Annal. Ottonem Fris. l. 2. cap. 28. de rebus Friderici. Arnoldum Lubec. l. 7. Chronic. Sclav. c. 1.*

§. XXI.

An perqvisitio in ædibus alienis maculam inferat reputationi Domini ædium? ℞. Olim hanc inqvisitionem apud Romanos factam esse *lance* & *licio*, ex *Gellio* constat, *illâ* qvidem adhibita, ne sexus fœmineus pateret ingredientis libero conspectui, *hoc* verò, ne qvid secum per dolum & fraudem in vestium involucris in alterius domum importaret, ibidemqve ementiretur, id repertum. Et talis qvidem inqvisitio olim erat liberior, posteà tamen non parum restricta est, an verò æqva sit dubitatur, prima fronte videtur dicendum qvod non, qvia leges durum & iniqvum censuerunt, invito Domino ædes alienas introire, adeò ut etiam hoc nomine actionem injuriarum concedant, *l. 23. de injur.* Sed tamen dicendum qvod sic, qvia talis inqvisitio non fit perscrutandæ domus ergò, aut rei familiaris utilitatem detegendi, nec qvoqve ipsis Dominis, qvibus furta facta sunt, perqvirendi licentia hodiè concedi solet, sed Magistratus mittit Executores suos, qvi perqvirant, præsentibus qvandoqve ipsis domi-

dominis, idqve propter utilitatem publicam, cui privata neutiqvam præferenda, ſed cedere debet, ut delinqventes coërceantur, cùm Reipubl. interſit, ne delicta maneant impunita, & cæteri hiſce à delictis absterreantur. *Confer. Schneidevv. in comment. ad inſtitut. d. obl. q. ex del. naſc. 3. 4. num. 2.*

§. XXII.

An officium Carnificum ſit contra reputationem? ℞. Olim non, cum Magiſtratus aut ipſe, ſi flagitioſi coërcendi erant, hoc munere perfungeretur, aut adſtanti id ipſum demandaret, verùm hodie, ubi certi qvidam homines huic coërcitioni ſunt deſtinati, honeſtiores eosdem à ſuo conſortio excludunt, talibusqve miſceri communi conſvetudine & opinione pudendum habetur; tum, qvòd tam ſordidum vitæ genus exerceant, & huic vitæ fœditati plerumqve mores reſpondere ſoleant, tum, qvòd non niſi viles animæ ad talia ultro ſeſe applicent, *Beckman. Medit. Pol. de Pœnis cap. 15. §. 1. & in addit. cap. 15. §. 3. p. 585.* Exinde tamen non colligendum, qvòd ſint infames, qvia nullum perpetrant factum infame, ſed ſunt tantùm levis notæ maculâ notati, uti bene diſtinguit Dominus Struvius Syntag. J.C. Ex. VII. 20.

§. XXIII.

An verbum Schufft *contrarium ſit reputationi?* ℞. In ſe & ſua natura erat verbum honoris, & idem ſignificabat, qvod apud nos ein Schöpffe/ qvod eſt bonum & honorificum, non verò ignominioſum verbum. Vid. *Beſold. Theſ. Pract. ſub verbo* Schufft. Eſt enim Schufft vocabulum Hebraicum à *Schavat*, qvod ſignificat judicavit. Verum poſtea per malevolos homines hujus vocis ſignificatio in deteriorem & malam partem eſt detracta, adeò ut ſi qvis hodiè vocetur Schufft/ contra reputationem id eſſe exiſtimetur, opinione potius, qvàm ex veritate. Tales loqvendi formulæ plures ſunt, qvæ ex primæva qvidem inſtitutione nihil calumniæ, & injuriæ præ ſe ferunt; ex accidenti verò poſtea

 detor-

detorta ſunt, verbi gratia, Nomina *Papa & Pfaffe /* ex origine ſua ſunt honeſtisſima, & ita olim Sacerdotes, maximè Epiſcopi appellati ſunt, uti ex hiſtoriis Eccleſiaſticis patet; poſtea verò neſcio quomodo factum, ut hoc nomen ab aliis primò ad lædendum fuerit prolatum, à cæteris deinde non immeritò pro injurioſo ex dicentium voluntate & intentione habitum. Sic qvoqve ſe habet qvanqvam paulo aliter in formula loqvendi: es ſeind faule Fiſche / qvæ in Germania primum fortè cœpit audiri, poſtqvam Germani Pragâ Lipſiam tempore Johannis Huſſi ob illatam injuriam exceſſere. Cum enim doctrina Wiclevii Pragæ ex domo, quam *putridos Piſces* vocabant, (ipſius qvoqve nobilis familia ita vocabatur) *vid. Sylv. cap. 35. Bohem.* propagaretur, & Germani rebus illis, & præſertim, qvòd regimine Academico depellerentur, offenderentur, hanc loqvendi formulam ea occaſione in Germaniam introduxiſſe præſumuntur. Alia ratio eſt in formulis, quæ per ſe contumelioſæ ſunt, v. gr. Hund ꝛc. & aliæ. An hæc vox introducta ſit in Germaniam ex corrupta pronunciatione Symboli *Eduardi* Anglorum Regis in inſtitutione ordinis *periſcelidis*, H*ony ſoyt*, *qvi mal y penſe*, an verò à portatione canum ſcabioſorum, qvæ pœna olim in Germania, magnis viris impoſita fuit, an ab Hunnis, an aliunde, hic non decidam.

§. XXIV.

An Nobilis contraveniens promiſſioni, per fidem, bey Adelichem Glauben / *faciat contra reputationem?* Sunt qvi putant, qvòd hoc ipſum non ſit contra honorem & reputationem nobilitatis, ſed potius ſibi pro honore habent, ſi hoc faciant, & contraveniant ſuæ promisſioni, dicantqve hoc eſſe Ruſticorum, ſecundum illud *nobilitatis opus ſemper promittere multum, Aſt ſervare fidem Ruſticitatis opus.* Sed hoc dictum non eſt verè Nobilium, qvi potius contrarium dicunt, & qvæſtionem hanc affirmant. Nam Nobilium promiſſa pro debitis, factis & completis habentur, imo juramento

æqui-

æqviparantur, & pro juramento corporaliter præſtito habentur, qvod vinculum contractus adeò validum eſt ut huic non poſſit de jure contraveniri *c.3. X de his qvæ vi metuve cauſa fiunt c.2. de fidej. c.26. X. de jusjurand.*

§. XXV.

An ingratus, & injurius, erga alterum is eſſe reputetur, qvi pro alicujus ſalute bibere recuſat? R. Neqvaqvam, præprimis ſi ob valetudinem neqveat, vel potus iſte tam ingens ſit, ut nemo illum, niſi in potando probè exercitatus uno hauſtu exhaurire poſſit. *Beſold. theſaur. pract. ſub verbo* Trunckenheit *Puffendorff. diſſert. Acad. de Exiſt.* §. 19. Nam ſive ego potum iſtum ebibam, ſive minùs, tertio tamen, in cujus ſalutem bibo, ſanitatem ſuam reſtituere, aut ſaltem meliorare nullatenus poſſum. Qvod ſi autem honeſtiores Viri in converſationibus nonnunqvam inter amicos ex hilaritate fortè ebrii fiant, id *uti potare* à nemine appellari poterit, qvod, qvia non præſupponit habitum, ita nec contra reputationem qvoqve ejusmodi hilaritatem eſſe exiſtimamus.

§. XXVI.

An reputationi conveniat mortem timere? Omninò. Non enim ſignum timiditatis eſt cum alio quavis de cauſa in pugnam deſcendere nolle, vitæqve & fortunarum diſcrimen temerè ſubire, cùm aliæ longè tutiores & vitio carentes dari qveant occaſiones, qvibus qvis fortitudinem ſuam qveat oſtentare, uti inqvit *Samuel. Puffendorff. diſſert. Acad. d. Exiſt.* §. 14. Nam non ſolum pericula bellica, hoſtesve, ſunt objectum fortitudinis, ſed & metus, & fugiendi pariter atqve audiendi actus ad fortitudinem pertinent. *Thomaſ. phil. pract. Tab. XV. de Fortid.*

§. XXVII.

An Autochiria ſit prohibita & contra reputationem? R. *Stoici* qvidem olim putabant, reputationem maximam illum conſeqvi, qvi ad evitandum probrum aut contumeliam ſibi ipſi vitam adimat: Atqve huc referebant exemplum

Samſonis lib. Jud. cap. 16. *v.*30. & *Saulis* 1. *Samuel* 31. *v.* 4. ac multa alia Chriſtianorum exempla, qvi tormentis adacti Chriſti religionem ejurarunt, & virginum, qvæ ne pudicitiam amitterent, in flumen ſe conjecerunt, qvas in martyrum cenſum olim eccleſia retulit, teſtante *Grotio lib.* 11. *cap.* 19. *§.* 4. *num.* 4. *p. m.* 488. 489. Putabant enim, qvamvis erroneè, cuilibet dominium in vitam ſuam datum eſſe, adeoqve neminem peccare, ſi eam profundat. Vid. *Joh. Felden annot ad Grot. l. c.* Verum falſisſima erat eorum opinio, nam Deus Dominus vitæ noſtræ eſt, qvi ſolus eam pro voluntate ſua datam rurſus adimere vult, majusve peccatum cenſetur à Theologis noſtris ſibi, qvam alteri vitam eripere. Proinde etiam legibus conſtitutum eſt, ut non honeſtâ & Chriſtianâ ſepulturâ, ſed caninâ & aſininâ digni habeantur, i. e. ſub tecto domus dejiciantur, vel ſub limine domus extrahantur, & ſupra raſtrum educantur & comburantur aut in Campo per Carnificem ſepeliantur, bona qvoqve publicentur, niſi fortè ex melancholia, aliavè animi impotentia ſibi mortem intuliſſent. *vid. Struv. ſyntagm. JC. Ex.* 49. *th.* 108. Confer. hic *Dn. Ungebaur Ex.* 1. *quæſt.* 13. *Item Schneidevvin. ad* §. 3. *Inſtit. de J. & J. num.* 6.

§. XXVIII.

An Advocatura ſit adverſaria reputationi Nobilitatis?

℞. Non, Olim enim hoc valdè uſitatum erat, ut Nobiles ipſi cauſas ſuas coram judicio defenderent, qvorum exempla recenſentur multa à *Chriſtinao vol.* 11. *deciſ.* 101. *num.* 4. & *Dn. Schutz vol.* 1. *diſp.* 9. §. 8. *ſub lit.* ſtatuit, Nobilem ſalva nobilitate procurationem judicialem obire poſſe. Verum hodiè id planè contra conſuetudinem eſſe videtur, ita ut non ipſi nobiles cauſas ſuas, ſed per procuratores aut Advocatos ſuos easdem in judiciis agant.

§. XXIX.

An mercaturam exercere ſit contra reputationem Nobilis?

℞. *Affirm.* qvia *legibus* prohibentur exercere mercaturam.

No-

Nobiles, per *l.3. C. d. commerc. & merc. l. 6. C. d. dignit.* hinc testante *Goldasto in* Reichssatzung *part.1. pag.5.* legibus torneamentorum qvoqve cautum est, ne tales ad torneamenta admittantur. Qvin imò & privilegia amittunt sua, testante *Schutz. vol. 11. disp. 8. §.7. lit. D.* Et licèt per servos suos, & institores negotientur, nihilominus tamen reputatio cadit. Nam nec per alium qvis agere potest, qvod ipse prohibetur. *Schutz. l. c. disput. 9. §.8. lit. B.* Politici etiam Nobilibus mercaturam prohibent, sic enim bonum publicum impediri, privatorumqve lucra intercipi dicunt; ne itaqve commixtio fiat publici privatiqve status, melius esse, ut nobiles à mercimoniis abstineant. *Dan. Otto. jur. publ. cap. 20.* Nisi forte majestas per pragmaticam sanctionem aut privilegii concessionem aliud inducat. Sic etiam *anno* 1669. Rex Galliæ Nobilitati suæ concessit potestatem faciendi mercaturam, qvod alias istius gentis Nobilibus sine detrimento dignitatis, & generis facere non licebat. *Buno in Idea Hist. huj. sec. 17. anno 69. p. 279.* Præterea qvoqve cujusqve nationis consuetudo probe est observanda. Sic Veneti & Genuenses Nobiles pleriqve sunt Mercatores. *Nolden. Concl. 160.*

§. XXX.

An Principis reputationi conveniat sese subjicere legibus?

℞. Neqvaqvam Principis reputationem lædit. Sed potius eandem auget, si seipsum legibus suis conformat & Subditis exemplo suo leges eo tolerabiliores reddit. Verus enim manet ille versiculus:

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

Si autem nolit se legibus Civilibus atqve à se latis voluntariè subjicere, nec qvoad vim coactivam nec directivam obligatus est. *l. 31. ff. de legibus & SCtis. l. 26. de don. inter vir. & uxor.* Nemo enim tantæ auctoritatis est, ut nolentem Principem possit cogere, nec ullum adest Principium, qvod illum obliget, non enim sibi, sed subjectis legem præscripsit; idem

autem

autem ſuperior ſimul & inferior eſſe neqvit, inqvit *Dn. Struvius ſyntagm.* JC. *Ex.* 11. *th.* 8. Videatur ad hanc qvæſtionem prolixè *Dn Ungebaur Ex.* 5. *th.* 11. *vid p* 60 *ſeqq. l.* 188. *d. R. I.* Qvod autem jus naturæ atqve Gentium attinet, omninò ſunt obligati, qvia his nemo Principem ſolvere poteſt. Interim, licet neqve his ſub obligatione Civili ſubjecti ſint; attamen conſcientiæ, & honeſtatis vinculo, & niſi contra officium devoti ac boni Principis peccare velint, eas ſervare tenentur *l.* 3. *C d. Teſt.* Imperator qvoqve noſter legibus fundamentalibus, uti loqvuntur capitulatione ſcil. Cæſarea, & ſimilibus, qvibus ſe adſtrinxit, promiſſis obligatur. *Struv. l. c. th.* 10. *Reverſalibus* qvoqve, uti vocant, ſeu promiſſis, qvæ ſubditis ſuſcipientes imperium faciunt, eosdem obligari nullum eſt dubium.

§. XXXI.

An reputationi conveniat alapam non vindicare. ℟. *Grotius* opinatur *lib.* 1. *cap.* 1. § 10. *p. m.* 167. qvod non, cum ille qvi injuria me parat afficere, is eo ipſo mihi det jus & facultatem qvandam moralem adverſus ſe in infinitum, qvatenus aliter malum iſtud à me arceri neqveat. Verùm opinio ejus valdè fuit erronea, vita namqve proximi pretioſior eſt meo honore, nec ulla eſt inter defenſionem ejusmodi ac læſionem proportio, quam tamen lex naturalis probè vult obſervari, alia qvoqve ſunt ignominiam propulſandi media; adeſt namqve Magiſtratus, qvi ejusmodi res facile ad æqvalitatem reducere poteſt *vid Felden. in annot. ad Grot. l. C. & Ziegler. in annot. ad loc. eund. p.* 198.

§. XXXII.

An reputatio reqvirat primum ictum exſpectare! ℟. Qvod non ſecundum communem *JCtorum* opinionem, Melius enim eſt intacta jura ſervare, qvàm poſt vulneratam cauſam remedium qværere, ait *Schneidewin. §.* 1. *d. J. N. G. & C. num.* 15. Juſtinianus Imperator id æqvitati etiam conſentaneum eſſe exiſtimavit, *in l.* 3. *d. j. & j. l.* 2. *C. ad leg. Corn. de Sicar.* Neceſſe

tamen

tamen est, ut qvis moderamen inculpatæ tutelæ probè observaverit, cujus tria præcipue sunt reqvisita. [1.] Præcedens aggressio injusta, qva vis corpori, aut vitæ intenditur. [2.] Defensio in continenti facta. [3.] Modus in defensione servandus, ut scil. offensioni seu aggressioni hæc respondeat, nec aggressorem qvis occidat, si aliter qvis à periculo commodè liberari possit. *vid. Struv syntagm. J. C 49. th. 55. Grot. lib. II. cap. I §. II. num. 15. ut & Felden. Zieglerumque ad hunc Grotii locum.*

§. XXXIII.

An qvis fugâ sibi consulere qveat. ℟. Cum dedecore aliqvis fugere neutiqvam tenetur, cùm aliqvem fugatum esse, cuilibet sit injuriosum *arg. l. 15. th. 1. ff. de injur. vid. Schneidevvin. ad 1. instit. d. J. N. G. num. 15.*

§. XXXIV.

An dignitates propria absqve ambitionis nota vel cum reputatione proponi poßint. ℟. Qvod omnino. Sic enim Principes vulgo facere solent. Exinde etiam Imperator *Justinianus* in procemio Institutionum omnes suos titulos recenset. Atqve hinc rectè *Comes* se *Comitem*, *Nobilis Nobilem*, *Doctor*, *Doctorem* appellare potest. Is verò, qvi se talem profitetur, qvalis non est, incidit in pœnam falsi gravissimeqve punitur, *l. 27. § fin. ff d l. Corn. d. fals.* Si autem necessarium sit, non solum dignitates recensere, sed & laudes suas ampliare, reputationi congruum est ad defensionem scil. famæ, honoris & existimationis ***vid. Schneidevvin. ad Rubr. procem. instit. num. 3. & ad §. 1. procem. num. 1. 2.***

§, XXXV.

An officia Electorum in Electione Imperatoris eorum reputationi sint contraria? ℟. Qvod non, qvia non sunt ministeria servilia, sed summam dignitatem habent.

§. XXXVI.

An reputatio alicui à Majestate adimi poßit non antecedente *delicto.* ℟. Qvod non. Nam licet sæpius videamus

Im-

Imperantes aulicos ſuos, & eos etiam, qvos ſibi proximos habent, ab aliis falsè ad ſe delatos aulâ ejicere, atqve ita reputatione omni penitus privare, hæc tamen civilis eſt, qvibus hactenus uſus fuerat: niſi autem factum infame accedat, intrinſeca illa ſive naturalis reputatio, aut verbo honeſtus animus neqvaqvam adimi poteſt; hic namqve ex nuda Principis libidine adimi nequit *Puffendorff. Acad. Diſſert. de Exiſt.* §. 15.

§. XXXVII.

An ætatis aut ſexus ratio habenda ſit in reputatione? R. Omninò: Nam *Diodorus Siculus lib.* 19. *c* 34. ait. *In omnibus ſic comparatum eſſe videtur, ut plus reverentiæ & honoris grandioribus natu, qvàm minoribus exhibeatur.* Qvod etiam æqvitati maximè conſentaneum eſt. Sexum autem Maſculinum majorem præ fœmineo dignitatem habere, patet *ex l.* 1. *ff. de Senatoribus.* Qvam prorogativam natura viris qvoqve tribuiſſe videtur, eo, qvòd fœminas non ſolum viribus debiliores, ſed & animis imbecilliores procreet. Videmus qvoqve in virtutibus & functionibus ſexum maſculinum præ fœmineo præcellentiam habere, qvæ in eum ſexum non cadit. *Puffendorff. l. c.* §. 19.

§. XXXVIII.

An Nobiles poßint incarcerari vel etiam tortura tradi? Hic R. qvòd Nobiles, niſi forte grande delictum perpetraverint, non facile carcere ſoleant detineri, aut locis ſubterraneis, Stock/ Block/ und Halßeiſen/ mancipari, ſed vel cautione juratoria dimittantur *arg. l.* 1. *ff. de Cuſt. & exhibit, reor. leg. pen. C. d. Dignit.* vel etiam palatium, domus, aut tota civitas eis pro carcere aſſignetur *arg. l.* 7. §. 8. *ff. d. interdict. & releg* Hinc propter debitum civile aut ex cauſa æris alieni incarcerari non poſſunt *Covarruv. var. reſol. c.* 1. *num* 4. Præterea qvoqve in ipſorum honorem introductum eſt, ut cruciatibus & torturis ſubjici neqveant *arg. l.* 33. *C. de Decur.*

§. XXXIX.

§. XXXIX.

An dignitas Doctoralis officiat nobilitati, & num tituli gradusqve Doctoralis assumptio Nobilitatem dedecoret, & obfuscet?

℞. Multi Nobilium à bonis artibus ita abhorrent, ut non tantùm literas ipsas, velut multum infra suum fastigium jacentes superbè fastidiant, sed literatos qvoqve omnes tanquam viles & sordidos habeant despectui. Hoc autem illorum vitium exinde oritur, quod se totos ignorantiæ dederint; Illi verò, qvi studia excoluerunt, historiasque inspexerunt, illi inquam aliter judicant. Sciunt enim illi multos Imperatores Reges ac Principes, literis & doctrina excultos fuisse, libros quoque scripsisse, imo & gradus accepisse. Sic *Ludovicus Barbatus Princeps Bavariæ*, cum *Sigismundum* Imperatorem in Principum ignorantiam invehentem audisset, Senex latinæ linguæ studere cæpit. *Spen. syll. hist. Gen. p. m.* 193. *Johannes* I. *Bipontinus* Historicorum cumprimis & Genealogicorum cultor egregius fuit *Spenner. l. c. p. m.* 242. *Johannes Theologus Dux Megapolitanus* ideo cognominatus fuit, (*vid. Auct. cit. pag. m.* 708.) qvòd Parisiis creatus sit *Theologiæ Doctor*. Qvanti *Carolus M* literas ac studia æstimârit, prolixissimè descripsit *Lehmannus Chron. Spir. lib.* 3. *cap.* 29. *p m.* 230. atque *Matthias Theatr. Hist pag. m* 468. *Carolus* IV. Imperator, Doctos tanto in pretio habuit, eorumqve consuetudine plurimùm delectatus est, adeò, ut aliquando Disputationes Philosophicas in Schola Pragensi habitas conviviis & cœnæ prætulerit. *vid. Matth. Theatr. Hist. pag. m.* 666. *Sigismundus*, *Maximilianus*, *Carolus* V, *Fridericus* II, *& omnes ferè Imperatores*, magni fuerunt literarum fautores. Inprimis *Carolus* V. *Thucydidem* diligentissimè legit. *vid. Auct. cit. p. m.* 727. *Thuan. lib.* 20. *part.* 1. *pag. m* 945. Carolus Rex Navarræ bonarum literarum Studiosissimus transtulit ex Græco in Castellanam linguam *Ethicam Aristotelis*, & scripsit Compendium de Regum Navarræ vitis ad patrē Johannem usqve, *Rittershus. Exeg. p. m.* 58.

Eduardus Portugalliæ Rex literarum doctrina ita valuit, ut librum ſcriberet de fido Conſiliario, & alium de arte eqvitandi, cujus erat peritisſimus. Qvantopere *Carolus* V, *Ludovicus* XII, *Franciſcus* I, & alii Galliæ Reges ſtudia amaverint, id in *Johannis de Buſsieres Hiſtoria Francica* prolixè videri poteſt. Et proſtant hodiè, atqve in omnium Eruditorum manibus habentur egregii, qvos Nobiles edidere, libri. Cui namque incognitus eſt *Einſidel de Regalibus. Beſtius de Matrimoniis*, *Seckendorff*. Teutſcher Fürſten-Staat / *Myleri ab Ehrenbachs varia ſcripta publica*, multaque alia volumina a Nobilibus paſſim edita. Sunt ergò maximè compatibilia Nobilitas & Doctoralis dignitas, nec illa Nobilis reputationem obfuſcat. Quoniam autem hodiè valdè rarum eſt, in deſuetudinem quaſi abiiſſe videtur, Dignitates Doctorales à N bilibus aſſumi. Hinc tamen non colligendum, quod reputationem Nobilis tollat gradus doctoralis aſſumptio.

§. XL.

De præcedentia etiam neceſſe eſt, ut aliquid proponamus: licèt enim materia ſit diffuſisſima, hoc tamen loco tantum in genere quærimus: *An etiam in præcedentiis aliqvid Reputationis habeatur?* Et quamvis rideantur illi, qui ſuper *præcedentia* acrius certant, præſertim ubi fuerit ſterilis, & nullo cum emolumento conjuncta, ſicut merito commendatur ſententia illius Principis, quam tulit inter duos Miniſtros minorum gentium, qui ſuper priori loco in templo contendebant, ut, qvi ſtultitiâ inter ipſos excelleret, priori locô ſederet; Tamen inter Principes præprimis atqve integras gentes ac populos ſuper eminentia dignitatis, & qvæ inde dependet, præcedentia, majore prætextu nullis ferè non ſeculis certatum videmus. Indubitati enim juris eſt, ut is altero ſit dignior, & præcedat eum, qvi ab altero dependet, tanqvam à ſuperiore, illiqve præ altero debetur præcedentia ex jure perfecto, utut fortaſſe pari titulo uterqve gaudeat. *Gothofred. de præcedent. p.* 1, *c*, 1, Sic dantur exem-

exempla magnorum Regum, qvi alios sub se habent Reges, scil. nomine, qvi tamen revera sunt magistratus & Gubernatores provinciarum. Qvidam etiam regna sua ab aliis recognoscunt, tanqvam feuda, alii aliô titulô possident. Et hæc procedunt, si scil. tale jus alicui fuit qvæsitum, qvod variis argumentis & causis haberi potest. Solent enim præprimis allegare Regni & familiæ antiqvitatem, regionum amplitudinem, opulentiam pariter & potentiam, (qvi hodiè efficacissimus videtur modus ambiendi honores & præcedentiam, si qvis demonstratô suô gladiô possit dicere: Si vos non vultis, hic faciet.) Item potestatis qvalitatem, qvâ vis Imperium gerit, item Splendorem tituli, aliaqve. Per titulos enim res ipsa censetur exprimi: hinc etiam splendorem & amplitudinem arguunt. Sed hæc omnia, & similia per se non producunt præcedentiam, sed tantummodo jus aliqvod imperfectum & aptitudinem qvandam etiamsi in contentione præcedentiæ & dignitatis, sat plausibiliter possint proferri & jactari, nisi etiam simul accedat aliqvod pactum expressum aut tacitum. Qvemadmodum hæc omnia deducunt prolixè *Gothofredus in tractatu de pracedent. d. l. & Dn. Samuel Pufendorff. in dissert. Acad. dict. de Exist. §. 21. & seqq.* Causa dignitatis, hoc est, præcedentiæ, seu eminentiæ supra alium videtur esse hæc, qvia, qvi præstare potest, qvæ ipsi præstando non eramus, meritò super nos & alios eminere, sicqve nobis & aliis dignior esse censetur: sic Nobilis plebejô dignior, qvia eminet super eum; Homo dignior cæteris rebus, qvia super eos eminet. Et Princeps dignior subdito, qvia ab illo exspectamus, qvod nos ipsi præstare non poteramus, & hæc eadem ipsis rebus tributa ratione utentium, sæpe in varietatem diffusa sunt ob causam eandem. Qvemadmodum locus superior dignior est ex ea ratione, qvòd à digniori occupetur: qvòd verò non idem ubivis sit usus, varietas nationum & hominum utentium efficit: Sic in Germania nos Germani dextram manum

assignamus digniori, ideò, qvod operibus *faciendis* & efficiendis sit aptior atqve commodior; Turcæ contra sinistram manum digniorem habent, ideo, qvia eam partem gladius honestat, & is, qvi est in parte dextra, qvodammodo gladium habet sub manu ejus, qvi sinistrum latus claudit, iste verò cum gestat liberum & expeditum. *Busbeq. Epist. Turc. prima pag.* 19. sic Angli, Galli locum parieti proximum statuunt digniorem, qvòd commodior sit ambulationi. Cur sexui fœmineo nonnulli locum digniorem & honoratiorem tribuant, teneritudini ejus videtur adscribendum: cur inter æqvales aliqvando alter alterum præcedat, à studio melioris ordinis proficiscitur.

§. XLI.

De inæqvalitate matrimonii hoc loco etiam qværitur, An inæqvalitas matrimonii Principis, vel Comitis, vel Baronis, vel etiam Nobilis aliqvo modo deminuat reputationem. Et Respondetur affirmando. Omninò enim abstinere debet Princeps aut Comes ab inferioribus, & dignitate, statuqve suô indignis matrimoniis, secundum illud *Ovidii: Si qva velis apte nubere, nube pari:* Qvod non solum privatis hominibus; sed omnibus mortalibus & præsertim Illustribus dictum est, scil. ut par pari nubat. Hinc *Marcellus JCtus alt. l. 49. de R. Nupt. Observandum est, ut inferioris gradus homines ducant uxores eas, qvas hi, qvi altioris dignitatis sunt, ducere legibus propter dignitatem prohibentur; at contra antecedentis gradus homines non possunt eas ducere, qvas his, qvi inferioris dignitatis sunt, ducere non licet.* Idqve non temerè & sine ratione, ne scil. splendor familiæ antiqvæ inæqvali connubiò imminuatur ac contaminetur. Publicè namqve interest, ut dignitas ordinum & familiarnm salva sit *l. 1. §. 13. de agnosc. & alend. liber.* In qvarum conservatione jus publicum, atqve adeò publica salus consistit *l. 1. §. 13. d. Ventr. Inspic. l. 9. d. qvæst.* Male audiebat apud Macedones *Alexander Magnus*, quòd sibi *Roxanem* Cohortani Illustrioris Satrapæ cujusdam filiam

jun-

junxiſſet. *Curt. l.8. c.* 4. Iraſcebatur olim Roma, qvod *Nero*, repudiatâ *Octaviâ Claudii filiâ* ſibi aſſumſerit *Sabinam Poppæam* obſcuro loco natam *Tacit. l.* 3. *Annal. c.* 29. In Imperio Romano Germanico *Erneſtus Dux Bavariæ Anno Chriſti* 1436. de Conſilio Senatorum *Agnëtem Bernaverim Tonſoris Auguſtani filiam* à filio *Alberto* ita adamatam, referente *Hennigio in Gen. Duc. Bavar. fol.* 203. ut in juſtæ uxoris locum eam extollere meditaretur, volens magis conſulere utilitati filii, qvam voluptati, ac ne Illuſtris familia Bavarica pollueretur, culeo inſutam necari mandavit propter ſuperbiam & contumaciam, ſicut prætexebatur. Ideoqve hæc imparitas matrimonii eſt vitanda (1.) non ſolum per hæc antea dicta, ſed etiam (2.) ob eventûs infelicitatem, qvia tales impares nuptiæ non minus ſunt periculoſæ, qvam infames, qvæ enim cauſa fuit, cur *Ericus Rex. Sveciæ* à fratre *Johanne* Finlandiæ & *Carolo Sudermanniæ Ducibus* regno depulſus fuerit, nulla alia, qvàm inæqvalitas Matrimonii, qvòd *Ericus* inauditâ levitate & imprudentia *Catharinam* filiam *Lictoris* anteà concubinam ſuam contra omnem honeſtatem Holmiæ in templò publice 4. non. Junii in uxorem duxerit, & ad regale faſtigium evexerit, tentatis & repudiatis Regum & vicinorum affinitatibus, qvi poſtea cum *Catharina* Conjuge in conclave ſub cuſtodia detruſus; *Johannes* autem magno procerum & omnium ordinum conſenſu & applauſu Rex renunciatus eſt. (3.) Ob contemtum Agnatorum & conſanguineorum, qvo fit, ut deinde inter ipſos conjuges humilium ſortuna ſordeſcat. Ita *Bogislaus Mazoviorum* Dux repudiavit *Annam Pauli Hunavii Palatini Belſenſis* filiam, exagitatus à fratribus & proceribus, qvòd imparem duxiſſet conjugem, *Cromer. hiſt. Pol. l.* 28. *Arniſ. l.* 1. *Polit. cap.* 3. Sic *Theodoſius* Imperator, licèt *Eudoxiam* Athenienſis Philoſophi filiam ab initio vehementer amaret, tandem tamen ſub prætextu religionis miſit eam Hieroſolymam, longèqve ab aula emiſit non ſine ſuſpicione alienati ani-

animi, *Zonar. in Theodoſ.* Similiter *Henrico Stuarto* regium conjugium vitam ademit, qvippe qvem Regina Maria vix uno anno pro Marito habuit, mox ab auctoritate clanculùm rejecit, ac tandem clandeſtinis inſidiis per *Bothvellium* interfecit *Buchan Hiſt. Scot. l.* 17. *Ludovicum* qvoqve Thuringiæ filia Ulrici Ducis Saxoniæ ita deſpexit, ut ad Parentes ex conjugio rediret. *Rivander. in Chronic.* (4.) Propter contemtum Subditorum & famulorum. Nota enim eſt hiſtoria XXI. *Bohemiæ* Ducis, qvi *Beatricem* Ruſtici ſeu Bubulci cujusdam filiam in matrimonium duxit, aſſerensqve, ſe unâ nocte effecturum, ut qvæ heri virgo ruſtica fuerit, eadem cras fieret Princeps mulier; non tamen potuit efficere, ut extra aulam res ſuggillatione careret præſertim in cœtu Matronarum Nobilium: *Dubrav. hiſt. Boh. l.* 7. *pr.* (5.) Propter inſolentiam in maritum: nam plebejæ puellæ plerumqve ſolent eſſe in maritos inſolentiores ſecundum veriverbium: *Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum.* (6.) Propter inevitabilem qvaſi discordiam maritalem: qvemadmodum enim firmisſima eſt inter pares amicitia *Ariſt. l.8. Ethic. cap.* 1. ita inter æqvales conjunctio non eſt concors & ſtabilis, cum inæqvalitas maximè apud illuſtres ſit diſcordiæ inductiva, conſervativa & nutritiva. *Vultej. vol.* 3. *Marp. conſ.* 35. *num.* 233. hinc qverelæ & diſſenſiones proveniunt, qvæ tali principatui ſunt pernicioſæ; æqvalitas igitur perſonarum in matrimoniis contrahendis in primis attendi debet, qvoad ſtatum vitæqve conditionem, in qva præcipuè honeſtatis & dignitatis ipſius familiæ ratio eſt habenda, qvod etiam ſuadet *Dn. Carpzov. in Jurispr. Conſiſtor. p.* 2. *tit.* 1. *num* 9. *num.* 5. qvæ æqvalitas tamen matrimonii non conſiſtere debet præcisè in proportione arithmetica, ut *Dux Ducis*, *Princeps Principis*, *Comes Comitis* filiam ducat, ſed ſufficit geometrica proportio. Parentes itaqve ſuis liberis uxores qværant, qvæ ipſos generis nobilitate non multum exſuperent, *Plutarch. de Educ. liber.* ac ne multum

uxor

uxor ſit inferior viro. *Arniſ. d. Jur. Connub. cap. 3. ſ. 6. num. 13. & 18.* Qvod etiam qvotidiana Imperii Romani experientia teſtatur, qvod Dux aut Princeps Comitis filiam, contra Comes Ducis aut Principis, qvandoqve Regis filiam matrimonio ſibi jungat, qvæ conſortii matrimonialis differentia qvoad gradus dignitatem, notabilem inæqvalitatem non inducit, ut exinde mariti illuſtris familia ejusqve ſplendor obfuſcetur, *Nolden. d. Nobilit. cap. 11. num. 6.* Tales enim perſonæ gradu tantum diſcrepant, non genere, ita ut unus plus qvam alter Nobilis ſit: Plus & minus verò non mutant genera rerum, qvod eſt axioma Logicorum vulgatum. Et hæc ſunt, qvæ de reputatione proponere volui, & hactenus dicta pro inſtituti noſtri ratione ſufficiant. Eſſent qvidem adhuc plura de reputatione notatu dignisſima dicenda, ſed qvia materia hæc præter ſpem atqve expectationem noſtram crevit, ideò ſubſiſtimus hîc, rogantes benevolum lectorem, velit omnia dicta & propoſita in meliorem partem interpretari, ſuâqve benevolentiâ errores corrigere.

APPEN-

APPENDIX.

Qværes I.

An Papa Sylvester II. fuerit Magus, & à Dæmone discerptus?

PLatina in vita hujus Papæ refert, illum non modo fuisse magum, sed etiam ex pacto speciali ope diaboli ad hanc aliasqve dignitates evectum esse, tandem tamen ab eodem dæmone discerptum. Eandem historiam repetit *Bunting. in Chron. Brunsvvicensi pag.* 08. & 109. habetqve consentientem Auctorem *Chron. Coloniensis. f.* 156. ✠. Und er gaff sich dem Düvel/up dat eme syn Anschlege gelücklich zo Handen güngen. Item: Düsse Robert macht den selven Gilbert Byschoff zo Reinen. In dae machte he alzo künstliche Urewerck und Orgelen. Da zoich hee gen Rome und wart eyn Ertzbischoff zo Ravenne/und zo leste Pays. Da nu der Düvel eene zo dem hoehsten Ampt geholpen hadde/ da fragde he den Düvel/ wye lange he leven soulde/ ꝛc. Ex his gravior potest oriri qvæstio, An electio Pontificis R. fiat & compleatur Spiritu S. specialiter cooperante? Verùm putarem, id potius fabulosum esse, & ex eo præprimis ortam fabulam, qvod hic *Sylvester*, ante *Gerbertus* dictus, esset vir supra temporis illius captum, qvod procurabat singularis illius rerum Mathematicarum peritia, qvæ etiam homines sanctissimos, si incidat in parum peritos arbitros, extremis potest subjicere periculis. Extat

Extat adhuc hodiè in *Biblioth. Farnesiana* liber ab hoc *Gerberto* de rebus Mathematicis compositus, & scriptus, ipse qvoqve *Otto Imp.* non modo tanqvam discipulus hujus *Gerberti* expertus est scientiam, sed etiam templum *Magdeburgense* horologium diu servavit a *Gerberto* mirâ arte compositum, ut alia plura non tangam, qvæ res apud æmulos invidiam, & apud ignaros hanc Magiæ opinionem facilè potuit procurare. Hanc rem ità esse vel ex solo Epithaphio à *Sergio* ejus successore posito patet, qvod ità se habet:

Iste locus mundi Sylvestri membra sepulti
Venturo Domino conferet ad sonitum.
Qvem dederat mundo celebrem doctissima Virgo,
Atqve caput mundi culmina Romulea.
Primum Gerbertus meruit Francigena sede,
Remensis populi Metropolim patriæ.
Inde Ravennatis meruit conscendere summum
Ecclesiæ regimen nobile, sicqve potens.
Post annum Romam mutatô nomine sumsit
Ut toto pastor fieret orbe novus.
Cui nimium placuit sociali mente fidelis,
Obtulit hoc Cæsar tertius Otho sibi.
Tempus uterqve colit clara virtute Sophiæ,
Gaudet & omne seclum, frangitur omne reum.
Clavigeri instar erat, cœlorum sede potitus,
Terna suffectus cui vice pastor erat.
Iste vicem Petri postqvam suscepit, abegit
Lustralis spatio secula morte sui.
Obriguit mundus discussa pace triumphus
Ecclesiæ mutans, dedidicit reqviem.
Sergius hunc loculum miti pietate sacerdos,
Successorqve suus compsit amore sui.

Qvisqvis ad hunc tumulum devexa lumina vertis,
Omnipotens Domine, dic miserere sui.

Obiit Anno Dominicæ incarnationis M.III.indictione 1.mens.Majî die 8. vid. qq. hac de re *Baron ad Annum Christi M. III.* His autem uti assentior, ita cæteris, qvæ idem *Baronius* ad annum *DCCCC XCVIIII.* de hujus scriptis Papæ profert, & qvæ sunt alia, assensum præbere non possum. Integri judicii est, neqve ex gratia neqve ex odio sententiam ferre.

Qværes II.

Qvare §. 23. disp. Verbum Schufft/ Nobili calamitose & misere viventi applicetur?

℞. Dubitari ibidem duo possunt,

1. *An* Schufft *à* שֹׁפֵט *Oriatur,*

2. *Cur ad nobiles tantum fuerit translatum.* Qvod primum attinet, certum est Germanos trahere originem à dispersis post captivitatem Babylon. hominibus, qvi cum hebraicè locuti sint, facilè in qvibusdam vocibus germanicis retinere poterunt analogiam cum primævo hoc idiomate. v. g. Schöpffe à *Schaffat* judicavit, aut licèt dicamus, non fuisse primævam illam intentionem, vocabula illa hebræa germanicis inserendi, qvia tamen lingua hebræa antiqvior est, hinc saltem ob reverentiam vox Schöpffe ad hebræum schaffat reducitur, sicut vox germanica steeg reducitur ad vocem græcam ejusdem tenoris. De altero ita responderem: Primogeniti olim apud nobiles maximè applicabantur curis bellicis, cæteri verò etiam ordini Scabinorum Schöpffe inserebantur, uti ex *Tac. d. M. G* constat. Hi ergo, qvia tanqvam deputati minoris æstimabantur, differentiam illam primò inter nobiles introduxere. Jam postea labente tempore, & justitia

maxi-

maximè in interregnis in Germania ordo der Schöpffen cœpit à plebe probrosis dictis infestari, ita ut postea, qvia hic ordo etiam ex nobilibus constabat, reliqvi etiam præsertim miseriores fuerint contumeliosè appellati Schufft oder Schöpffen. Si qvis autem hanc vocem Schufft à vocabulo Schuttig/ Schluffert velit deducere, non repugnârim. *Chron. Colon.* vetus, si legatur à fol. 204. &c. firmabit prædicta.

Qværes III.

Qvæ sit origo levis notæ maculæ carnificum?

Hâc de re §. 22. ex parte jam actum est. Hîc verò originem ipsam ex Historiis lubet demonstrare. Certum est, antiqvis temporibus primos principum ministros fuisse executores justitiæ pro arbitrio Principis; Postea verò, cùm religio Christiana mitiores indidisset hominibus cogitationes, & singularem à fusione sanguinis aversionem, ità ut primus ille modus exeqvendæ justitiæ non posset observari, ad hunc tandem deventum est, ut ex pluribus sociis seu complicibus aliqvi seligerentur, qvi vitam qvidem retinerent ipsi, sed socios seu complices suos morte afficerent: Ex illis deinde prognati sunt ordinarii illi Justitiæ executores, adeoq; prima illa labes & officii hujus introducti occasio levis notæ maculam ad successores qvoqve propagavit, qvod ex *Büntingio, aliisqve Hist.* etiam antiqvioribus non est difficile demonstrare. Adderem plura ad explicationem dissertationis de *lance & licio*, qvæ fuerit hujus usus causa, qvod tempus, qvid de *cingulo ejusq; ademtione* in *degradationibus*, uti vocant, ex antiqvitate constet, item, qvomodo vox Pap und Pfaffe ab initio fuerit honorifica, omnibus Episcopis communis, tandē verò ob sacerdotum actiones, & pravam vitam ad injuriam tractum sit, &c. Verum temporis id non permittit ratio, qvod festinanti jam lapsū, & hæc aliaq; aliis enucleanda relinqvo.

DECAS QVÆSTIONUM PHILOSOPHICO-HISTORICARUM.

Q. D. B. V.

PROOIMION.

QVæstionum decadem hîc lubet proponere, non illâ qvidem curâ, qvam singula postulant, sed qvæ velut magni corporis lineamenta referat, cui efformando ultima qvandoqve manus justum laborem admoveat.

Qværes I.

An Imperium Romanum in Carolum M. verè translatum sit?

RESp. An. Chr. 800. *Leo III. P. R. Carolum M.* Francorum Regem, qvi ad componendam *Pontificis*, & *Campuli*, *Paschalisqve* Romanorum causam in Urbem advolârat, ipso die, qvi *Christo nato* sacer est, in *Basilicâ S. Petri*, *Romanorum Imperatorem* dixit, qvo ipso seu *Leo* Papa, seu *Populus Romanus*, seu *uterqve* hactenus plerisqve visus est, *Imperium Occidentale* in *Carolum M.* transtulisse, à qvorum sententia nos modestè recedimus ob seqventes rationes. I. Qvia Imperium Romanum *Occidentale* ante *Carolum M.* jam pridem desierat, post

postqvam Barbari provincias Romanas occupârant, & ipsa Urbs *Roma* in *Gothorum* potestatem concesserat, qvi ab An. 493. ad An. 553. in *Italia* Imperium tenuerunt, rei autem, qvæ jam interiit, vana in alium est translatio. II. Res transferenda debet esse in potestate transferentis, cùm nemo in alium jus illud, qvod ipse non habet, transferre possit, jus autem *Imperii Occidentalis* An. 800. neqve penès *Episcopum*, nec penès *Populum Romanum* erat. Persuaderi enim nobis non patimur, *Pontifici* velut *Christi Vicario* supremum in Orbem Imperium competere, & *Constantinianæ* simul donationis commenta facilè spernimus. Ipse populus Romanus *Græcorum* Imperio fuerat subjectus, qvod deinde per Pontificias artes excusserat; ergo nec *Populi* beneficiô *Carolus Imperium Romanum* obtinere potuit. Titulum *belli* obtendunt alii, sed *Carolus* Urbem Romam armatus non occupavit. Transactio cum *Græcis* hâc super re inita, qvam *Oldenb. Part.* 4. *Thesauri pag.* 295. laudat, inanior est, qvam ut huic Translationi colorem possit obtendere, cùm *Carolus* nec suæ coronationi obstiterit, nec dignitatem hanc ad *Græcorum* usqve consensum distulerit, nec *Græcum* illud beneficium postea agnoverit. III. *Carolus M.* illas qvibus imperitabat, ditiones aliô jam titulô possidebat, *Franciam* aut *hæreditatis* aut *electionis* jure, belli Germaniam, *Lombardiam* qvoqve armis occupatam exactô *Desideriô* tenebat, qvid ergo per hunc *Imperii Romani* titulum consecutus est? certè qvod semel *meum* est, & manet *meum*, illud alterius benificiô non potest denuo fieri *meum*. Licèt ergo diceretur, dominium Urbis *Romæ* in *Carolum* esse translatum, id tamen ab *Imperio Romano* procul abest, cùm illa *Urbs Imperii* Majestatem jamdiu amisisset. Ludicram hanc scenam vergente *Caroli* Prosapiâ in *Ottone Germanorum* Rege pari vanitate *Roma* lusit, callidô sanè consiliô, qvô per objectam *Transmontanis* titulorum escam sibi *vim Imperii* firmaret. Ex his vanissimas *Aulæ Romanæ* prætensiones facilè licet confutare, dum obtendit.

1. *Im-*

1. *Imperium Romanum esse feudum Pontificis.* 2. *Imperatoris, Regisqve Germaniæ confirmationem ad Papam pertinere.* 3. *Juramentum fidelitatis eidem ab Imperatore præstandum.* 4. *Imperatorem à Papâ deponi posse*, & qvæ alia *Curiæ* hujus calliditas invenit. Sed huc usqve compertum est, *Italos sibi nucleum, putamina Transmontanis dividere.*

Qværes II.

Qvæ sit origo Electorum?

RESp. Vulgata apud omnes opinio primam *Electorum* institutionem *Gregorio* V. & *Ottoni* III. adscribit, qvâ super re vide P*latinam* & *Bellarm.* qvanqvam alii adjiciant, An. 1245. in *Concilio Lugdunensi* ab *Innocentio* IV. qvi *Fridericum* II. Imperio exuit, hanc rem plenè transactam esse.

Sed hæc fabula neqve *de jure*, neqve *in facto ipso* subsistit. 1. enim Pontifex jus nullum habuit *Germaniæ* regno libero *modum successionis* præscribendi, hoc est, abolitâ successione hæreditariâ electionem obtrudendi. 2. Pontifex non potest alios jure qvæsitô privare, ergo cùm à tempore *Ottonis* III. jus Electionis penès *omnes* Principes, ac status in *Germaniâ* usqve ad *Innocentium* IV. resedisse *Thuldenus part.* 3. H*ist. lib.* 9. *pag.* 291. supponat, non potuit *Innocentius* ad *septem* duntaxat hoc jus restringere. 3. Nullus Historicorum à tempore *Ottonis* III. qvorum tamen complures vixere, hujus *constitutionis* meminit usqve ad *Martinum Polonum*, qvi sub *Friderico* II. vixit 250. circiter annis post *Ottonem*, qvanqvam nec ille hujus *constitutionis* meminerit, non est autem probabile, rem tanti momenti ab iis silentiô obtectam fuisse. 4. Actus electionum, qvi tempora *Ottonis* subsecuti sunt, huic fabulæ repugnant, cum constet, *Germaniæ* Reges non à *septem* Electoribus, sed ab *omnibus* Principibus atqve Episcopis, imo & à populo electos esse, cujus rei exempla prostant in H*enrico* II. *Conrado* II, *Lothario*, *Conrado* III. *Friderico* II. apud *Dithmarum*,

Wip-

Wippon. Frising. Helmold. *Otton. a S. Blasio* illorum temporum ſcriptores. Credibile itaqve eſt, ſenſim irrepſiſſe hunc *Electorum* numerum; *ſeptem* enim illi Principes jam ante tempora *Friderici* II. tanqvam *Imperii officiales* præ aliis opum magnitudine pollebant, & in *Imperatorum electione* reliqvos auctoritate ſuperabant; unde cùm à *Friderici* II. obitu perturbatus eſſet Germaniæ ſtatus, paucis curæ fuit Reſp. dum reliqvi vel ob imbecillitatem, vel negligentiam jura ſua non ſatis tuerentur: ex qvo *ſeptem* illi principes velut potentiores hoc jus Electionis ſoli uſurpârunt, cùmqve id in conſuetudinem per aliqvot actus confirmatam abiiſſet, per *Auream Bullam à Carolo* IV. tandem ſancitum eſt, qvi firmando ſua in domo intentus Imperio paucorum ſuffragia coëmi faciliùs poſſe, qvam plurium haud vanò arbitratus eſt. Ex his plura pro *Germaniæ* noſtræ libertate colligi poſſunt, è qvibus pauca lubet ſublegere. 1. *Non reqviri conſenſum Pontificis, ut Electorum numerus augeatur*, qvod tamen *Innocentio X. in Bulla contra* Pac. *Monaſt.* in mentem venit, ꝟ. *Numerus ſeptem Electorum &c.* 2. *Si aliam in domum transferatur Electoratus, uti in Maximiliano* Bavaro *factum, non eſſe petendam à Pontifice confirmationem.* 3. *Electores Proteſtantes nullo jure à Papa Electoratu privari poſſe, qvidqvid hæreſis obtendatur*, licèt *Paulus* III. & *Pius* IV. id protervè ſenſerint, qvorum hic *Maximiliani II.* electionem repellebat, qvòd tres Electores *hæreſin* ſectarentur; putida vanitas!

Qværes III.

Qvænam ſit origo hujus diſcriminis, qvòd alii Orationem Dominicam à Vatter unſer/ alii ab Unſer Vater/ exordiantur?

Reſp.

RESp. Triste enimverò jurgium & vel ipsi pietati inimicum, dum, ubi orandum, de *Vocum situ & ordine* primùm acriori sæpè æstu disceptatur, qvàm preces funduntur; non lubet indulgere vanitati, dum Grammaticam alii, alii alia obtendunt, neutrum Deo curæ. Interim hujus rei origo ex *Antiqvitate* haud ægrè poterit erui, si cogitemus, rudioribus adhuc seculis apud Germanos *Orationem Dominicam* è lingua latina in Germanicam, cujus tenorem exhibet *Cl. Dn. Præses in dissert.* 2. §. 10. ita ad amussim translatum esse, ut, ubi in latino vox *adjectiva* postponitur, idem tenor, situsqve in *Germanico* retineatur VG **Wihi Namun dinan / Rihi din / Wille din / Proath unser / schuldi unseero /** *nomen tuum, regnum tuum, voluntas tua, panem nostrum*, debita *nostra*. Ex qvo etiam factum, ut apud omnes hæc oratio nomen **Vadrunser** obtinuerit: unde cùm postea cultior ætas cetera debito loco restitueret, placuit tamen retinere idem initium, qvòd hic loqvendi tenor, **Vadrunser /** etiam solitariè acceptus apud cunctos ita invaluisset, ut etiam invitis recurreret. Qvidqvid sit, *nobis curæ potius sit, mente Deo loqui, qvam dubio vocum delectu pietatem distrahere.*

Qværes IV.

Qvis modus in distributione S. Coenæ olim apud Germanos observatus sit?

RESp. Longè alius, qvàm nostris temporibus. Lege publica sub *Francicis* Germanorum Regibus olim statutum erat, ut Viri & mulieres diebus dominicis panem & vinum afferrent, qvæ a *Diaconis* extra altaris septa ex offerentium manu suscepta altari imponebantur, *sacerdos* oblata sanctificabat, sanctificata populo *Diaconi*, & *Subdiaconi* dispensabant, ex iis verò, qvæ à *communione* supererant (modica enim pars *sacrâ hâc synaxi* absumebatur) *duas* partes *Clerus* accepit,

&

& *unam Episcopus*, cedebantqve hæc omnia in domesticos usus, Vide *Synod. Aurel.* 4. *sub Rege Sigeberto Capitul.* Franc. *lib.* 5. *cap.* 219. *lib.* 6. *cap.* 177. 305. *Concil. Matisc.* 2. *An.* 587. *c.* 4. qvod si qvis nostrorum temporum mores cum veteri illâ consuetudine contulerit, magnam rerum mutationem comperiet. Id autem ex eo evenisse crediderim, qvod, postqvam *Clericorum* opes, ac potentia indies magis magisqve invaluerant, tandem eos aut puduerit, *hebdomadarium* panem, vinumqve à *laicis* acceptare, aut facilè contemserint hæc munera, qvippe ob rerum omnium affluentiam domesticæ necessitati non profutura. Unde sensim hæc consuetudo omissa est, præsertim postqvam *Canonici*, qvi antea suo sub *Episcopo* unius familiæ socii eâdem mensâ fruebantur, speciales in domos secesserunt. Per hanc rerum mutationem varia sensim inducta sunt. 1. *Missæ secretæ* die Winckel-Messe *ab hominum consortio, conspectuqve semotæ*, qvas tamen vel ipse *Canon Missæ*, veterem consuetudinem temporum loqvens confutat. 2. *Opinio, Missam esse sacrificium.* 3. *Panis minutior à Clero substitutus, postqvam à populo panis & vinum non amplius allatum est.* 4. *Per hanc occasionem vinum è S. illâ Cœna clerici sustulerunt*, qvæ, aliaqve fusiùs perseqvi, instituti mei non est. Id solum affirmo, neminem de his, aliisqve, qvorum mutatio constat, sed causæ, atqve occasiones ignorantur, integrè judicaturum, nisi qvi *Veterum temporum* gnarus *præsentia* cum *præteritis* contulerit.

Qværes V.

Qvis priscis temporibus fuerit Canonicorum status?

RESP. *Episcoporum* ædes olim templo proximæ erant, qvod *Dominica* etiam dicebatur, à *Domino*, qvòd in eo propter *Dominum* convenirent. Unde & templum illud *Episcopale*

inaudiit, die Domkirche/ & *Canonici* die Domherren / qvæ voces hodiè pejùs detortæ ſunt in has, die Thumherren / Thumkirche. Cœterùm *Canonicorum* olim hic erat ſtatus: 1. *eâdem in domo unà cum Epiſcopo olim habitabant*, uti hodie *Monachi* cum *Abbate*, qvam appellabant etiam *Monaſterium*, qvæ vox & hodie alicubi retinetur, das Münſter/ qvâ in domo idem erat pro omnibus *dormitorium*, & *menſa communis*, uti conſtat ex *lib.* 4. *cap. in addit. cap.* 16. *Synod. Mogunt. An.* 813. *à Carolo M.* celebrata. Hodie autem alia rerum facies eſt, qvæ inducta eſt, poſtqvam immenſas opes in *beneficia* & *præbendas* diviſerunt, ex qvo diverſas in ædes abierunt. Qvanqvam hodie vana *Antiqvitatis* imago in eo adhuc retineatur, qvod *Canonicus* recens ſublectus aliqvamdiu in *Capitulo* ut vocant, dormire teneatur. 2. *Veſte utebantur canonica*, è qvâ hodie præter nomen vix aliqvid ſupereſt, qvod vocant den Kappengang halten. 3 *Certa munera inter illos erant diviſa*, qvæ tam rerum *ſacrarum*, qvàm *domeſticarum* curam concernebant, dum alius erat *Oſtiarius*, velut *Monaſterii cuſtos*, alius *Exorciſta*, alius *Acoluthus* Epiſcopi in itinere comes, alii *ſubdiaconi*, àlii *Diaconi*, alius *Camerarius*, alius *Lector*, *Cellarius*, alius deniqve *Scholaſticus*, qvorum nuda duntaxat nomina hodie proſtant, dum etiam raucus Euclio ſcholaſticam virgam qvatit, cui Canonicus hoc ceſſit imperium. Ita ſub ſpecie *Antiqvitatis* fallimus, & fallimur. 4. *Conveniebant matutinô tempore Canonici*, *miſcebantque & preces*, *& ſacræ ſcripturæ lectionem*, cui ſtudio & diem impendebant, qui tædioſus labor hodie in neſcio qvas è *Breviario horas* contractus eſt, nec urgetur in *choro* præſentia, niſi cum illam indictum nummis tempus exſtimulat. Tantum à priſca antiqvitate recedimus.

Qvæ-

Qværes VI.

An Tranſubſtantiatio in S. Cœnâ repugnet rationi?

RESp. Affir. 1. qvia ex pane & vino nihil ſupponitur remanere, ergo annihilatio ibi eſſet, non autem converſio ſubſtantiæ in ſubſtantiam. 2. Qvantitas eſt ipſa res extenſa, ergo ſi qvantitas maneat, ipſum corpus panis & vini manebit. 3. Particulæ vini ſubtiliores in ſuo motu adhuc cernuntur, qvod ſpeciebus non competit: exhalant illæ, & apertô vaſe evolantes vini generoſitatem deſtituunt. 4. Vinum conſecratum ebibentem largiùs æqvè confortat, imo & inebriat, id autem fieri non poteſt, niſi qvatenus ſubtiliores particulæ ſanguini miſcentur, uti ex *Medicina* notum eſt. 5. Si nudis tantùm ſub ſpeciebus latet *Chriſtus*, qvid fiet de interſtitiis illis, qvæ panis partes à ſe disjungunt, per qvæ ſubtiles particulas diſcurrere ſatis conſtat. *Fruſtra rationis inhibetur vis, ubi de revelatione non conſtat.*

Qværes VII.

An Dæmones in Inferno uſtulentur igne corporeo?

RESp. Neg. Ignis enim non aliter urit, qvàm corporis partes vellicando, lacerandoqve, qvæ in homine qvidem hunc motum ad cerebrum deferunt; cùm autem *Dæmones* ſint abſolutè ſimplices, nec corpori organico uniti, neſcio, qvî poſſit ignis vim his ſpiritibus imprimere. Aliqvis certè contactus hoc in caſu reqviritur, qvi tamen hîc concipi non poteſt. vid. *Ignat. der. Kennis Jeſuit. in Theol. Schot. de Angelis.*

Qværes VIII.

An dentur Univerſalia?

RESp. Uti vulgariter ſumuntur, non dari, ſive *ante*, ſive *poſt* intellectûs operationem. Naturam enim VG Hominis ſimul eſſe unam, & ſimul diviſam repugnat; qvod ſi autem dicatur, Unitatem illam eſſe *extrinſecam* per intellectûs operationem in ſingularia redundantem, ne tum qvidem concedam, cùm omnis *Idea*, qvam format intellectus, ab objecto aliqvo oriri debeat, in formatione autem *unitatis naturæ* illius tale objectum deeſt. Dixerim ergo *Univerſalia* eſſe aut *pura nomina* rebus ob *eſſentiæ ſimilitudinem* impoſita, aut *ideam*, qvam de *uno* individuo habitam, *aliis* qvoqve ob *ſimilitudinem* applicare poſſumus *VG.* ſenſus hujus propoſitionis *Homo eſt animal*, hic poteſt eſſe, eadem res, qvæ habet nomen *Hominis*, habet etiam nomen *Animalis*, ſeu *Idea* de *homine* habet convenientiam cum *Idea Animalis*.

Qværes IX.

Qvomodo reſolvendæ ſint propoſitiones perſonales, Homo eſt Deus, Deus eſt Homo?

RESp. Non ita, *Humana natura in concreto eſt Deus &c.* ſed ita, *perſona habens Humanitatem, eſt eadem perſona habens Deitatem.* Ratio eſt, qvia in propoſitione affirmativâ, cum unum dicatur eſſe alterum, reqviritur identitas prædicati cum ſubjecto, ſi enim non ſit identitas, unum erit alterum, in *prima* autem reſolutione non ſervatur identitas, ſed in alterâ, cùm *Idea*, qvam de *Humanâ naturâ* habeo, longè diverſa ſit ab *illâ*, qvam de *Deo* habeo.

Qvæ-

Qværes X.

An in mente Hominis detur Idea Dei à solo Deo immediatè indita, non verò ab ipsa mente ex creaturis desumta?

RESp. Saltem hâc de re dubitandi veniam dabunt illi, qvi ipsi dubitationum pleni sunt. 1. Per *Ideam* intelligunt *formam cogitationis, per cujus immediatam apprehensionem ipsius cogitationis sumus conscii*, cogitatio autem procedit ab Anima, ergo & *formatio* Ideæ de Deo. 2. Modus *activè* denominans substantiam, ab illâ qvoqve tanqvam à *causa* proficiscitur, cogitatio autem de *Deo* id facit, denominando Animam *cogitantem*, ergo. 1. Qvomodo posset Anima pro lubitu *cogitare* de Deo, & à *cogitando* cessare, nisi ipsa hanc *Ideam* formaret. Adde, si *Idea* sit *forma cogitationis*, & *Idea Dei* semper insit homini, *perpetua* qvoqve erit cogitatio de Deo, cùm *forma cogitationis* absqve ipsa *cogitatione* esse non possit. 4. Constat, non esse *æqvales* in omnibus de *Deo* conceptus, hæc autem *inæqvalitas* non esset, si eadem *Dei Idea* omnibus esset indita, qvia illa idem in omnibus repræsentabit, cùm mens sibi relicta, absqve *Idea* illa de *Deo* cogitare non possit. 5. Cur non dubitem an in Infantibus hæc qvoqve *Dei Idea* sit, cùm ipsi hujus cogitationis sibi conscii non sint. 6. Nego, illos Auctores habere *claram*, & *distinctam Dei Ideam*. Qvod enim dicunt se habere, *distinctam*, ac *positivam Ideam Entis Infiniti*, id nego, tantum verba dari ajo, qvia docent ipsi, qvòd *voces negativæ nullas proprietates, nullaqve attributa Percipienda nobis repræsentent*. 7. *Cogitatio* dicit respectum essentialem ad *animam* tanqvam *sui principium*, qvomodo ergo â *solo Deo* illa animæ ad illam non concurrenti indetur? Sed malo hac in re mihi silentium imperare, qvam strictim hanc materiam delibare, qvæ fusius examen meretur. *Faxit Deus, ut cogitationem de tanto Numine cum amore semper conjungamus.*

DECAS QVÆSTIONUM MISCELLANEARUM.

Q. D. B. V.

Qvæst. I.

Qvæ fuerit causa & occasio promulgandi *Cap. Unam sanctam:* *de maj. & obed.*

RESp. Inter *Bonifacium* VIII. *P. R.* qvi, ut referunt, intravit ut vulpes, regnavit ut leo & mortuus est ut canis, & *Philippum pulchrum Franciæ Regem*, anno 1302. erupit lis ingens, qvòd ille non modo vetaret, à sacro ordine Regi, flagitante licet publicâ necessitate, census seu decimas exsolvi, & ad hæc acerbô imperiô eundem ad bellum in *Palæstinam* suscipiendum conaretur adigere; hic verò Rex, auctoritatis memor, qviqve neminem in temporalibus ut vocant, agnosceret superiorem, stolida jubentis mandata sperneret: ex qvo in furorem penè actus *Bonifacius*, non modò ursit, supremum in temporalibus qvoqve, in regnum regemqve *Franciæ* sibi competere arbitrium, sed etiam sacrum fulmen, velut *vaticanus Jupiter* emisit in Regis caput, & ipsum qvoqve Regum interdicto subjecit. Enim verò;

verò nihil his territus Rex, publicâ Episcoporum procerumqve suorum, qvos eum in finem coëgerat sententiâ, hos temerarios Pontificis conatus elisit, negavitqve ullô se modô Pontifici Romano in temporalibus subesse. Qvid sub hæc irritatis utrinqve animis factum sit, qvomodo *Anagniæ* captus sit *Bonifacius*, ac dein Romam profugus, inter minas, animiqve mœrorem aut furorem extinctus, huic tragœdiæ posuerit finem, hæc apud *Bußier Tom. 1. lib. 9. à pag. 422.* legi possunt. Id unum libet referre, non modò *Flandros*, contra *Philippum*, à *Bonifacio* ad arma concitatos esse, sed & *Albertum* Imperatorem, cui suetâ per illa tempora Pontificibus agendi ratione, regnum *Galliæ* donârat, qvanqvam inani consilio animatum, ut regnum *Franciæ* velut dono sibi datum occuparet. Huncqve in finem, ut *publico etiam diplomate* causam suam tueretur. *cap.* illud, *Unam sanctam* evulgavit, cujus finis hic: *subesse Romæ Pontifici, omni humanæ creaturæ, declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omninò esse de necessitate salutis.* Cujus Cap. rationes, si ad *regulas Logicas* hîc mihi luberet expendere v. g. *spiritualis homo omnia judicat*; Ergò *omnia sunt subjecta Pontifici Romano*: *In principio*, (non in principiis) *creavit Deus cœlum & terram*, *ergo omnia dependent ab uno Pontifice, tanqvam principio*, nescio an fastidium lectori aut risum crearem, lubet tamen ex *Luthero Tom. VII. Wittenberg. pag. 544.* insignem confutandi modum in simili causa exscribere: Doch wundert mich / warum seine Heiligkeit so einen dunckelen Spruch vor sich genommen hat / so doch viel heller Sprüche in der Schrifft zur Sache gedienet hätten: als erstlich Der; Gen. I. Im Anfang (das ist zu Rom) schuff GOtt (das ist stifftet) Himmel (das ist den Pabst) und und Erden /) das ist die Christliche Kirche:) die Erde war wüste und leer / (das ist die Christliche Kirche ist dem Pabst unterworffen:) dieser Spruch hätte vielmehr gethan. Item Jes. I. Der Ochse kennet seinen Herren / (das ist / der Pabst zu Rom ist Herr über alles) und der Esel die Krippe seines Herrn (das ist

ist die Christenheit ist des Pabst Leibeigen/) ꝛc. Hiezu hülffe auch die *Logica* und *parva logicalia*: als; *Nullus & nemo mordent se in sacco* (id est, Papa. est caput & Dominus *Ecclesiæ*.) Item *propositio hypothetica* (id est Papa) *induta cappâ categoricâ* (id est in urbe Roma) sedet *in arbore porphyrianâ* (id est, est caput Ecclesiæ universalis) & *devorat genera* & *species*, id est habet potestatem condendi leges &c.

Qvæst. II.

Qvid sentiendum de virgula mercuriali?

RESp. Actionem virgulæ mercurialis seu divinatricis (die Wunschruhte) cujus freqvens est in fodinis metallicis usus, alii *superstitiosam*, alii verò *naturalem* faciunt: Illi qvidem 1. Ex eo: qvòd non omnium in manibus sortiatur effectum æqvè felicem. 2. Qvòd certô anni tempore exscindenda sit. 3. Qvòd ratio hujus operationis ex naturæ legibus ostendi non possit. Hâcqve in sententiâ præter alios sunt *Kircherus* & *Schottus*, alii verò primum pro fundamento ponunt, plurimos in natura cerni effectus, qvorum tamen evidens ratio non pateat; cujus rei vel unicus magnes nobis exemplum est: hinc ajunt, *cautè his in casibus procedendum esse*, anteqvam feratur sententia, effectum aliqvem ex superstitione ac pacto sive expresso sive tacito cum Dæmone ortum esse, subjungunt dein varia experimenta, qvibus ejusmodi virgularum *actionem* esse *naturalem* comprobant. 1. Si regulus infigatur virgulæ ex corylo, & instar veru admoveatur igni, etiam nemine movente ligneum hoc veru circumagetur, donec regulus satis assatus sit. 2. Fiat lanceola ex ligno, & aurea virga subtili ad æqvilibrium commissa, hæc argentum vivum, qvod supposito igne ex olla evolat ita sibi jungit, ut se profundè inclinet, qvod pariter fiet, si talis

talis virga ſupra mineram mercurii exponatur. 3. Similis virgula ex fragmento ſalis foſſilis facta & cum altera ex ligno commiſſa, ebullientes ex olla ſalis aut muriæ vapores excipiet, qvod etiam ſupra mineram ſalis absqve dubio fiet 4. Virgula ex ligno & ferro commiſſa excipit vitrioli exhalationes, ita qvidem, ut ferrum protinùs colore ferrugineo in æruginem fuſcam mutatô in æs qvaſi transformatum totum ſe in ollam demittat; ſimilia in cæteris metallis ac mineralibus fieri poſſunt, & 5. Qvidem id probari poſſet virgulis, qvæ amicitiam cum aqva ſimplici fontana elementari habent, ut ex *alno, nymphæa, mentaſtro aqvatico, ranunculo &c.* fieri poſſent, qvæ latentem aqvæ venam hac ratione per magnetismum qvendam demonſtrabunt. Subjungunt deniqve modum, qvo talis virgula in fodinis metallicis manu geſtata deprimatur, id certum eſſe ajunt ex venis metallicis ſpiritûs partes ſubtiliores metallicas exſpirare, cùm locus ille, etiam tempore roris cadentis maneat ſiccus, & ipſa arborum ibidem ſitarum folia ac rami, varias ex eo mutationes ſubeant, unde qvoqve periti his ex ſignis latentes metallorum venas cognoſcunt, hinc, cùm corylus proportionatos ad ingreſſum harum particularum habeat poros, non poteſt non fieri, ut à particulis illis virgula hæc gravata deorſum vergat. Ad rationes allatas qvoqve reſpondebo, & qvidem ad 1. provocant ad experientiam, non ſemper æqvè felicem ab hoc illovê expectari effectum, licèt omnes idem planè adhibeant; qvod non parum in diversâ corporis conſtitutione ſitum eſt, hinc cùm metallici unà cum aëre ſpiritus metallicos per reſpirationem ad ſe trahant, hiqve dein miſceantur ſanguini, & ita diverſam à reliqvis conſtitutionem operentur, non poteſt non fieri, ut illorum è manibus felicior hac in re ſeqvatur effectus. Ad alteram regerunt: nihil latere ſuperſtitionis, licèt non eodem anni tempore res aliqva colligatur aut exſcindatur, qvod vel in herbis patet, qvæ colliguntur illis menſibus, in qvibus vires ad maturitatem pervênere, (ut

de aliis rebus nihil dicam,) idqve fit propter pororum & immutationem, & ſimul particularum maximè ſpiritualium expectatam ſublimationem. De tertio jam antea dictum eſt, qvod & aliqvo modo explicari poſſit; & licèt id non poſſit, non tamen ex eo ſtatim ad ſuperſtitionem aut magiam, vel pactum cum Dæmone recurrendum ſit: vide *Helmontium de magnetica vulnerum curatione à numero XIX. usqve ad XXXIX.* Has inter Philoſophorum ſententias licèt non nihil hæream dubius, cùm tamen comperiam, etiam viros piisſimos, felici cum eventu nonnunqvam hâc virgula uti, & amplius de naturæ viribus priùs judicandum ſit, qvàm humana ratio ſtatim percipiat, approbantium ſententia mihi magis placebit.

Qvæſt. III.

An literæ hæ cabbaliſticæ KljK in incendio ad ignem extinguendum proſint?

RESP. Cum ſub finem ſuperioris æſtatis hîc in Collegio Wilhelmiano incendii metus eſſet, depictas variis in locis has vidi literas, qvæ, ni fallor, ſeqventium verborum ſunt literæ initiales אתא· גבר לעולם ארני· alii ex capite XI. Num. ℣. 2. ſeqventes literas initiales hanc in formam redigunt, paniqve inſcriptas igni injiciunt.

Id eſt.



Id est:

ויצעק העם אל משה ויתפלל משה
אל יהוה ותשקע האש:

De vi & virtute hujus Cabbalæ qværitur. Ego sanè, etsi Cabbalam in reliqvis ex arte usurpatam cum Kirchero non improbem, in his similibusqve tamen illam non possum non rejicere, tùm, *qvòd qvantitatis nulla sit efficacia*, & literæ illæ per se sumtæ, non hoc magis qvàm illud denotare possint, tùm, etiam, *qvod experientiâ edoctus sciam, hisce mediis vim ignis non restingui*, nisi hominum labor præter Dei opem, flammam compescat.

Qvæst. IV.

An Lutherus fuerit natus ex incubo?

RESP. Qvod olim gentiles per *Acta Pilati* teneræ juventuti in scholis explicanda, in Christianorum non modò contumeliam, sed & veræ religionis perniciem excogitârunt, id hâc qvoqve in causa per artes Italicas in Evangelicæ religionis perniciem adornatur: id primum consilii est, viros restauratæ religionis ministros, apud credulas aures qvovis contumeliarum genere deturpare, ex qvo falsæ doctrinæ suspicio, imò certitudo (ut putant,) facilè subseqvetur. Non loqvar hìc *Calvinum*, liliis Gallicis (*ut calumniantur*,) ustum, & extinctum morte Herodianâ, de *Luthero* duntaxat mihi nunc sermo est, qvem, (ut alia plura mittam,) 1. apud *Bzovium Tom.* 19. *Annal. fol.* 319. volunt, à matre ex incubo dæmone susceptum: 2. Apud eundem *Tom* 20. *num* 11. *fol.* 5. *à dæmone didicisse, missam esse abolendam*: 3. *Ab eodem in morte strangulatum: &* 4. *Apud* eundem *fol.* 147. *num* 52. *in ipsius obitu spectatos esse à famulo teterrimos spiritus haud procul saltantes:* 5. *Dæmones sub specie corvorum funus Lutheri comitatos esse:* 6. *Ipsius cadaver tantum exhalâsse fœtorem, ut nemo mortalium præsens aßistere potuerit &c.* Qvæ omnia eo tendunt, ut viri, papatûs mallei, vitam mortemqve ita in odium invidiamqve apud vulgus adducant, ut ex eo, cadente velut trunco, rami qvoqve & fructus (*id est doctrina*) abjiciantur: ars sanè Machiavello digna, qvæ tamen omnia, & ipsis vetulis pudenda mendacia, vel ex eo solùm improbantur, qvòd hæc qvæstio in facto consistat, qva in causa negantium semper melior conditio, qvàm affirmantium, & his qvidem, [*nisi calumniæ rei esse velint*] incumbit conformis juri probatio; Sed uti hic altum silentium,

ità in ſpecie, (ut reliqva mittam) 1. notum eſt *Lutherum*, & ab honeſtis ortum parentibus, & a *Johanne* patre, ad qvem etiam ſcripſit Epiſtolas, qvas in operibus ejus adhuc videre licet, pro filio ſemper agnitum : ut non dicam, id falſiſſimum eſſe, matrem ipſius fricandis in balneo hominibus locâſſe operam : 2. Dæmonem mangonis inſtar (ut *Bzovius* ait) a marito ſuſceptum hoſpitio. 3. Uxorem ab hoc mangone compreſſam eſſe: deniqve nondum lis illa deciſa eſt, *An ex Dæmone incubo homo naſci poßit*, qvod qvidem exiſtimat cum aliis *Delrio libro Diſq. Mag. q.* 15 *axiom.* 2. *fol.* 191: verùm, id legitima generationis conditio non patitur, qvod pluribus explicaturum verecundia & pudor prohibet, unde ad Medicos remitto. Verè ergo incubat fabulis & mendaciis, hæc aſſertio, *Lutherum ex incubo natum eſſe.*

Qvæſt. V.

Qvæ cauſa fuerit fœtidæ illius, qvæ ſuperiori æſtate terræ incubabat, nebulæ ?

RESp. Cum aliqvid novi eſt, in novas ſemper diverſi abeunt illius rationes; id & tum contigit, dum alii exaggerabant, *tot ſylvas, tot ericeta periiſſe incendio*, alii *inter meteòra globum ruptum in aëre*, ex qvo nebula iſta per regiones diſperſa fuerit. Ego, uti facile patior, qvemlibet ſuo indulgere ſenſui, ita hic alia mihi qværenda ratio, & ſanè id apud omnes adhuc conſtat, vel ipſo damno, qvod pleriqve experti ſunt, extorqvente confeſſionem, qvàm *immanis* æſtus ſuperiore æſtate terram lacerârit, ex qvo non potuit non fieri, ut ex lacubus fontibusqve poſt tot dierum ardores urgente ſole *particulæ limoſæ, putridæ, ſulphureæ ac nitroſæ &c.* in aërem, *more Phyſicis noto*, aſcenderint, qvo facto, cùm tanta pari-

particularum in aëre multitudo agitata & rotata celeriter ſit, atqve ità longè latèqve ſe extenderit, non potuit non fieri, ut tandem in *fœtidam ejusmodi nebulam* concreverit. Neqve hæc diffitebitur, qvi perpendet 1. Ariſtas & gramina, illô tempore, atrô colore ſuperfuſa fuiſſe, dein, ipſos meſſores Maurorum inſtar à labore domum reduces; cujus rei *cauſa* in particulas iſtas refundenda eſt. 2. Immergat qvis in conclavi terram limoſam ac putridam, nitro ac ſulphure mixtam affusâ aqvâ vaſculo, dein lentô igne ſubſtructô, aqvam puram videbit qvidem elevari, ſed poſteà cum ignis in materiam aget ſuperſtitem, ſentiet exſurgentibus tunc particulis, & nebulam & gravem odorem. Hæc ſi qvis ad priora applicet, de ratione allata non dubitabit.

Qvæſt. VI.

Qvæ cauſa fuerit promulgandi cap. *Venerabilem &c. De Electione &c.*

RESP. Pontifices Romani jam à tempore *Friderici Barbaroſſæ* oderant ſtirpem *Suevicam*, è qvâ eligebantur Imperatores. Hinc cùm *Philippus* eâdem ex ſtirpe *Aqvisgrani* anno 1198. à multis *Germaniæ* Principibus, præſertim antiſtite *Moguntino* Rex dictus eſſet, ex adverſo autem *Otto Dux Saxoniæ* ab aliis, præſertim *Colonienſi*, ingentes turbæ natæ ſunt, qvibus pro more ſueto *Aula Romana* ſeſe immiſcuit, & *Innocentius* qvidem III. hujus cap. pater non modo *Philippo* interdixit ſacris, ſed etiam ſuo unius arbitrio dubiam hanc inter plures *electionem definiendam* ſuſcepit; qvem in finem hoc qvoqve cap. evulgavit, qvod, uti ad vivum reſecare noſtri inſtituti hìc non eſt, ità ipſi ſeqventes theſes opponimus

mus 1. Auctoritate Pontif. Rom. Imperium Rom. non est translatum ad Carolum M. neqve in ipsius personâ ad Germanos. 2. Jus examinandi personam in Regem Electam ad Pont. Rom non pertinet. 3. Si non conveniant in unam personam Electorum suffragia, decisio ad Pont. Rom. non pertinet. 4. Collegium Electorale à Pont. Rom. non est institutum. 5. Id ipsum inscio & invito Pont. augeri potest, *qvicqvid Innocentius* X. contra pacem Monasteriensem obstrepuerit. 6. Calumnia est dicere, Electorem *Saxonem*, *Brandenburgicum*, *Palatinum* ob hæresin non esse veros Electores, qvod tamen Pius IV. apud Pallavicinum *lib.* 22. *cap.* 6. ausus est effutire. 7. Imperator non indiget confirmatione Pontificiâ. 8. Neqve debet ipsi ex dist. 63. juramentum fidelitatis præstare. Hæc qvoqve & alia contra Cap. *Solitæ de Major. & obed.* ejusdem *Innocentii* prolem opponimus.

Qvæst. VII.

An & qvomodo à Franciæ & Angliæ Regibus curentur strumæ.

RESP. Scio, hanc litem has inter nationes jam pridem agitatam, dum *Gallica* hoc beneficium sibi ex asse vindicat, altera verò sibi, nescio, an ab Eduardo propagatum retinet. Rem considerantibus omnia in incerto videbuntur, dum neqve Galli certum hujus curæ sive auctorem, sive in qvem hoc beneficium translatum sit, nobis exhibent, cùm alii in *Clodovæum* ex religione Christiana Regem primum hanc rem derivant, alii in alios hoc dubium rejiciunt. Qvod ad *Anglos* pertinet, res fortè non minori gyro circumagetur, cùm *Tockero* teste res hæc incertis agatur syrtibus, dum alii ad *Lucium*, alii ad *Eduardum* tantæ molis causam rejiciunt. Mihi satis est rem verbo explicare. In *Anglia* id morbi genus vocari

cari

cari (the Kings evil) & recepto qvoqve in Gallia more poſt prolixas circumſtantias & in ſpecie adhibita hæc verba, *Le Roy touche, & Dieu te guerit*, tandem abire in famam, id morbi genus curatum eſſe. Ego, ut nec de jure Regum, nec de beneficio ipſis conceſſo diſputaverim, id tamen libertatis mihi retinuerim, qvod de facto in Haſſia qvondam in familia Hartmanniana, de qvo *Ungebaur. in inſt. de teſtament.* ait, nempè, ſeptimum ex liberis maſculis ſtrumas curandi pollere beneficiô, alii judicaverint; Experientiâ conſtat, qvanta ſit *imaginationis* & *phantaſiæ*, præſertim *exaltatæ* vis & virtus, qvæ vis, noſtro in caſu ſimplicem apud plebem, qvæ Rege regio in habitu ſpectato ſtat attonita, non poteſt non ſuas exſerere vires: Hinc dum regia manus vilem & plebejam tangit cutem, tactus qvaſi ex alto, & ex perſona Regis qvidem perſentiens beneficium, imaginationis vim promovet, & humores, (*qvæ res apud medicos nota eſt*,) hâc ratione digeſtos diſſipat, & ita ſtruma in ſtramen abit. Litigent Hiſtorici de hujus rei origine, & ad qvos hoc deſcenderit beneficium, mihi hæc inſinuâſſe ſalvo cujuscunqve judicio ſuffecerit.

Qvæſt. VIII.

Cur in qvibusdam fontibus mergantur omnia, in aliis autem alia natitent & qvæ diverſorum in iis colorum cauſa?

RESp. De fontibus Hiſtorici mira referunt: Sic fons *Nopoloſus* olim *fons Jacobi* dictus propè *Hieroſolymam*, aqvam habet dulcisſimam, item fons prope *Haram* urbem *Meſopotamiæ* dulcisſimi ſaporis eſt, contra *fons Mara* in de-

deserto *Sur* de qvo *Exod.* XV. ✝. 23. legitur, amarus fuit: Narrent Historici de fontibus *oleosis* & *ominosis*, *lethiferis* &c. et effectuum insolitorum causas indagent alii: mihi hîc limites transgredi non licet, & qvidem uti constat *lacum Asphalticum Palæstinæ* & *Acuscidamum Africæ*, sustinere injecta, lacum autem qvendam *Æthiopiæ*, & lacum *Alcionium* prope *Leonam*, injecta mergere, ità facilis hujus rei dari potest ratio, cùm fontes illi, qvi corpora injecta sustinent, abundent *bitumine*, reliqvi verò *propter secretos terræ marisqve meatus*, (de qvibus *Kircherus* multa) qvibus mare Siculum famosum est, etiam oculatò harum rerum teste Schottò, abundent, facile licèt explicare, qvæ harum rerum causa sit & origo. Et laudabit hanc rationem, qvi aqvam puram miscebit bitumine, imponetqve secundùm proportionem debitam corpus, qvod qvidem uti videbit innatare, ita de cœtero, ubi in fundo habebit foramina, videbit corpuscula leviora absorberi, qvod experientiâ probatum.

De colorum varietate, qvi spectantur in fluviis fontibusqve, licèt plura dici possent, id tamen vel verbo dixerim, verum esse, in Regno *Congi Africæ*, rivum rubri coloris in mare labi; item prope urbem *Chinon Belsiæ*, (provinciæ Gallicæ) aqvam profluere subflavam: In *Alsatia* in valle S. *Georgii* fontem scaturire aqvæ rubicundæ, undè & nomen sortitum esse Roht-Wasser: *Mœnum* subcœruleas vehere undas: *Werram* & *Fuldam* juxta *Mindam* confluentes distinctum satis diu retinere colorem. De causa facilè judicabit is, qvi in genere fatebitur, colorum differentiam ex luminis in corpus incidentiâ oriri; qvod multis sanè experimentis comprobatum est, nec minùs ex illis rebus, qvæ fundum fluvii sternunt v. g. particulæ argenteæ, æreæ &c. qvæ ex mineris per subterraneos meatus, in fluvios non raro deveduntur. Qvæ res vel oculis patescet, cum qvis vasi indet canaliculos, varii coloris refertos pulveribus, aperietqve exeunti deinde aqvæ viam, qvæ diversis tincta particulis

diverſum retinebit colorem. Et, ſi plebs ignara rerum cauſas dignoſceret, non miraretur, unde nonnunqvam circumforanei uno ex ore diverſi coloris exſpuerint vina.

Qvæſt. IX.

Qvid ſentiendum de proba aqvæ frigidæ in qvæſtione veneficii?

RESP. Diverſa probarum (ut ajunt) genera fuiſſe apud veteres, hiſtoriæ docent. Recepta fuit probatio per ignitos vomeres & prunas: qvâ de re legi poteſt *Delrio lib.* 4. *diſq. mag. qvæſt.* 4. *ſect.* 3. nec minùs per duellum, & ut alia prætercam, etiam per *aqvam frigidam*, cui immerſæ de veneficio ſuſpectæ, ſi non fuêre demerſæ, probâſſe judicatæ ſunt innocentiam, ſi verò innatârunt, pro reis habitæ ſunt. Ego, uti diffiteri non poſſum, rem olim ita contigiſſe, & tamen facilè ſuſpicor, lictorum fraude, tam naturali, cùm inter binos compoſitos afferes veſicarum bullæ inflatæ indi poſſint, qvàm etiam diabolica, homines innocentes reatui iſti involvi poſſe, ita cùm neqve ex naturæ viribus hæc probatio dependeat, neqve ulla Dei promisſione ſtabilita ſit, non poſſum non *Weſtphalicum* illud probandi genus deteſtari. Plura videantur apud *Delrio lib.* 4. *qvæſt.* 2. *ſect.* 1.

Qvæſt.

Qvæst. X.

An detur genus hominum, caput in pectore gestantium.

RESp. Negari non potest, sæpiùs nasci monstra, qvæ consvetum generandi tramitem, hominumqve speciem deformant, qvâ de re præter alios legi potest *Schottus lib. 5. Phys. cur.* à *cap.* 1. usqve ad 30; Et qvidem in specie narratur, natum in *Misnia* infantem sine capite, oculis in pectore positis, & *Wittenberga* anno 1515. puerum absqve capite prodiisse in lucem, sed de his non qværitur, sed *an detur genus hominum, qvod oculos aliaqve sensuum instrumenta in pectore gestet:* qvod omninò nego: id qvidem scio affirmari à nonnullis, qvi rem in majus augent, in regionibus septentrionalibus dari hominum genus, qvi capita gestent in pectore: Sed recentiores scriptores, qvi hanc rem considerârunt exactiùs, id fatentur, capita illorum obtegi ob immane frigus, & ita qvidem, ur pendentibus ab utraqve capitis parte manicis, non possint non procul spectantibus videri caput gestare in pectore.

QVÆSTIONES SELECTÆ.

Q. D. B. V.

Qvæst. I.

Qvid de ſudario S. Veronicæ, & Sabaudica Corporis Chriſti ſindone ſtatuendum?

ROmæ qvotannis, qvô die *Chriſti* in crucem acti recolitur memoria, ad *D. Petri* oſtenditur *ſudarium S. Veronicæ*, ajuntqve, hanc velum capiti detractum *Chriſto* per urbis Solymorum vicos ad ſupplicium abeunti ad cruorem detergendum porrexiſſe, qvi ad vultum admoto ſuam impreſſerit imaginem. *Roſvv. cap. 22. Vita Chr.* addit *Petr. Martyr. Felin. delle coſe maravigl di Roma p. 13. li habitanti di Roma, che vi ſono preſenti &c.* Romanos eô ipsô tempore, qvô id ſpectant, *indulgentias* conſeqvi 3000. *annor.* vicinos 6000. *annor.* cœteros, qvi procul adveniſſent, 12000. *annor. & tot qvadragen. & tertiæ peccatorum partis veniam.* Qvod ſi verò *Principibus* hoc confertur beneficium, ut in manus id ſumant, nemini contingere fas eſt, niſi priùs fiat *Canonicus S. Petri*, & habitu veſtiatur *Clericali*, uti de *Carolo V. Imper. & Vladislao princ. Polon.* refert *Paulus* Piaſec. *in Chron. An.* 1624. Mihi ſanè, qvo plura vete-

veterum recolo atqve recentium, eò magis rerum iſtarum qvas *reliqvias* vocant, obverſantur ludibria, qvibus orbi illuditur: audiatur *Lutherus Sedis Romanæ malleus in libr.* Wider das Pabſt. *An.* 1545. Gleich wie Sie mit der *Veronicken* auch thun/ geben für/ es ſey unſere HErRen Angeſicht in Schweiß-Tüchlein getrücket/ und iſt nichts dann ein ſchwartz Bretlein viereckt/ da hänget ein Klarettlein für/ darüber ein ander Klarettlein/welches Sie aufziehen wann Sie die *Veronica* weiſen/ da kan der arme Hans von Jehne nicht mehr ſehen/ dann ein Klarettlein für einen ſchwartzen Bretlein/ das heiſt dann die *Veronica* geweiſet und geſehen/und hie iſt groſſe Andacht und viel Ablaß bey ſolchen ungeſchwungen Lügen. Hæc ille. Ego hîc primùm miror *curiæ Romanæ* audaciam, dum DEum ipſum per datam ad *ſcrupulos* delictorum veniam qvaſi detrudit ad *lancem*, ut inſpectis primùm literis *collybiſticis* ex Roman. arbitrio rationes computet, annotetqve. De veſtitu Clericali non miror, cùm & *Imper. inaugurandus habitu Diaconi primùm veſtiatur*, ſimulqve huic ordini jam pridem certum, ſtatumqve ſit, vel ex ſolo habitu ſibi ſanctitatis conciliare opinionem, venerationemqve, & procul à ſacris arcere *laicas* manus, veſtesqve, qvippe in qvas, uti in *raſorum* vertices, per *oleum Spir. S.* non defluat. *Sindonem*, cui *Chriſti* poſt mortem involutum corpus, *Turini* apud *Allobroges* oſtentant, & extimâ qvidem parte, uti monet *Gaulter Jeſ.* ambuſtam, qvippe qvæ correptô à flammis ſacrariô adhuc integra, hæc miraculi ſigna retinuerit. Sed ſalus qvidem eſt ex *Sion*, ſed non hac ex *ſindone*. *Interim, ſi ibi non ſit Chriſti ipſius ſindon, fortè eò plura fuere apud Waldenſes Chriſti membra,* poſt *immanes tot miſerorum cædes, qvorum etiam ſanguine idipſum, qvod confictа in ſindone, ambuſtum, ſat ſuperqve perfundi potuit, & qvi avitis expulſi ſedibus, his Veronica* (Ehrenpreiß) *ad firmandos pulmones ex Botanicorum mente opus fuit, ne correpto in itinere anheli, laßiqve procumberent.*

Qvæſt.

Qvæst. II.

An lex 20. Cod. de pœnis à Theodosio auctore Ambrosio lata sit?

RESp. Ita qvidem vulgò ajunt, sed mihi id aliqvantò altiùs expendendum. *Thessalonicenses*, cùm *Aurigam*, qvi ob impuros amores, qvibus adversùs *Butherici* præfecti *pincernam* exarserat, carcere tenebatur, ad *ludos Circenses* frustra repeterent, effusi gravissimam in seditionem, ipsum inter alios *Buthericum* trucidârant. Enimverò *Theodosius Antiochena*, qvæ paulò antè *An.* 388. contigerat, seditionis adhuc memor, acriùs vindicandum hoc facinus ratus, militem certis cum mandatis immisit in plebem, ex qva septem millia cæsa sunt. *Ambrosius* ex eo *Imperatorem Mediolani* ab Ecclesiæ repulit aditu, nec nisi post octo menses, lata priùs lege *de pœnis usqve ad 30. dies differendis*, *actqâve pœnitentiâ publicâ* admisit. Ita *Sozom. lib.7. Hist. Eccles. cap.25. Theodoret. lib.5. cap.* 17. 18. Mihi hîc integrum non est partium excutere jura, qvanqvam illâ tempestate acriori disciplinâ, qvàm nunc, stetit res Christiana, cum priùs foret inqvirendum, 1. *an certi tantùm ex plebe seditionem commoverint, an verò omnis.* 2. *An ob exemplum seditionis Antiochenæ, in qva vindicanda submißi judices & laceßiti injuriis, & præpediti fuerant, spes aliqva fuerit, ut judicium ordine & qvietè exerceri poßet.* 3 *Sin minus, an tum promiscuè in plebem sæviri potuerit?* 4. *An Theodosius peccârit, ob bonum publicum etiam fortè insontes occidendo, & qva sunt alia*; modo sat erit, *Caßii* ex *Tacit. Annal.*14. *cap.* 44. referre sententiam: *habet aliqvid ex iniqvo omne magnum exemplum, qvod contra singulos utilitate publicâ rependitur.* De cœtero lex illa, cujus facta jam antè mentio, hodiè non extat. *Primò* enim *Gratianus*, cujus nomen legi isti in *Cod.* præfigitur, *An.* 383. in Gallia ad Lugdunum occubuit, sed cædes *Thessal.*

An.

An. 390. confecta, dein *Syagrius & Antonius* non *An.* 390. sed 382. fuere Consules, ne qvid de loco dicam, cùm *Theodosiana* lata sit *Mediolani*, sed altera *Veronæ*. Et hæc qvidem constantiùs assero, qvod *Cardin. Baron. & Valesio in not. in Sozom.* eadem placuisse videam.

Qvæst. III.

Qvid de exitu puerorum Hamelensium statuendum sit?

RESp. Fama est, *An. Chr.* 1284. 26. *Jun. die Joh. & Pauli.* 130. pueros ex urbe Hameln per hominem versicolori indutum veste, fistulæ cantu eductos, transiisse in montem, der Koppenberg/ nec visos ampliùs, nisi mutum ex ipsis & cœcum, quorum hic voce, alter oculis epilogum docuerit comœdiæ: portæ, quam *novam* vocant, inscripti hi versus adhuc leguntur hodie

Centum ter denos cum magus ab urbe puellos
Duxerat, ante annos CCLXXII. condita porta fuit.

Prostant & hi apud scriptores

Im Jahr M CC LXXXIII nach Christi Gebort
Tho Hamelen wurden uthgefort/
Hundert und drittig Kinder daselbst gebohrn/
Durch einen Piper daselbst verlohrn.

Plateam urbis, per qvam educti pueri, ajunt vocari ideo die Bungelose Strasse/ qvod ob infelix hoc fatum cautum sit, ne qvis in illa pulset tympana, die Bunge oder Trummel rühre. Qvò verò hi pueri abierint, de eo nihil constat, nisi qvod aliqvi eos in *Transsylvaniam* translatos referant, à quibus adhuc

adhuc hodiè *Saxones* ibidem trahant originem. Ego, etsi fatear admirandas *Musicæ* vires, ut vel in iis, qvi à *Tarantulis* læsi sunt, de qvibus *Kircher. in Musur. & de Magnet*, & serpentibus qvoqve, qvi certo fistulæ cantu eliciuntur, videre licet; hactenus tamen mihi nondum persuadeo, illam de *pueris Hamelens.* historiam esse veram. Altum apud priscos scriptores ea de re silentium, & cur non & de *puellis* mentio, quarum pedes ad musicos concentus pruriunt citiùs: neque platea die Bungelose Strasse qvidqvam probat, cùm non Bungelose / sed Pipe-Flötelose Strasse dici debuisset. Et sanè multa ad nos ex majorum ævo traducta sunt, v. g. hîc apud nos vom Münchelock / von der Hillebille / von den Hünenbergen 2c. quæ ut conficta spernimus. Interim non negârim, forte evenisse aliquid, quod huic fabulæ occasionem viamque straverit, quodque per varias narrationum vicissitudines à parentibus traductum ad liberos, novisque semper corruptum fabulis, ut fieri solet, hanc in famam tandem excreverit. *An.* 1285. ut refert *Chron. Colon. fol. CCXXXIII. Tilo Colup* senex & veterator insignis fingebat, se esse *Fridericum II. Imper.* tantaque hominum multitudo ad ipsum confluxit, ut *Rudolpho Imp.* etiam *Wetzflariæ* diem diceret, postquam *Novesii ad Rhenum* diu cum suis substiterat, principum, urbiumque complures ipsius tutabantur partes. ℣. Jnd was eyn groisse Erecken tho eme van Heren ind van Städen / sed à *Rudolpho* tandem hic *Tilo* de Drögener ut eum appellat *Chron. Colon* captus, exustusqve est. Si quis jam dicat, ex Hamelensibus complures (grandiores etiam appellati use Kinge) ab hoc veteratore seductos, perditosque, & hinc fortè ortam fabulæ materiam, nescio an aberraret. Sed pluribus hæc prosecuturum præfixa meta continet.

Qvæst.

Qvæst. IV.

Qvid de Cappa S. Francisci sentiendum?

RESp. Vastum hactenus fabularum mare *de S. Francisco* inundat orbem, qvæ inter tamen *Melch. Cani* mihi semper placuit judicium, qvod *l.* 11. *Th. cap.* 6. *pag.* 651. hisce proponit. *Dum qvidam affectui suo nimium indulgent, & ea scribunt, qva animus scribentis dictat, non veritas, tales divos qvandoqve nobis exhibent, qvales divi ipsi, etsi possent, esse tamen noluissent. Ecqvis enim credat, divum Franciscum pediculos semel excussos in se ipsum solitum esse rejicere.* Hæc *Episcopus Hispanus.* Et mihi nemo hanc invidebit libertatem, si pernegem, *S. Franc.* sese in luto volutâsse cum porcis, prædicâsse corvis, & piscibus, ad ipsius nutum & siluisse hirundines, & cecinisse, has ab ipso sorores, & asinum, fratrem appellatum, impressa ipsi *Christi* stigmata, & qvæ alia Monachorum obtrudunt somnia. Et facilè crederem, futurum, ut & ipse in lucem redux obstupesceret indignabundus ad illa ludibria, qvibus ipsius *Cappa* hactenùs exagitavit orbem. Postqvam enim *Cappa*, non amplius ex consueto populorum usu, rejecta in humeros cohæsit tunicæ, sed traducta in opinionem sanctitatis in sui venerationem involvit Regum, principumqve capita, DEum immortalem, qvam immanè illusum est orbi! Vel in cunis vagiunt hac in veste infantes, & qvia post obitum gravior semper à diabolo metus, principes etiam & moribundi & mortui *Franciscum* induunt, ut *avidos rapacesqve inferorum ungues hispida hac toga absterreat:* I. nunc, & argue *Pauli* III. *P. R.* curam, qvòd *An.* 1548. per submissos in *German.* Nuncios veniam dederit *Monachis Apostatis, modo sub veste sacerdotis secularis portarent habitum regularem*, uti refert *Suav. in hist. Concil. Trid.*

lib. 3. qvasi verò regnum DEI consisteret in colore, ac forma vestis, qvæ saltem in abdito, si non palam, portanda. Interim de *Cappa S. Francisci* nemo id miretur, cui *Cappa S. Martini in Gallia* tot seculis jam antè prævolitârat, præluseratqve, qvam reliqvis cum *reliqviis* non anxiè modo custodiebant *sacrorum præsides*, (hinc *Cappella*, *Cappellanus*, *Archi-Cappellanus*) sed & in præsidium Regum, fortunæqve columen in bellis circumferebant, ut jam non mirer, *Gallos* qvondam *S. Vitum* invidisse *Germanis*, qvasi cum eo *Gallorum* gloria *Corbejam ad Visurgim* transiisset, qvæ tamen invidia fortè postea leniri potuit, cùm *Saxones morbo Viti inaudiere vexari*: Rem verbo: Postqvam Kappen / Platten / Röcke / Gürtel 2c. cœperunt fascinare orbem, religio obvoluta tenebris, & superstitio, qva data porta, irrupit.

Qvæst. V.

An ipsa nocte Cal. Maji annuus strigum conventus habeatur?

RESP. Ita ajunt, hancqve opinionem Von dem Hexen-Tantz in der Walpers-Nacht / usque adeo imbibit vulgus, ut Herculi clavam facilius, qvàm hanc ei fabulam extorqveas. Mihi res hæc altiùs expendenda, ita tamen, ut dubitanti propior, & inquirenti integro prudentum judicio omnia permittam, Et quidem (1.) Certum est, dari sagas, seu veneficas, qvæ, etiam insciæ, eò magis noxiæ sunt, quò plus habent ex natura bufonum, qvibus præsertim adultioribus oculi vermibus scaturiunt, rictusqve oris adeò inspectantibus horridus est, ut cunctis concutiantur artubus. Qvod dicunt, artem magicam lacte, paneqve butyro illito aliis nonnunqvam indi, fateor, me nondum capere, nisi quòd rebus dulcioribus venenum misceatur faciliùs, qvô eden-

edentium mens turbari possit, uti fit etiam in illis, qvos *obsessos* vocant, iis diabolum certo ciborum genere immissum volunt. De cœtero constat, à Sagis parari unguentum ex certis herbarum, animaliumqve, infantum qvoqve succis, atque adipe, quô illitæ nocturnos ad conventus sese transferri putant, quanquam ea sit illius vis, ut mentem turbet, cerebrumqve variis oppleat imaginibus, qvibus deliræ præsertim vetulæ deludi possunt: Interim non negârim, has mulierculas, criminis socias, nocturnos aliqvando agitare conventus, cùm de veneficiis agendum, sed de illis non est hîc quæstio. (2.) Certum est, vulgus ita mobile esse, ut vera, falsaque ex æquo æstimet, & illa quoque, quæ partem ex vero trahunt, novis fabulis corrumpat. Apud Westphalos audimus indies *V. G.* **Ich wil dich schlagen/ du sollst jodut ropen: in dem Mon sitzt ein Mann/ Von der Frau Hollen/ oder weissen Frau/ Wietzgen/ Wächselbälgen/ Nachtmahre/ von dem Tauben-Jäger oder Hackelberge:** & grande quondam erat nefas, dicere **die Sonne gehet unter/** sed uti hodie quoque, loquendum, **die Sonne gehet zu Gnaden/ gehet zu Bette:** Interim qvibus ex causis hæc ita invaluerint, vulgo ignotum est. (3.) Constat, apud veteres Germanos certos fuisse lucos, & in his sacras quasdam arbores, in qvibus non modò quasi quid divini agnitum, sed & tempore sacrificiorum publicæqve lætitiæ sub illis choreæ ducebantur. Et vulgò qvoqve credebatur, *lares, lemures, faunos, Satyros*, inter qvos apud Boreales gentes *Mimmingus* quidam clarus, *larvas, striges, lamias, manes*, (hi *gasta* vocabantur) illis in locis oberrare, dicebanturqve *Elvarum chorea*, unde hæ quoque loquendi formulæ, **Er ist eylffs/ Er ist eylats/ Er hat das Eilffs auf dem Leibe/** qvasi à lemuribus agitetur. Hinc conversi ad fidem *Chr.* publicè illis renunciabant, ut patet ex formula ante *An.* 800. tempore *Caroli M.* recepta, quam ex antiquis descriptam membranis non tædebit inserere. Q. **Forsachistu Diabolae.** R. **Ec forsache**

Diabolae. Q. End allum Diabol Gelde. R. End ec forsachi allem Diabol Gelde. Q. En allem Diaboles Wercum. R. End ec versache allum Diaboles Wercum/ en Wordum/ Thuna eren de Woden en Saxnote/ ende allem them Unholdum/ the hira Genotes sint. Interim facilè licet cogitare, gentes illas avitæ superstitionis, cui insueverant, nimiùm tenaces, noctu quandoque, cùm de die id facere non auderent, veteres ritus sacris in lucis repetiisse; cujus rei cùm mane deprehenderentur vestigia, mox evulgatum, *strigum* der Unholden/ oder Hexen conventum fuisse, de quo tum varia in vulgus sensim sparsa, quæ an vera sint, prudentes æstiment. Et quidem (4.) probè dijudicandum est, verone similia sint illa, quæ apud *Delrium*, aliosque hac de re leguntur? 1. A*n sagæ, dum transferuntur, insideant baculo, scopis, colo, & qvare?* 2. A*n Dæmon in conventu sedeat in throno in forma hirci aut canis?* 3. A*n ejus S.V. podicem osculentur.* 4. *An Dæmon tum gestet in podice candelam, ex qva sagæ suas piceas accendant?* 5. *An Dæmonem adorent cruribus in altum jactis?* 6. *An missam ibi celebrent?* 7. *An Dæmon, in forma hirci mingat in scrobem & suos hac urina baptizet?* 8. *Cur dicatur, istis in conviviis sal deesse?* 9. *An dorsis obversis saltitent?* 10. *An singulæ sagæ habeant certum ibi dæmonem pro sponso, qvem alibi Martinellum vocant?* 11. *An Dæmones cum sagis concumbant, & cur* D*æmonis semen sentiatur frigidum?* 12. *An & cur is, qvi tympanis aut fistula præludit, sedeat in arbore bifida?* 13. *An segniores in veneficiis à* D*æmone verberentur.* 14. *An hircus ille per flammam redigatur in cineres?* 15. A*n hos cineres velut pulveres virulentos* D*æmon sagis distribuat?* 16. *An in reditu sagæ, si audiant campanas, ex aëre decidant*, & quæ alia vulgò sparguntur his de conventibus. Et hæc quidem de Sagarum conventu in genere, sed de Cal May observandum 1. Olim apud veteres hôc ipsô die fuisse festum larium, quorum

ad

ad pedes fingebatur canis in atrio, simulque *Bonæ Deæ*, cujus sacris, & tempore quidem nocturno fœminis duntaxat licebat interesse; hæc si quis cum iis, quæ supra jam dicta sunt, in specie, de *Dæmone in forma canis* & **von der weissen Frau/ oder der Frau Holle/** quasi **Holde/ gute Frau** de sacris fœminarum nocturnis conferat, fortè aliqvam popularis hujus fabulæ occasionem subodorabitur. Adde **2.** ad ædem *Walpurgis* Virginis Anglicanæ A*n.* 750. mortuæ, atque in cœnobio **Heidenheim** sepultæ ingentem hoc ipso die confluxisse hominum multitudinem, præsertim postquam evulgatum est, effluere oleum *Cal. May* ex argentea ipsius tumba, quô ægri illiti sanentur: hinc fieri potuit, ut mulierculæ, quasi ex jure sexûs aliquid præcipui sibi vendicantes, simulque ratæ, hanc ipsam noctem plus habere virium, uti in certarum collectione herbarum vulgò cernimus, sibi parârint oleum, unguentumque, quod posteri rerum ignari iniquiùs detorserint. Et quia singula multa juvant, non tædebit 3. exscribere verba ex *dissert. de tonsura Childerici* §. 3. Quando imminebat primus ille *Maji* dies, qvô Rex abditus totô annô villæ suæ parietibus suorum oculos subiturus erat, ingens hominum multitudo, & rei novitate, & Regis videndi desideriô suis excita sedibus facilè confluxit, &, ut his in rebus fieri solet, qvarum tædiosa expectatio brevioris etiam noctis moram incusat, lætam tripudiis noctem agebat, ut morantem auroram provocaret. Cumqve sub illa tempora urbes in Germaniâ propemodum nullæ, alibi ad Rhenum, Regumqve sedem essent pauciores, in montium jugis, campisqve publica hæc lætitia exacta est, ceteris qvoqve, qvi domi remanserant, noctem, diemqve, in qvem, qvippe omnibus festum publica hæc lætitia indicta erat, per sueta tum gaudiorum signa absumentibus. Interim, licèt *Pipinus*, ejusqve posteri illam *Merovingorum* in abdito vivendi rationem immutârint, sustulerintqve *Majalis* lætitiæ causam, perdurabat tamen memoria veterum, & diei illius, qvem recepta jam olim

con-

consuetudo publicæ lætitiæ dicârat, solennitas. Prisci hujus moris vestigia nobis adhuc hodie exhibent betulæ, frondesqve, die May-Bäume/ qvas ipsa nocte Calend. May aliorum manu aut in benevolentiam, aut in spem lucri præ ædibus surrexisse cernimus, simul alibi illum ipsum diem genialiter transigi. Postqvam autem ii, qvi sub *Merovingorum* tempora vixerant, excessêre è vivis, remanebat qvidem in nepotibus aliqva pristini moris imago, sed causa ignorabatur. Unde cùm sensim ad pauciores, & fortè etiam è seqviore sexu, qvem pes lætior magis ad tripudia exstimulat, exoletæ hujus festivitatis usus transiret, facilè fieri potuit, ut prisci moris ignorantia strigum conventum appellârit, & ad posteros eadem opinio traducta sit, & vario rumore jactata, *dum alii qvoqvo modo audita pro compertis habent, alii vera in contrarium vertunt, & gliscit utrumqve posteritate, Tacit. Annal.* 3. Hæc sunt, qvæ hac super re prudentum judicio excutienda permitto, mihi satis est, non sentire ex more, & ore vulgi: neqve hîc necesse est adire den Blocksberg/ adeant vetulæ, & si saltando fauces aruerint, id saltem habebunt beneficii, ut ad pedem montis auß denen zwo eisernen Kellen possint aridas, raucidasqve fauces proluere.

Qvæst. VI.

Qvid de vitulo aureo judæorum sentiendum sit?

RESp. Animus mihi erat, hanc rem pluribus perseqvi, sed præfixa meta typum duntaxat exigit dicendorum, & qvidem 1. Judæi cultus *Ægyptii* adhuc memores *Apim*, qvem *Ægyptii* venerabantur, sibi formârunt opere fusorio, in eoqve varias *Apis* figuras decircinârunt, an id factum sit

astu

aſtu *Magorum Arab & Rab* qvi laminam, in qva *Moſes* hæc verba שור עלה שור עלה *aſcende bos*, *aſcende bos* ſcripſerat, ut *Joſephi* tumba ex *Nilo* aſcenderet, in cupellam projecerint, & ex eo vitulus exſurrexerit, viderit *R. Salomon* cum Rabbinis. Interim 2. non fuit tantum caput vituli, ſed integer, & qvidem non *vitulus*, uti vulgò dicitur, **das Kalb** *Moſis* ſed bos. 3. Aurum illud fuit ex ſpoliis, qvæ ex *Ægypto* ſecum attulerant 4. ex *R. Salom.* ſententia conſtabat hic vitulus 125. *talentis*, ut patet ex reſolutione vocis מסכה מ 40. ס 60. כ 20. ה 5. *Summa* 125. 4. Hæc peracta eo tempore, qvo duorum ſuperiorum planetarum fuit *conjunctio magna*, uti obſervat *Abenezra*, qvod ideò noto, ut recolamus animo, ante paucos annos fuiſſe qvoqve conjunctionem illam magnam, & qvæ mutationes variis in regnis, in Gallia Anglia &c. eruperint, Galloſqve patriis extorres ſedibus Hebræorum fortunæ ſocios. Et ſane hactenus nunqvam hæc evenit *conjunctio*, qvin graviſſimæ in ſacris profanisqve mutationes ſubſecutæ ſint. Sed hæc ad Aſtrologos remitto. Cur autem judæi poſtea bovem, atqve arietem immolârint *Tacit.* qvoqve *lib. 5. Hiſt. cap.* 4 innuit.

Sed de his alias.

ΠΕΝΤΑΣ QVÆSTIONUM HISTORICARUM.

Q. D. B. V.

Qvæst. I.

Unde hæc loqvendi formula, Ich wil dich schlagen/ du solst Jodut ruffen/trahat originem?

RESP.

SÆva interminantium vox hic *Rinthelii*, alibiqve etiam apud *Westphalos* auditur indies, **Ich will dick schlaen/ du schalst jodut ropen/** sed unde hic *jodut* minacibus his verbis se semiscuerit, vulgo ignotum. Lubet rem altiùs primis à principiis repetere. *Andr. Severin.* qvidem in *Annot. in cap. 6. lib. 1. Histor. Adam. Bremens.* ait, apud *Saxones* qvondam, & *Cimbros* imperante *Carolo M.* alias adhuc præter *Irmensul* fuisse columnas, & eas inter, unam *Crodoni* in **Harteschburg** positam, unde & hodie execrationis formula, **du Krótendüvel** / alteram **jodute** appel-

appellatam; ſed errat, cùm jodut ad propiora nobis tempora referenda ſit. Et qvidem *Helmold. lib. 1. Chron. Slavor. cap. 40. Albertus Abbas Stad. in Chron. Gobelin. in Cosmodr. at. 6. cap 58.* aliiqve memorant, An. 1115. *Henricum V. Imper.* à *Lothario Saxon.* Duce prope *Helmſtadium* ad *Sylvam Welfonis* bey den Welfſſnholtz bey Helmſtädt uffm Lerchenfeldt acie victum: Ex quo *Lotharius* trophæum erexit (armatus is miles erat, dextrâ clavam ferream geſtans) *Sancti Adjutorii* primùm nomine à doctis appellatum, credo, quod *Lotharius* inaudierat, à *Carolo* etiam *M.* poſt devictos *An.* 783. in Comitatu *Diepholdano* ad locum *Dietmelle Saxones* Sacellum à *divino* dictum *auxilio* Sünt Hülpe/ extructum, quod ſuperiori demum Seculô ob immanem illuc concurrentium ſuperſtitionem deſtructum, deſertumque eſt, vid. *Eginh. Anonym. Annal. Caroli M. lib 2. An.* 783. & *Annot. Reineccii Steinhem.* Illudqve trophæum *Sancti Adjutorii* ſenſim apud ignaros corrupto verborum ordine, ſenſuque S. jodut peperit, idolumqve illud non modò cultum ab accolis, donec *Wernerus Mersburg præſul.* id demolitus eſt teſte *Crantz. Metropol. lib. 6. cap 7. Saxon. lib. 5. cap* 36 ſed & adhuc hodie inter minaces obteſtantium voces jodut perſonat. Ità latina mater, *Sanctum Adjutorium*, germanicam prolem ſünt jodut monſtroſo partu effudit, obſtetricante ignorantiâ, dum plebs lubrica, & in ſuperſtitionem proclivis verſo rerum ordine nonnunqvam Deos ſibi fingit, non alibi, niſi in lingua voceqve duraturos.

Qvæſt. II.

An ſtatuæ Rulandi in nonnullis Saxoniæ urbibus à Carolo M. in ſignum libertatis erectæ ſint?

ROlandus ex *Berta Caroli M.* Sorore ob vastam corporis molem ferè Cyclopum frater, post res præclaré gestas tandem in montibus *pyrenæis* ab expeditione hispanica redux *Vasconum* dolô vulneribus, sitiqve confectus occubuit, meruitqve non modò *Caroli* post cædem lachrymas, & flebile carmen, sed & apud plures nostrâ qvoqve ætate hanc reliqvit opinionem, quasi *Carolus* tanti ducis prosecuturus memoriá in nonnullis *Saxoniæ* urbibus *Rolandi* collocârit statuas, in libertatis signum perstituras. Tales colossi conspiciuntur adhuc *Regiomonti*, *Prinslaviæ*, alibiqve, & grande qvondam dederunt impatientiæ documentum *Hamburgenses*, dum libertatis suæ custodem *Rolandum* à *Carolo IV Imper. Holsatiæ comitibus* parere jussi, qvasi depontanum, & effœtis jam senem viribus non passuri ultrà, dejêcere, uti refert *Decanus Hamb. Crantz. lib.* 10. *cap.* 2. Miser mehercle *Rolandus*, qvi siti primùm extinctus apud *Pyrenæos*, demùm post tot annorum seriem, Hamburg. edicto, cadenti indolentium libertati *Albim* epotavit.

Interim Illustris *Conringii* hactenus mihi semper perplacuit judicium dum hos *Rolandi* colossos post an. Chr. millesimum primùm erectos asserit. Et sanè, ut prætercam, tempore *Caroli M.* nullas *Visurgim* inter & *Albim*, imò & totâ ferè *Germania Cis-Rhenana* extitisse urbes, sed sub *Henrico Aucupe* primùm exortas, & *Ottonibus*, uti de *Misna*, *Qvedlenburg*, *Mersburg*, & *Magdeburg* ex *Widekind. lib.* 1. *Saxon. Dithmar. lib.* 1. *Sigebert. ad An.* 925. constat, certum est, *Hamburgum*, Hudtbecke/ Hubbocke/ Hochbuch dictum ab initio, *burgum* seu *Castellum* primò fuisse contra *Slavos An.* 810. erectum seriusqve clausum mœnibus, transiisse in nomen urbis, *V. Annal. Franc. ad An* 807. *Albert. Abbat. Stadens. ad An.* 811. Qvid? qvod *Francorum* sub Imperio nullæ *urbes liberæ* seu *imperiales* fuêre, sed cunctæ regebantur per *Comites*, *Missosqve regios*, imò ferè ad *Friderici I.* usqve tempora omnia

regalia

regalia, uti vocant, quibus hodie gloriantur urbes, ad regium pertinebant fiscum, V. *Radevic. lib.* 2. *cap.* 5. Neqve tum pro fabulosa illa libertate rugiebat *Rulandus*, cujus statuam devictâ in *Saxonia* à *Carolo* triumphante, cui tamen hoc in bello nunqvam comes adfuit, esse positam qvis asseret? Apud *Britannos*, *Normannosque*, etiam, postea quidem increbuit *Rolandi* nomen, usque etiam ad certum carminis genus, *Cantum Rolandi* dictum, quo bellatorum animos sub prælii initium accendebant, uti de *Wilhelmo Normanniæ Duce*, qvi *Anno* 1066. *Angliæ Regnum* subegit, *Matth. Paris. in prologo Histor. pag* 3. *col.* 1. memorat, sed de susceptis ab eo in *Saxoniam* expeditionibus altum hactenus apud Scriptores silentium vetat, contumaciùs asserere, *Rulando* nihil tale promerito duraturas pro urbium libertate statuas ipso ab Rege erectas esse. Interim, quo ex saxo hæc de Vindice libertatis *Rulando* fabula exsculpta sit, non tædebit subjicere. Locus *publici judicii Francorum* tempore dicebatur *Mallum publicum*, eine Mahl-Stette / da man frey Käyserlich Gericht hält / ità scribente ad *Tremonienses Carolo M. mitto ad vos Trutmannum virum illustrem, qui resideat in curte ad campos, in mallo publico ad universorum causas audiendas, superqve Vicarios ac Scabinos diligenter inquirat & advertat, ut officia sua sedulò peragant*, & quoniam Veteri *Saxonum* idiomate, causam proponere, sententiamque ferre in judicio, dicebatur rügen / qvæ vox & Matth. I, 19. loco παραδειγματίσαι retenta est ab interprete, und Joseph wolte sie nicht rügen / *locum judicii* seu *mallum publicum* Rügelandt / appellarunt, cumque hoc *Mallum* die Mahl-Stette / erectô, ut fieri nonnunquam solet, saxô notarent, lapsu temporis abeunte sensim ex hominum animis Veterum memoria, artificum manu *Rulandus* excrevit, qui dubius fluctantis, vacillantisque libertatis vindex, aut auferret assertæ præmium, aut pœnas lueret non defensæ.

Qvæst. III.

Qvænam ſit origo ordinis Aureæ periſcelidis?

ORdo *Garterianus*, ſeu *aureæ periſcelidis D. Georgio* ſacer *An.* 1348. *in Anglia* ſub *Eduardo* III. cœpit: occaſionem fuiſſe hanc memorant Scriptores: Inducias ſe inter, & *Philippum Valeſium G R.* quocum de *Franc.* regno decertabat, tres proximos in annos pactas *Eduardus* ludis & conviviis tranſigebat, eamqve in rem cùm ſuos evocâſſet Proceres, defluentem ex *Comitiſſæ Salisberienſis* genu ferventes inter choreas tibialem faſciam amicâ, facilique manu levârat, quod, cùm arctioris ſuſpicionem amoris ingereret adſtantium animis, flexo leniter eorum ore à Rege compertam, *ordinem* hunc *Tibialis faſciæ* inſtituiſſe creditur, ſimulqve hoc ſymbolô ingruentem depuliſſe ſuſpicionem *Honny ſoit, qvi Mal y penſe*; hicque ordo inter choreas primùm, ludosqve natus, procerum poſteà, & *Anglorum*, & *Gallorum &c.* qvos contra Philippum ſuas in partes trahebat *Eduardus*, implicuit pedes, relictô etiam exteris exemplô, qvo levi impenſa, cui plurimus honor adjunctus, parari poſſint ſocii, darique juſta maximis etiam facinoribus præmia, qvod ſagacisſimum *Franc.* Regem *Ludovicum XI.* inſtituto poſteà in honorem *Angeli Michaëlis* ordine providè accurâſſe narrat *Joh. Buſſier lib.* 13. *Hiſt. Franc. num.* 12. Tranſieritne ſub hæc nota contumeliæ, injuriæqve plena vox Hundsf. ad Germanos, qvod ſermonis gallicani ignara plebs verba *Honny ſoit*, ità pravè detorſerit, neſcio, an ſat decorè inqviri poſſit. Id conſtat, jam ante in Anglia certa fuiſſe vocabula, qvibus illata contumelia: *Wilhelmus* II. (verba ſunt *Matth. Paris. ad An.* 1090. *fol.* 10. 11.) *juſſit ſub nomine Dithing, qvod latinè neqvam eſt, adeſſe milites ad obſidionem caſtri Roffenſis, hinc, qvia nihil con-*

contumeliosius ac vilius esse putant Angli hoc nomine, *omnes ad Regem confluxere*, & *Rex Gall. An.* 1213. *in expeditione contra Johan Angl. R. in octavis pascha jussit omnes adesse sub nomine Culvertagii fol* 161. qvod, uti *Glossar.* explicat, *Anglicè & Gallicè antiqvitùs fuit columba*, *seu ejus pullus*, *qvod est animal timidum.* Forsan autem propior ex veteri apud Germanos consuetudine trahi poterit origo, qvâ cautum fuit, ut, *si qvis nobilis*, *ministerialis*, *vel colonus coram suo judice pro certis excessibus* (loqvor cum *Otton. Episcop. Frising. lib.* 2. *de reb. gest. Frider. Imp. cap.* 28.) *reus inventus fuerit*, *ad confusionis suæ ignominiam nobilis canem*, *ministerialis sellam*, *rusticus aratri rotam de comitatu in comitatum proximum gestare cogatur*, qvod adductis hanc in rem magnorum etiam virorum, principumqve exemplis ex *Widek. lib.* 2 *Saxon. Dubrav. lib.* 10. *Hist. Bohem. Dodechin. in Append. ad Marian. Scotum An.* 1155. *Trithem. in Chron.* Hirsaug. *Arnold. Abbat. Lubec lib.* 7. *Chron. Slavor. cap.* 2. *Gunter. Ligur. &c.* hîc comprobarem, nisi mihi animus esset, per aliam occasionem de hac κυνοφορία, recepta apud *Francos*, *Svevos*, *Saxonesqve* antiqvo pœnæ genere, pluribus agere; modo satis erit, insinuâsse, hisce præfectos canibus dictos esse Hundsfaut/ veteri vocabulo pro Vogt/ uti Hünerfaut/ ꝛc. Qvæ vox tracta dein in ignomiam, uti & Schinder/ Häscher/ Packan/ Büttel/ ab ignaris scribi aliter, exprimiqve cœpit, & emissa in illos, qvos iræ nostræ, velut dignas contumelia victimas immolamus.

Qvæst. IV.

Qvid de Arbore Jovis (von der alten Eichen bey Geißmahr) à S. Bonifacio in Hassia prope Geismariam succisa statuendum sit?

Uti

UTi apud *Gudensbergenses* in *Haßia*, vicinosqve accolas sueta adhuc hodie loqvendi formula Karls-Kirche / Karls-Kamp / die Streit-Hecke / Carolini ævi, seqviorumqve temporum retinet memoriam; ità apud *Geismarienses* bey der alten Eiche / etiam ascenditur altiùs, perduratqve succisæ jam *ante Carolum M.* in *Arbore Jovis* Gentilium superstitionis recordatio: dabimus id Majorum reverentiæ, & prægrandis hujus segmenta qvercûs post tot secula futuram præsentis materiam operis venerabundâ manu colligemus.

§. I. Et qvidem I. Wunefridus ab *Anglia* monachus, qvem primùm *Romæ Gregorius II. Bonifacium* dixerat, *An.* 724. redux in *Haßiam*, fultusqve *Caroli Martelli* Francorum *Principis* auctoritate, proborumqve subsidio *arborem qvandam miræ magnitudinis* (loqvor cum *Othlono de vita S. Bonif. cap.* 27.) *quæ priscô paganorum vocabulô appellabatur arbor Jovis, in loco, qvi dicitur Gesmere, servis Dei secum adstantibus succidere tentavit, sed dum arbor eadem paululùm incideretur, mox qvasi nutu divino agitata in qvatuor partes disrupta est. Tunc S. præsul consilio inito cum fratribus ex illa ingentis arboris mole oratorium construxit, hocqve in honorem S. Petri Apostoli dedicavit*, qvod posteà temporum lapsu in perinsignem, peramplamqve ædem, prout etiamnum cernere est, excrevit, pago qvoqve ipso *Geismaria* in urbem abeunte. Ruinam arboris non sinè fragore humum excepisse, uti nemo mirabitur, ità, levi sauciam ictu qvassâsse verticem, subitoqve velut indignatam procubuisse solo, ad scriptoris credulitatem monasticam (1051. sub *Leone IX.* & *Egberto Abbate Fuldensi*, ut ipse monet in *prologo*, is vixit) facilè retulerim, qvippe qvæ fœcunda fingendi, in famam operis, magnitudinemqve non habitura fidem apud posteros sæpe comminiscitur, & etiam fortuita plerumqve, ac vana illuc detorqvet vid. etiam *Saxon. Grammat.* de simulacro *Svvantovith. lib.* 14. *Hist. Dan.* qvem pari credendi facilitate *Stephanius* qvoqve *in not. p.* 247.

secu-

ſecutus eſt. Fuiſſe autem hanc arborem prægrandem, atqve annoſam *qvercum*, nemo negabit, cùm veteres Germani hoc maximè arborum genus dicârint Diis, uti præter alios *Marcus Velſerus lib. 5. Rer. Boicar.* obſervat, & refert qvoqve Hartknoch *in Annot. ad Chron. Boruſſ. Dusburg. p. 115.* qvatuor olim apud *Boruſſos* eminuiſſe qvercus. 1. *Romoveanam, cujus truncus tres in ramos findebatur, hiqve poſteà coaleſcebant iterum, erantqve Deorum ſedes, pluviæ non fuit pervia, manſitqve etiam de hieme viridis, diameter ad 12. ped. geometr. protendebatur, Sec. X à Bogulao 1. exciſa eſt, 2. ab Heiligenbiel. 3. ingentis proceritatis. 4. tanta fuit, ut excavatam eqves ingredi, eqvumqve in gyrum circumagere potuerit, prout Albertus I. Boruſſ. Dux id ipſum ſuperiori ſeculô expertus eſt ad oppidum Welau.*

§. II. Et hæc erat qvondam Germanorum religio, qvi, ut ſcribit *Tacit. cap. 9. Germ. lucos ac nemora conſecrabant, Deorumqve nominibus appellabant ſecretum illud, qvod ſolâ reverentiâ videbant.* Qva in re uti Majorum ſuperſtitionem non collaudavero, ità ſaltem faciliorem à *Botanicis* ſperabunt veniam, qvi herbas qvoqve DEI, Sanctorum, aliorumqve nominibus inſigniunt. *Serpillum Veneris iis eſt*, unſer Frauen Bette-Stroh / *Balſamita* unſer Frauen Müntze / *Orchis palmata, palma Chriſti, ſempervivum, barba Jovis, pimpinella ſanguiſorba, barbula DEI, lithoſpermium arundinaceum, lachryma Chriſti, Aſter luteus, oculus Chriſti, viola tricolor, herba Trinitatis,* Dreyfaltigkeit Blumen / *Angelica* Heiligen Geiſt Wurtz: *perſonant apud eos nomina*, der gute Henrich / St. Peters Schlüſſel / St. Jörgen Kraut / St. Johannis Kraut / Johannis Gürtel / Ottilien Kraut. 2c. Et neſcio, an non inſultantem qvoqve ſibi *Bonifacium Geismarienſes* ſubmonere potuisſent, qvod *Jovem* qvidem dejeciſſet ex arbore, ſed novum ex urbe Roma è Vaticano, *S. Petrum* facto ex arboris trunco ſacrario includeret. Fueritne autem hac ſub qvercu *Jovis ſtatua*, in dubium trahi poterit, cùm de *Germ.* narret *Tacit. nec cohibere parietibus Deos, neqve in ullam humani oris ſpeciem*

aſſi-

aßimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur, qvanqvam *signorum* meminerit & ipse & facilè qvoqve crediderim, illa ætate per *Rom. Francorumqve dominationem* multa à primis institutis abiisse, præsertim cùm & fœminarum, qvas locô Numinis habuerant, interqve eas *Aurinia*, de qva *Tacit c. 8. Germ.* post mortem sensim exprimerent simulacra, è qvibus ea, qvæ de *Alraunis*, Alruhn/Alrühngen/ vulgò sparguntur, facilè explicaveris; præsertim, si Matthiol. quoque lib. 4. cap. 72. adjunxeris, & stetisse qvoqve apud *Franckenbergenses* Hammonem, recurvis insignem cornibus, sed à *Bonifacio An.* 736. destructum, memorant, qvibus si famam de gentilitii *Malsburgiorum in Haßia* scuti origine, (*simulacrum est Virginem ad brachia usque deglutiens*) vulgatam à Majoribus, post captum sub *Carolo M. Anu.* 777. à Nobili Franco castrum Malßburg libuerit adjicere, eò plura jam erunt deasciati stipitis, Numinumqve per statuas adoratorum monumenta. Et fortè sub forma hirci visus Geismariæ *Jupiter* veteri ex more, indiditqve loco nomen Geißmahr, cùm Mahra/Nacht-Mahr/ spectrum nocturnum, Geiß Capram denotet. Sed hæc tantùm divinaverim.

§. III. Qvibus autem ex causis qvercubus, vastisqve lucis tantùm religionis tributum sit à Majoribus, lubet aliqvantò altius inqvirere. Et qvidem ingressi lucum, cùm cernerent secretum ab omni voce locum, obscurumqve aërem connexis arborum ramis cingi, lentè fluentibus, per gramina rivulis, ac subinde, si fortè horrentibus pressa pectore excidebant verba, inaudirent aut levi murmure per arbores ambulantem vocem, aut loqvacius per Echo redditam ab antris collibusqve, attoniti primùm sacrô silentiô anxiam mentem revocabant in se ipsam, ac crescente dein formidine, uti fieri assolet, cùm per ignorantiam, qvæ superstitionis mater est, ab rerum istarum arcerentur cognitione, ipsum Numen, præsidesqve loci Genios adesse autumabant. Crescebat sub hæc loci reverentia, postqvam

videre

videre ſacerdotes, aut ab arborum, herbarumqve effluviis, ut vocant, quorum motum Solis radii, qvippe qvibus impervii erant luci, haud turbabant, aut cavernarum antrorumqve ſpiritibus, ſacrisqve undis, qvibus mens per afflatum movetur, in futurorum rapi prædictiones, uti *Plutarchus* περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων ex Philoſophiæ abditis ſapienter explicat: Et ſanè vel noſtrâ ætate vaſtæ illæ templorum moles ac delubra, præſertim, qvæ Sabæô vaporant thure, ac diurnis nocturnisqve lucernis, cereisqve collucent, hæc ipſa comprobant, cùm ſubmotô de nocte ſole redux quies, particularum ita immutet ſtatum, ut leni duntaxat allapſu præſentium allambant membra organaque, & attractæ quoque per reſpirationem, molliorem pietatis ſenſum inſpirent, dum omnia ſacrô ſilentiô, ac formidine horrent, mentemque ità diſponunt, ut roborata imaginandi vis rerum formas ideasque faciliùs queat recipere. Cum hæc inter diverſa lignorum, ut *quercus*, *Abietis*, aliorumque genera, noctu perſæpe canoro crepitu, Vitrioli, reſinæque emiſere particulas, timidis primùm auribus commiſere ſonitum, ſimulque illapſi per foramina, uti in furnis cernimus, venti, quaſi cum gemitu triſte murmur, aut illuni nocte fractos, fluctuantesque Lunæ radios nictantibus viderunt oculis, fieri potuit, ut obambulantes Genios, lemures, ſpectraque crediderint. *Quercum* autem præ cæteris arboribus ſacratum Diis, nemo mirabitur, qui annoſum robur, nec moriturum ſeculo cogitabit, ſimulque diffuſis latè patentibus ramis Majeſtatem, quam, nec folio impunè carpto, uti in pagis nonnullis hæc in *tiliis* majeſtas adversùs avidas ſecura manus hodiedum adhuc perdurat, delibâſſes. Et quod ſi jam quercuum virtus, ut facilè crediderim, innotuit majoribus, quid miri, ſi cæleſtibus ipſam dicârint, præſertim poſtquam *Jovis* igne eam præ reliquis tangi ſæpius conſpexere. Pueri, ut curetur *hernia*, per fiſſas trahuntur quercus, quod vitriolo adſcribunt, eaque

dominatur astrigendi vis, ut glandes in *diarrhæa, lyenteria* ac *dysenteria*, & glandium calices, cupulas vocant, corticemque medianum conficiendo *Comitissæ varigniana unguento* adhibeant, & ipsum quoque *viscum pleuriticis Epilepticisque* commendent, ut de foliis nihil dicam, quorum *aqua stillatitia hæmopticis*, iique, qui *menstruis* nimiis laborant, propinari solet. An forsan etiam per crassiores vitrioli, quod est in quercubus partes imaginandi vis roborata sit, faciliùsque rerum imagines receperit, per tenuiores autem, velut per sal volatile mens ità nonnunquam in sacerdotibus per spirituum fermentationem mota sit, quasi divino afflata numine, nolim hîc anxiè inquirere.

§. IV. Interim uti *Bonifacium Geismarienses* ob *Jovem* dejectum, quanquam integrâ id arbore confieri poterat, sparsaque, licet impuriùs, religionis Christianæ semina haud ingrati collaudabunt, ita ab ipsius, credo, modestia facilè impetrabunt, ne beneficium in immensum imputet, si forsan rituum, quos ab urbe *Roma* attulerat, obliti simpliciùs de divinis nunc sentiant, & ut ex adverso illum fervorem, quo in *Virgilium Salisburg. Episcopum aliàs inquæst.* *An dentur Antipodes? An Baptismus hac formâ, Ego te baptizo in nomine patria, filia spiritua sancta, peractus validus sit?* (qua de re V. *Dücker in Chron. Salisburg Aventin. lib. 3. Annal. Bojar Zachar. p. R. Epist. ad Bonif. apud Othlon. lib. 2. cap. 4.*) contra sapientiæ leges exarsisse scribitur, in maledicum *Serarii* os exerat, *Geismariæ* exprobrantis atrociùs *lib. 3. Rer. Mogunt. Annot. 19. pag. 471.* quod, *proh nefas! extructoris (sacrarii) primique Christiani doctoris sui doctrinam ac religionem amiserit*, quam nec ipse *Serarius* integram apud suos reperiet, si vel hæc verba ex *Epist. Gregor. II. ad Cler. ac populum Germ. apud Othlon. lib. 1. cap. 23.* relegerit: *Sancti autem Baptismi sacramentum non nisi in paschali festivitate, & pentecoste noverit esse præbendum, exceptis iis quibus mortis urgente periculo &c.* qua de re *V. D. plura in*

differt.

dissert. de Dominica in Albis von dem Witten Sonntag. Non æstimanda quævis ex Majorum ætate, sed tribuendum etiam nonnihil Nepotum Sapientiæ, dum vana superstitiosæ mentis commenta ad præscriptas à ratione leges revocat, corrigitque nonnunquam, quæ cœca antiquitas invexerat. Hæc si à *Bonifacio* impetrârit *Geismaria*, concinet ex *Letznero*.

Das Sein hat Bonifacius
 Gethan/ und wohl gerichtet auß/
Durch GOttes Geist/ und starcke Hand
 Bekehrt Hessen-und Düringer Land/
Die Götzen-Häuser umgestossen/
 In Sachsen auch viel umgeworfen/
CHristum zum Heyl geprediget hat/
 Erhaben hoch Gotts Wunderthat/
Damit das Volck zum Christenthum
 Gebracht hat von dem Heydenthum.

Quod si autem velut *legatus Apostolicæ sedis*, ferocior, & *Germanorum Apostoli* superbiens nomine acerbiùs adhuc insultet *Geismariensibus*, nescio, an obliti reverentiæ, exquisituri sint, *quô jure Pipinum An. 752. apud Sveßiones detonso in Monachum Childerico (v. dissert. de Tonsura* Childerici*) in regem inunxerit?* quid fuerit necesse tot literis fatigare *Zachariam*, miscereque querelas, quæstionesque *de tempore lardi comedendi, de leporibus, ciconiis, equis sylvaticis &c.* quasi ex Italia ab urbe *Roma* à S. Petri successore primùm docendi *Westphali*, quo tempore lardum comedi debeat; Ità namque rescripsit *Zacharias* apud *Othlon. lib. 2. cap. 14. Nam & hoc inquisivisti, post quantum temporis debeat lardum comedi. Nobis à patribus institutum pro hoc non est. Tibi autem petenti consilium præbemus, quòd non oporteat illud mandi,*

 prim-

prinsquam super fumo siccetur, aut igne coquatur: si verò libet, ut incoctum manducetur, post paschalem festivitatem (wann der Kuckuck geruffen) *erit manducandum.* Digna petasone sententia, mirum, oblitos farciminum, nullamqve de faliscis, lucanicis, botulis, hillis, tomaculisqve mentionem injectam, aut quamdiu lardum in muria macerandum, qvasi illud ævum fuerit adeò rude ac simplex, ut cum N. N. uti fabula est, crudæ adhuc in hortis brassicæ destinatum in epulas lardum, sed raptam dein à canibus prædam, imposuerint.

Qvæst. V.

Quæ sit origo confraternitatis Hasso-Misnicæ, quibusque hæc casibus ad nos usqve agitata?

§. I.

HErmannus *Hassiæ & Thuringiæ Landgravius Juttam* ex *Sophia Saxonica, Diederico Misniæ Marchioni* postea nuptam, suscepit, qvæ dein filium Henricum (Lahmetsch ex Chron. Ms.) reliquit; ex *Sophia* autem *Bavarica, Ludovicum, Conradum*, atqve *Henricum*, qvorum ille *Sophiam*, datam *Brabantiæ Duci* conjugem, & ex ea nepotem *Henricum*, das Kind zu Brabandt habuit superstitem, iste *Teutonici Magister ordinis*, hic adversùs *Fridericum II. à Mogunt. Colon. Trevirensi* electus *Imperator*, dictusqve teste *Monacho Paduano lib. 2. Chron. Rex clericorum* der Pfaffen-König/ *Anno* 1247. saucius ex *Ulmensi* obsidione in *Thuringiam* redux & vitæ, & masculæ simul *Landgraviorum* stirpi finem fecit. Nata ex eo de successione lis *Henricum* inter *Misniæ Marchionem, Henrici* Regis ex sorore nepotem, & *Sophiam Brabantinam*, ejusqve filium *Henricum*, qvæ inter mihi hic animus non est, in

par-

partium inqvirere jura, *fueritne Marchio, quippe natus ex Henrici sorore propior, & ad hæc à Friderico Imper. jam ante destinatus successor (exspectativam vocant) simulqve à Thuringis accitus in principem*, modó sat erit, insinuâsse, turbidum fuisse illo tempore Imperii Germanici statum, qvi non legibus, sed armis (dem Faustrecht) ad usqve *Rudolphum I.* rerum istarum permisit arbitrium, neqve hîc dijudicarim, administraritne primùm *Sophiæ* nomine, datus ab ea provinciæ procurator, aut præses *Thuringiam Marchio*, uti refert *Chron. Ms.* at postea consilio *Helvici de* Schottheim Aulæ Magistri, ejusqve fratris H*ermanni*, abjecto administrationis nomine, velut ex jure sibi debitam retinuerit! id certum, *Sophiam* post elapsas inducias *An.* 1255. ex *Brabantiâ* reducem, tracto in partes *Albrechto Brunsvic. Duce*, firmatoqve per ejus seu filiæ, seu sororis cum filio *Henrico* nuptias fœdere *Marchioni* intulisse bellum, in qvo improsperè pugnatum ab *Albrechto*, captusqve à *Rudolpho de Varila* tandem *An.* 1263. *octo* (non *octodecim*, ut *Dillich.* numerat) *marcar. millibus*, seu 32000. aureis, traditisqve octo urbibus, arcibusqve ad *Vierram* Eschwege/ Witzenhausen/ Allendorff/ Wanfriedt 2c. libertatem emit. Fuerintne hæ urbes sub hujus initium dissidii ab *Albrechto* interceptæ, velut jam vacuæ, dubiiqve juris, ut fieri nonnunquam solet, & *Sophiæ* ipsi jam antea præreptæ, non anxiè inquisiverim, id constat, easdem *An.* 1264. cum 7000. *marc. ob S. Elisabethæ*, ita ajebant, *reverentiam* volente *Marchion* rediisse ad *Haßiam*. Interim, ut bello finis esset, atqve de successione, dissidio, ità *Sophiam* inter atqve *Henricum* conventum est, ut *Haßiam* sibi retineret *Sophia*, *Thuringiam* verò *Marchioni* permitteret, simulqve de mutua successione (*confraternitatem* vocant, seu *Ganerbiatum* Erb-Verbrüderung) pactum has inter familias initum *An.* 1263. qva de re inter recentiores *Dillich.* Bunting/ Bange zu Eschwege *in Chron. Thuring.* aliiqve videri possunt.

§. II. Hoc fœdus à *Rudolpho I. Imperatore* licèt confirma-

firmatum, novis tamen postea motibus subinde convulsum est. Et qvidem primò non multò post *Rudolphi* obitum *Albrechtus Thuringiæ Landgrav.* qvi ob ejectam conjugem, cui necem erat molitus, inductamqve pellicem **Künne von Eisenberg**/ gravem sui famam reliqvit, *Adolpho Nassovio Imperat.* 12000. *marc. argenti* vendidit *Thuringiam Anno* 1293, frustrà obluctantibus filiis *Frider. Misn.* mit dem Biß/ & *Diederico* Dietzmann zu Landtsberg/ cunctisqve patriæ ordinibus, pacti cum familia Hassiaca aut immemor, aut negligens, & contemtor, uniqve *Lodovico* Apetz/ quem ex pellice susceperat, destinabat pecuniam. Ex eo irrupit in *Thuringiam Adolphus*, sæviitqve in qvævis non habito rerum sacrarum, profanarumqve discrimine, qvam tamen barbariem populares masculè ulti sunt, dum captos hosce hædos, qvi virgines etiam *Vestales*, uxoresqve constuprârant, exsecuere: additum ludibrio populare carmen, cujus memoria, cùm hodie dum adhuc perduret, lubet id probatis è monumentis exscribere.

De Junckern vom Ryne
De rien to dem Wiene
Un quamen unner Raspenberg
Des Künnings Hoff-Gesinge
Begrippen de Godes-Kinge
Und drieven schmalicke Werck
GOtt machte solcks nicht lien/
ühre Büdel leyt he schnien/
Dat waren lasterlicke Mähr
Se heven na mienem Bedüncken
ühre Heller alda vertruncken/
Dat ühne de Büdel worde leer/

Da

Da se hernach to Huse quamen/
Un ühre Fruens vernahmen/
Dat se de Heller hedden verloren/
Wanne! wie worden se empfangen/
Viel better were gefangen
Aße solcke Schmach un Torn.

Hi motus tandem *An.* 1298, qvo ipso *Adolphus* in acie occubuit, qvievere qvidem, sed mox ab *Alberto Imperat.* iterum turbata omnia, cujus tamen insidias, dolosqve *Fridericus* elusit solerter, & vim acriter repressit, qvæ singulatim enarrare mihi hìc integrum non est. V. *Chytr. lib. 6. Saxon. f. 129, 93. Bünt. part. 3. Chron. Brunsv. in Henrico* dem Wunderlichen/ *Fabrit. aliosqve.*

§. III. Sub hæc *Otto Brunsv.* der Quade ab *an.* 1366. (natum ex *Elisabetha* H*enrici Hass. Landgrav.* filia *Dillichius* asserit, & ex eo jam spe absorptam hæreditatem, *Bunt.* verò ex filia *Ducis Silesii de Sagan*) Misnicorum jura admordebat, vel *Henrico* ipso adnitente; sed postqvam à rerum peritis propior ipsa ex domo hæres Hermannus ex fratre *Ludovico* nepos, ostensus est, simulque revocata in memoriam *Misnica* confraternitas, cujus vel nulla vel modica certè in provincialium animis restabat notitia, præcisa tum qvidem avido *Ottoni* spes, sed quam turbis posteà, armisqve ultus est. Lubet rem paucis perseqvi. Otto der Quade/ ut extorqueret armatus, quod non obtinuerat amicè, tractis in societatem multis Principibus Regulisque, imò & ipsa in Hassia *Abbate Hersfeldensi & Heinensi* (*tantane animis cælestibus iræ!*) fœderis stelliferorum, der Sternen auctor fuit, & infaustum hoc sidus *Haßiam* graviter aflixit. Interim H*ermannus*, ut *Misnicos Thuringosque* abstraheret ab hostibus, *An.* 1272. *pactum confraternitatis* renovavit, cum *Balthasare*, subditorum qvoqve ultro citroque sacramentis firmatum, stititqve

hoc

hoc obice non parum *Ottonis* impetum, præſertim, cum *Carolus IV. An.* 1373. id pactum eſſe ratum juſſit.

§. IV. Sed non multò poſt ipſe *Balthaſar* oblitus fidei, fœderisqve, reparatâ cum *Ottone* armorum ſocietate corrupit omnia, & ſimul enata ſunt tot nova factionum monſtra **der Hörner / der Falckener / der grimmigen Löwen / der Bengeler / und Flegeler /** nobilitate qvoqve ipſa, incentore *Eckhardo* **von Buchenaw (die alte Gantz)** deſciſcente, ut qvævis mala, qvaſi conſpiratione qvadam, *uni Hermanno* incubuiſſe viſa ſint, qvæ omnia D. V. aliàs ſingulari opere ex *Gobelino Perſona, Fabrit. Spangenb.* aliisqve fuſiùs perſeqvar. Id unum haud omiſerim, *Balthaſarem* demum, qvem *An.* 1387. *Hermanni* conjunx, Heroici ſanè pectoris, *Margaretha* â repetita *Caſſellarum* obſidione voce duntaxat, verbisqve abegit, cùm non profutura circumferret arma, ſimulqve cerneret, detectam proditionis machinam, turbarum pertæſum *An.* 1393. ad priſtinum cum *Haßia* fœdus rediiſſe.

§. V. His turbis ità compoſitis nova ſubinde roborando huic pacto acceſſere firmamenta, prout temporis ratio, confratrumqve id exigebat neceſſitas, ac conditio. Poſtqvam enim *An.* 1417. 18. *April.* à *Sigismundo Imperat. Marchia Brandenburgica* Septemvirali cum dignitate in *Fridericum Burggrav. Norinb.* ejusqve tranſiit familiam, (*Hiſtor. Brandeb. Chytr. lib.* 1.) & ſub hæc *An.* 1423. 6. *Ian.* eâdem cum dignitate *Saxonia* in *Fridericum Miſniæ Marchionem, ac Thuring. Landgrav.* (*Crantz. Chytræ.*) in fœderis ſocietatem *Brandenburgica* qvoqve domus, certâ tamen lege, recepta eſt, ſimulqve *Ludovicum* inter *Haßiæ LandG.* ac *Frideric II. Saxon. An.* 1433. repetita pacta, pluraqve & tum, & ſubſeqventibus qvoqve temporibus, ut *An.* 1555. 87. *Naumburgi* explicata uberius, certis familiæ in caſibus valitura, ne dubiis in rebus inſtabili, fluctuantiqve *confratrum* voluntate pactum labeſceret, qvæ ſingula ipſis ex pactis, ut evulgata ſunt, videre licet. Ex qvo graves poſtea emerſere qvæſtiones,

qva-

qvarum alias extorſit neceſſitas, alias vano nonnunqvam labore de futuris ominantium induxit curioſitas. *I. An hoc in pacto de mutua ſucceßione, etiam comprehendatur Electoratus? II. An Cæſar in ſucceßione Electoratûs in domo* Haßiaca *lineam alteram alteri poßit præferre? III. An fœmina etiam à ſucceßione in Allodialibus excludendæ ſint, qva in re Naſſovii Philippum Magnanimum H. L. gravisſimè exercuere. IV. An Confratres ultrà* 30000. *aureorum ſaltem intra ipſam familiam per ultimam voluntatem poßint diſponere, qvod in Cauſâ Marburg. movit controverſiam. V. An etiam de retinendo religionis ſtatu & certâ qvidem ſub pœnâ caveri poßit? VI. An Vaſalli, qui ultrò ac ſponte uni familiæ inter confratres ſua addixere bona, in caſu inopinatæ extinctionis etiam ad confratres ſucceſſores tranſeant? V. G. An Comitatus Retberg. quem Conradus Comes* 1456. *die Mercurii poſt Pentecoſten teſte Cancellario* Hollauch *in Regiſtro obtulit Ludovico H. L ac recepit, tali in caſu primæ reſtituatur libertati, an verò ut feudum etiam transeat ad confratres hæredes? VII. An Borußia qvoqve ad pactum pertineat? &c. &c.* qvibus, aiisqve cùm ſingulare deſtinârim opus, vel levem hîc injeciſſe eorum mentionem ſatis erit, præſertim, cùm hæc materia à nonnullis haud æqvo æſtimata judicio, ſimulqve ab aliis Hiſtoriæ ignaris aut neglecta, aut corrupta, absqve amore Scriptorem atqve odio, ex rerum conditione ac temporis exigat.

SIDUS HASSIACUM,

QVOD

NUNQVAM OCCIDIT,

SED

SEMPER ORITUR.

SIVE

PANEGYRICUS

Serenissimo Hassorum Principi

CAROLO I.

DICTUS,

Cùm anno 1677. Imperii curam à Serenissima MATRE ad ſeſe devolutam ſuſciperet.

ADESTE CIVES

Adorate

Novum in Hassia *Solem*,
Cui *Sol* alter cœlo cedit,
LUnam dixissem, nisi ejus radii etiam *Soles* superarent,
dixissem *occidere*, nisi hic Sol in Hassia semper oriretur,
nunqvam hic mutat tropicos, qvia semper in *Auge* est.

Serenissimum Sidus

HEDWIG SOPHIA

Per duo lustra illustravit cœlum Hassiæ,
cursu, & curis fessa coronam filiam porrigit,
retinet tamen lucem, qvia hæc illi naturalis est.
Brandenburgica domus hoc donum Hassiæ dedit,
Hæc ritè elegit, qvia ex *Electoratu* erat:
Accepit *Clivia*, ac *Montium Ducem*,
ut haberet *Montem*, & hoc *Clivo* felicitas assurgeret,
Magdeburgi Ducem, ac *Stetini*, ut esset,
perqvam fortuna Hassiæ semper *Virgo stares*,
Pomerania arborem, in qva *pacis pomum* cresceret.
Junxit utramqve domum Conjunx throno, & thoro,
ut, qvi erant *Confratres*, etiam *Affines essent.*

Audite Posteri!
Nunqvam luctuosior Hassiæ venatio obtigit,
qvàm, cùm *WILHELMUS* venandô mortem caperet,
Sed captus ipse à ferà, qvæ alios venatur,
Nunqvam etiam felicior, *SOPHIAM* prædam cepit,
qvæ admota throno luctum etiam lugens amovit,

Lucidissimum Sidus,

qvod
Hassiæ diem redderet etiam in tenebris:

Optima Mater,

qvæ
Amorem, qvem non diviserat in conjugem, in liberos & Hassiam divisit,
non divisit, qvia integrum in singulos partita est.

Gloriosissima Princeps,

qvia
Regiæ virtutes, qvæ in omnibus principibus eminent singulæ,
Una in *SOPHIA* sunt singulares,
noli mirari,
SOPHIA est, in qva nihil nisi *SOPHICUM*,
Sidus est, in qvo radii *Virtus*, & *Sapientia*,
Supremo in fastigio sine fastu,
Imperio Maxima, affatu æqvalis,
Nulli intolerabilis, nisi qvi tolerari non posset,
eundem vultum omni fortunæ exhibuit,
nullam adversata calamitatem,
nisi qvam subditi ferrent.

Felicis-

Felicissima Princeps,

qvia
Princeps pacis fuit,
Cum omnibus Pacem, cum Vitiis bellum gessit,
Postqvam cecinit *Gallus*, & *Aquila* concussit alas,
Ipsa armavit *Leones*, simul inermes retinuit,
Leones dormire passa est, sed vigilando:
Eduxerunt alii legiones, sed ipsa leges,
strinxerunt alii ferrum, *SOPHIA* sapientiam,
nunqvam tamen id magis strinxit, qvam dum reconderet,
Voluit Hassiam pace crescere, sed vitiis decrescere.
Virium, ac virorum necem moliti sunt alii, illa vitiorum,
Lucebat flammis vicinia, sed Pace Hassia:
Sic dedit qvietem Hassiæ, sed ipsa Inqvies:
Perturbavit aliorum Sapientiam, dum arcana detexit,
occultavit res futuras, ne viderent,
Præoccupavit agenda, ne inciperent,
Impedivit agenda, dum prior egit,
Objecit res factas, ne faciendas decernerent,
Supplantavit consilia, dum materiam subtraxit:
Miratus est orbis *Cassellis* esse *SOPHIAM*, & *Sapientiam* non alibi *Cassellas*.

Sapientissima Princeps,

qvæ nunqvam erravit, nisi dum regnum errandi materiam posuit,
è Subditorum complexu sese explicat, sed magis implicat,
qvia vivet in omnium pectoribus, in cujus pectore omnes vixerunt.
Ponit metam gloriæ, sed nunqvam magis promovet,
regnare desinit, sed ut primum incipiat,

Solsti-

Solſtitium dicerem, niſi hic Sol ſemper aſcenderet.
Luge Haſſia, & plaude,
Sol occidit, & ſimul oritur,
Orbis Haſſiaci Mater non relinqvit nos orbos,
qvia in Filio Patrem relinqvit,

CAROLUS

eſt,
Sat dixi, *CAROLUS* eſt, habet hoc verbum *Omnia*:
Omen eſt: *Auguſtus CAROLUM AUGUSTUM* fecit,
Octavus dies, ut *CAROLUS* eſſet *OCTAVIANUS*:
Sol uterqve *Leonum* ſigna percurrit, Sol in Cœlo, *CAROLUS* in Haſſia:
læta hæc meſſis eſt, in qva mater primum ſerit,
Et jam fructus ſunt ex tantà Arbore, qvam primùm plantat.
nolite mirari,

CAROLUS eſt,

dixi omnia,
Haſſiæ hoc nomen primus infert, ut etiam primus eſſet
CAROLUS
Magnus prudentia, *Magnus* juſtitia, *magnus* pietate,
Fortitudine *maximus*,
Vera Avorum effigies, in qva Virtus ſedem figit:
Habet Haſſia
in *Hermanno* Mitem, in *Ludovico* pacificum,
in *Philippo* Magnanimum, in *Wilhelmo* Sapientem,
In *Wilhelmo* Conſtantem habet, in nullo *juſtum*,
qvia hic titulus *omnibus* debetur,

Sed

Sed
In *CAROLO* habebit *omnia.*

VIVAT CAROLUS

Vivat in ipso *fortitudo* & *prudentia*,
ex hac erit *Salomon*, ex illa *Hercules*,
ex utraqve

CAROLUS.

Sed *Herculem* non facimus, qvia *metam* non ponimus,
Hanc ponet *natura*, nos *Plus Vltra* extendimus.

Vivat
In *CAROLO CAROLUS*,
&

CAROLUS

CAROLUM superet:
Hæc Vota nuncupamus
Inter gaudia, & lachrymas

SOPHIÆ & CAROLO

Principibus *Augustis*, *felicissimis*
Matri Optimæ, & *Optimo Filio*
Matri Patriæ, & *Patri*

Hoc

Hoc Monumentum obſeqvii
poſuit
inter gratias
gratulabunda Filia
Academia *Haſſo-Schaumburgica*

RECTORE
FRANCISCO EDUARDO GOCLENIO,
J. U. L. & Log. Prof.
& expoſuit
Ipſo Auguſto Auguſti transeuntis in Auguſtum CAROLUM
Imperii die
hujus interpres
HENRICUS VAGEDES,
Hiſt. Prof. Extraord. Eloq. Ord.

MAGNIFICE DN. RECTOR, &c. &c. &c.

HIc eſt *Auguſtus* ille dies, dies, qvem aureis literis Haſſia faſtorum gloriæ inferat, qvo novum Solis jubar Haſſiaco in cœlo emicare cernimus *Carolum*, *Auguſtum* Cattorum Principem ſubire Auguſto hoc menſe *Auguſta Leonum* ſigna, & *Auguſtam* manum admovere ſceptro, qvod *Auguſta* Mater *Auguſto* filio porrigit. *Atlanti* defeſſo ſuccedit infractus *Hercules*, & *Luna* lòngô jam curſu fatigata decedit *Soli*, ſi tamen *Lunam* dixiſſe fas eſt, qvæ coëuntes undiqve bellorum nubes felici jubare diſpulit, & amicâ luce omnium animos gloriosè recreavit. Hæc inter, neſcio, qvæ ſollicitudo mentem premat, qvoties recurrit animo, hinc *Sereniſsima Mater* ultimum imperii onus defeſsâ manu reclinans in filium, illinc *Carolus Carolinam* dextram in ſceptrum explicans, & *Herculeos* humeros tantæ moli placidùm ſubmittens: hinc *Optima Mater*, & *Optimi* recordatio imperii primam grati animi vocem vindicat, illinc novus imperii ſplendor, & *Optimi* filii nunc primùm regnantis amor in applauſus & gaudia prolicit. Annus jam agitur qvadrageſimus, ex qvo fortuna gravis *Haſsiacæ* domui incubuit, & præcox fatum luſit atrociùs in ſuprema ejus capita. Eloqvar, an ſileam triſtisſimos illos caſus, qvibus præcelſa hæc domus afflicta eſt? ſed liceat mihi jam effuſam in gaudia mentem perbrevi triſtium recordatione detinere, cum cedat in gloriam *Principi*, habuiſſe *Tutrices*, qvarum conſiliô, ac ſapientia ſteterit Reſp. & vergat in *Haſſiæ* decus, adoraſſe *fœminas*, qvæ belli, pacisqve artibus inclytæ *Cattorum* impe-

rium ad ſummum gloriæ apicem feliciſſimè extulerint, *Wilhelmus V.* illud belli Germanici fulmen, illud infractæ *Conſtantiæ* ſpeculum, medios inter triumphos fatorum invidiâ Hasſiæ ereptus eſt, ereptus eſt orbi Princeps, cujus conſtantiâ, ac fortitudine Religio, ac nutans jam in Germaniâ *libertas* conſtiterat: Succeſſit in ſpem patriæ *Wilhelmus VI.* Haſſorum deliciæ, ſed vix deguſtârat imperii dulcedinem Haſſia, cum breve gaudium acriori luctu præcox fatum turbavit. Surrexitê parentum cinere novus *Phœnix Wilhelmus VII.* cujus in excelſam indolem omnium vota jam conſpirârant, ſed hæc corrupit aër Gallicus, & manum, qvæ ſummæ ſpei admota jam prenſabat Haſſiæ ſceptrum, mors inimica depulit. Ita fatorum inclementia tertiùm repetitô ictu proſtravit invictos Haſſiæ *Leones*, & Cattorum gaudia mixtis funeribus interrupit. Qvàm acerbo luctu Gallia ab exceſſu *Henrici II.* per qvadraginta continuos annos & amplius oppreſſa ſit, cùm per fraternas *Franciſci II. Caroli IX.* atqve *Henrici III.* nec diu duraturas ſucceſſiones pravæ multorum ſpes erumperent, & luctuoſiſſima per illam tempeſtatem Galliæ conditio, & Annalium fides commemorat. Cùm primum verô hoc in *cœlo* ſub *Henrico IV.* felici ſidere apparuit *Delphinus*, qvi poſtea factorum gloriâ inclaruit, *Ludovicus XIII.*, disjecta eſt illa nubes tot periculis gravida, & ſerenum hoc jubar omnium ex animis mœrorem depulit. Interea tamen non adeô fata deſpexêre *Hasſiam*, ut publicos inter hos luctus ob amiſſos Principes, vacuum thronum non ſubierint *Tutrices* illæ, qvæ ſcholaſticas illas Politicorum fœminas ab imperiis arcentium nœnias, factorum latê reſonantium gloriâ non confuderint: Loqvor *Sereniſſimam Principem Hedvvigem Sophiam*, Principem Clementiſſimam, ſubditorum *Matrem*, afflictorum *Aram*, pietatis *illuſtre ſpeculum:* loqvor *Ameliam*, qvæ â *Seren. Principis Wilhelmi V.* obitu magnis innexa fœderibus, trepidos ſuorum firmavit animos, & labantem *Hasſiæ* fortunam divinâ

Busſier. lib. 18. Hiſtor. Franc. n. 21.

Hiſt. des dern troubl. de Fran. liv. 1. & 4.

Matthieu *dans l'Hiſt. de Henr. IV. Busſier. lib. 23. p. 573.*

divinâ constantiâ restituit: loqvor *Ameliam*, qvam *Galliæ*, *Sueciæqve Reginis* sociam, velut tertiam *Reginam* formidabat orbis, & simul adorabat, ut *Triumviros* dixisses, nisi sexus abnueret. Non sæviêre in *Hassia* feroces *Agrippinæ*, aut notæ per flagitia *Brunechildes*, nec miscuere summa imis ambitiosæ *Catharinæ*, qvæ in filiorum, Nepotumqve ferociebant perniciem, sed felicissimæ; mitissimæqve ex Anglia *Elisabethæ* firmârunt Hassiæ imperium, è qvarum scholâ vel ipsi *Reges*, ac *Principes* belli, pacisqve artes addiscerent. Te loqvor, *Serenissima* Princeps Hedvvig *Sophia*, *Domina Clementissima*, te loqvor, *Optima Princeps*, *mitissima* subditorum *Mater*, te loqvor, qvæ per duo lustra, & amplius *Hassiam* tantâ sapientiâ moderata es: tuo consilio, ac fortunâ inter vicinorum motus, ac bellorum flammas *pax* aurea, aurea *quies* recreavit subditos: *Optima Princeps*, eò excelsior es *Ameliâ*, qvo plus bello pacis tempora supereminent.

Tacit. Annal. 12. & 13. *Bußier. lib.* 2. & 3. *lib.* 20. *Hist. Franc.*

Cambden. in fine Annal. Elisab. Consideration sur la paix de Munster.

Perdurabit in animis nostris æterna mitissimi imperii memoria: stabit virtutum tantæ Principis monumentum, qvod erexit in subditis, nunqvam collapsurum: Hæc hæc Academia nostra retinebit qvasi insculptam beneficentiæ imaginem, qvam *Serenissima Sophia* in Musas contulit, adorabit *Hassia* verè *Sophicum Sophiæ* imperium, in qvo *Sophiæ* sapientia felicitatem, felicitas omnibus gaudium peperit. Sub cujus enim tutelâ vixere subditi nullis lacessiti malis, sed vel ad vicinarum gentium floruêre invidiam? fuit hæc *Optima Mater*, *Serenissima Princeps*: Ad qvam *Aram* confugêre miseri, in qvà calamitates immolarent? *Ara* hæc erat *Mitissima*, ac *Clementissima Princeps*: Qvis tantâ sapientiâ Hassiam moderatus est, ut belli latè sævientis mala periculosissimis hisce temporibus non afflârint patriam, tu, tu fuisti *Sapientissima* ac *felicissima Princeps*, cujus consiliô, ac sapientiâ *Pax aurea* nobis affulsit, tuæ unius *Pietati* id referimus, *O Serenissima Princeps*, tu tu fuisti, qvæ porrectam in minas irati Numinis dextram pietate tuâ inflexisti. *O Serenissima Princeps.*

O Optima Princeps, qvæ nunc te explicas è Complexu ſubditorum tuorum, habes devinctos imperii clementia ſubditorum animos: tuæ curæ nobis pepererunt otium, tuæ vigiliæ nobis ſomnum conciliarunt. *Vive Sereniſſima Princeps*, *vive domina Clementiſſima*, vives *Optima Mater* in ſubditorum animis, & qvæ nunc è tuorum complexu abis, horum memoria te perpetuò complexu retinebit. Subit nunc vacuum thronum *Sereniſſimus Carolus*, & firmatam maternis conſiliis dextram Sceptro gloriosè admovet: Octavus eſt *Auguſti* dies, qvo Majorum ſolium conſcendit *Auguſtus Carolus*: Menſis eſt, qvo ſol per *auguſta Leonum ſigna* in cœlo decurrit: accipimus omen: ſubit jam *novus Haſſiæ Sol* gentilitia *Leonum* ſigna, & Martium novi *Herculis* pectus *Leonibus* armatur: ſubit *Leones Carolus*, ut adoremus Principem, qvi adversùs pericula impavidus *Herculeam* dextram etiam monſtris objecturus ſit. Orientem Solem adorant Perſæ, animumqve ſub Auroram per gaudia explicant, Et nobis *Sol* novus ortus eſt, cœlum gloriosè conſcendit *Carolus*, *Carolus* jam vibrat radios, in qvo *Regiæ* etiam virtutes coruſcant: gratulamur *Sereniſſimo Principi*, nuncupamus hæc vota, ut qvem Menſis *Auguſtus* nobis dedit Principem, *Auguſti* etiam *Cæſaris felicitatem* exæqvet, imo ſuperet: nuncupamus hæc vota, ut qvem præſens *meſſis* Haſſiæ offert Principem, ſummæ etiam *proſperitatis* meſſem ipſo *Trajano* melior afferat. *Innocentius P. R.* ſubmiſit qvondam *Johanni Anglorum Regi* qvatuor annulos in qvibus aurum diverſis gemmis diſtinguebatur: in altero Smaragdus viridanti luce recreabat oculos, ludebat in altero ſaphiri purpura: vibrabat in tertio flammulam Granatus & in qvarto Topacius emicabat. Sed latebant myſteria. Annulorum rotunditas æternitatem denotat, monebatqve Regem, ut *de terrenis ad cœleſtia, à temporalibus ad æterna procederet*. Qvaternarius numerus *quadratus eſt*, mentis conſtantiam refert, *quâ Princeps nec deprimi debet in adverſis, neque in proſperis elatus inſoleſcere*. Hinc qvatuor vir-

Matth. Pariſienſ. in Hiſt. Anglic. ad An. 1208. p. 155.

virtutes adſint, *juſtitia*, *Fortitudo*, *prudentia*, *Temperantia*: In judiciis *juſtitia*, *Fortitudo* in adverſis, in dubiis *prudentia*, *temperantia* in proſperis elucet. Per aurum Sapientia intelligitur, qvæ velut aurum metallis, ceteris qvoqve virtutibus antecellit. *Smaragdi* in auro radiantis viriditas Fidem explicabat, *Spem Saphiri* ſerenitas, *Granati* rubicunditas *Charitatem*, *Topaſii deniqve* claritas *operationem bonam exhibebat*, ut princeps haberet in *Smaragdo*, qvod *crederet*: in *ſaphiro*, qvod *ſperaret*, in *Granato*, qvod *diligeret*: in *Topaſio*, qvod *exerceret*, ut *de virtute aſcenderet in virtutem*, *donec dominum dominorum videret in Sion*. Intuere *Serenisſime Princeps*, auguſto oculo ſub ipſa imperii tui, qvod tam gloriosè cœpiſti, primordia hunc virtutum ſplendorem, qvibus ſolis caligo diſpellitur: *Magna moles* eſt *Imperium* & vel ipſos premit *Hercules*, niſi hæ virtutum columnæ ſuffulciant. *Serenisſime Carole*, has has Columnas Principatui tui votis noſtris apprecamur, qvibus tanta moles qveat inſiſtere: non in *annulis*, ac *gemmis* eas tibi exſculpimus, ſed è *proavorum tuorum* ſtatuis formamus: *Serenisſime Princeps*, *Regum*, *atque Imperatorum* ſanguis es, *Carolus M.* qvantus Imperator, tibi familiæ auctor eſt, tibi tot illuſtres *proavi* pace, belloqve inclyti domeſticis exemplis iter monſtrabunt ad gloriam: habes in H*ermanno bonitatem*, *ac clementiam*, in *Ludovico Pacificum*, in *Philippo Magnanimitatem*, in *Wilhelmis ſapientiam*, & *Conſtantiam*, In *Carolo M. magne Carole* habes *omnia*: Hæc hæc eſt votorum ſumma, ut *Carolus M. magne Carole*, in te reviviſcat, & novus *phœnix* ex ipſius ſanguine exſurgas. Ad *Arminii* ſtatuam procumbebant olim Germanorum Heroës, ſed te- *Serenisſime Carole*, tuus ille *Carolus* ad gloriam excitet, hic tibi inſtar omnium eſt: agnoſce *Germaniæ Herculem*, ſub *Leonum* exuvio agnoſce *Carolum*, incaleſce *Carole* ad aſpectum tanti *Herois*, & erit *æmulatio*, amplexare *Auguſtum familiæ patrem*, erit *amor*; vivat in *Carolo Carolus*, & *Carolum Carolus* ſuperet. *Carolus M.* primus eſt, qvi in regiam *Carolingorum*

gorum familiam hoc *Caroli* nomen intulit, & tu *Serenissime Carole* primus inter Hassorum Principes hoc *Caroli* nomine coruscas; perge, *Carole*, perseqvere omen, qvia Karl es, & mens ignea, *Mens Sidera volvens*, *Carolina* portendit.

Bussier. lib. 4. n. 15. 16. Fauchet. tom. 2. lib. 1. cap. 8. f. 44. &c.

Carolus M. fratrem habebat *Carolomannum*, cum qvo *Francorum* regnum, & *Desiderii Longobardorum Regis* filias connubio diviserat, sed ab obitu fratris tota Francia in unius *Caroli* imperium transiit. *Serenissime Princeps*, hic *Carolo* felicior es: tibi frater *Serenissimus Wilhelmus*, qvocum nihil diviseras, *thronum*, & *thorum* moriens reliqvit, reliqvit *jus primogenituræ*, ut, qvod *sors nascendi* negârat, *mors* concederet: reliqvit destinatam sibi conjugem, *Serenissimam suam Mariam*, *Principum Matronarum Speculum*, ut amor adhuc caleret in *sanguine*, cujus partem mortis frigus incesserat. *Serenissime Princeps*, natura ita partitur illustres inter fratres beneficia, ut *Primogenito* hæreditatem deferat, sed hujus defectum fertiliori virtute in fratribus compenset; sed in te unum ex *naturâ* virtutes, & ex *Lege Primogenituræ* confluxit, ut nec *virtus* absqve *Successione*, nec *successio* absqve *virtute* sit. *Carolo M.* unicus erat è tot connubiis filius, *Ludovicus Pius*, in tot regnorum spem destinatus, tibi, *Serenissime Princeps*, jam firmatum feliciori connubio imperium, qvo pluribus munimentis *præcelsa domus* insistat: *felix Princeps*, cui gliscit familia, cum *non legiones*, *non classes sint perinde firma imperii munimenta*, *quàm liberorum numerus*. *Carolus M.* ut haberet firma imperii fundamenta, ad *Aram* procubuit, *Religionem* loqvor, & *Pietatem*, qvæ sola Regnorum molem sustinet. Domuit *Witekindum Carolus*, ut domaret impietatem: imposuit jugum *Saxonibus*, ut Saxeô jugô *pietatem* exsolveret: destruxit *Arminii* statuam *Irmensûl*, ut superstitionis instrumentum sterneret: sustulit profanam imaginem, ut *Dei* imaginem in hominum animis exsculperet: repressit *Saracenos*, ut Impietati ungues præcideret: dedit Germaniæ *Episcopos*, qvi tenellis animis pietatem insererent. Hâc *pietate* ado-

Virg. Malvezzi in Polit. Christ. p. 24 & chi sa, che gli huomini

Tacit. An. 1. Hist. 4.

Vittor. Siri tom. 3. lib. 3. del Mercur. p. 1063.

Fauch f. 469. 485. 465. 445. Avent. Bussier. & alii.

adolevit *Caroli gloria*, & extendit *Caroli* imperium *DEUS*, qvi *DEI Imperium* extenderat. *Religio*, *Religio est Cynosura* illa, ad qvam Reip. navis dirigenda est: non hærebit hæc syrtibus, nec scyllam inter & charybdim absorpta dehiscet, nec allisa scopulis dissiliet navis, qvæ hanc *Cynosuram* respicit: hic *Polus* est, circa qvem *Sphæra regnorum* volvitur. *Serenissime Princeps*, *Religio*, *ac pietas* domui tuæ hæreditaria est, & cum sanguine innascitur *pietatis* amor *Hassiæ Principibus*, ut etiam, cæteras virtutes utcunqve dissimulent, hac dote gloriari possint: pertulêre carceres *Philippi*, ut *pietati* libertatem assererent: Mortui extra *Hassiam*, extra patriam *Wilhelmi*, ut in Patria *Religio* viveret. *Serenissime Princeps*, cerne *gentilitia signa*, qvibus *Serenißima domus* tua distinguitur, cerne *Leones* in area, & in capite *Vrorum cornua*, *Leones* in prælia jam effusi, in areà *fortitudinem* & *Vri cornuum robur* explorant: Sed *Serenissime Princeps*, cerne *stellas*, qvæ hos inter *Leones* emicant, cerne, qvæ in *Vrorum cornibus velut polaris* fulgurat: qvod *stella* cœlo, id *pietas*, ac *Religio* solo, ac regnis est: hæc vera est *Leonum* tuorum *fortitudo*, qvæ has inter stellas *pietatem*, ac *Religionem* illustratur: hoc est cœleste illud *Vrorum robur*, in qvo hæc *stella polaris*, *Religio*, collucet: *Serenissime Princeps*, adolescat in te præcélsus ille *pietatis* amor, ac *Religionis*, qvem *Serenissima Mater*, *Princeps Religiosissima* animo tuo tam solicitè indidit, stabit *his columnis* imperium tuum, contra feroces aliorum insultus immotum. *Carolus M.* magnus justitiæ cultor extitit: præmia & pœnas ita distribuit, ut haberent boni, qvem amarent, & scelerati, qvi amarent; *severitatem* tamen ita miscuit *clementiâ*, ut etiam in *pœnis clementia* eluxerit. *Thassilonem Bavariæ* ducem *Wormatiæ* in Comitiis capite damnatum, pœnæ eripuit, licet perduellem, maluitqve ut raso capite inter Monachos *Carolinæ Clementiæ* coronam circumferret. *Pipino Gibboso* ex *Hilmentrude* concubina filio vitam permisit *Carolus*, ut, qvi conjurarat in patris necem, in ejus qvoqve *clementiam* conspiraret, & paterna lenitas in filii gibbo formo-

Saavedr. Symb. Polit. 24.

Anton. Perez Aph. 12. de las relac edit. Andalous. f. 7. la piedad. y la justia, fuertes de otras muchas virtudes polos del mui. miento, y concierto de los Reynos: Firmeza, y hermosura de los edificios politicos.

Busſier lib. 4. n. 21. 22. Eginhard. in Vita Caroli. Aventin. lib. 4. Bojar. Fauch. 506.

formoſior promineret: *Talandum* fratrem ſceleris compertum proſcripſit, ne fraternum amorem proſcriberet. Jus dixit ſubditis etiam ſummo mane, ut ſubditi in *Aula Caroli* prius *juſtitiæ*, quam emergentis diei auroram adorarint. Hæc *juſtitiæ* bilanx *Sereniſſime Princeps*, ubi æque ſuſpenditur, ibi & lances *imperii* ritè æquantur.

Sereniſſime Carole, domui tuæ *juſtitia* nativa virtus eſt, neqve hôc titulô *juſti* diſtinguuntur Haſſiæ Principes, qvia hic *omnibus* debetur. Tibi *Carole* imperium *Deus* dedit, nobis obſeqvii gloria relicta eſt! *judex* es, & ſimul *Pater*, hanc tibi mentem inſpiret ſupremum Numen, cujus in Tribunali vices geris, ut colorem *Rubrum* miſceas *Cæruleo*, qvò nec *ſpes* abſit, ut te omnes venerentur *patrem*, nec *metus*, ut timeant *judicem*.

Busſier. Avent. Lehe-man *in Chron. Spirenſ.*

Carolus M. in curarum partem aſcivit Miniſtros, qvorum prudentia tot regnis librandis par erat: audiit domi *Eginhardum* magnum ſecretioris ſcrinii Magiſtrum, *Rulandi* atqve *Ænotheri* dexteram belli expertus eſt, creſcit ex Miniſtris Principum gloria, & ex horum indole Princeps dignoſcitur. *Sereniſſime Princeps* ceſſit jam pridem in *Haſſia* decus, præſediſſe ad clavum Reip. Miniſtros, qvorum prudentia etiam Regnorum curas temperaret: Hanc gloriam *tua domus* reliqvis in Germania Aulis jam pridem præripuit, ut *Senatus Haſſiæ* etiam in *Oraculum* tranſierit: habes *Eginhardos*, habes *Burrhos*, habes *Senecas*, habes *Cleobulos* conſiliorum prudentiâ eximios, habes *Arſidas* bello inclytos, habes Miniſtros, qvorum fidem in Remp. nulla tempeſtas libavit. Horum conſilia ſupremus ille ſapientiæ Auctor ita dirigat, ut tibi, *Sereniſſime Princeps*, non ſuperſit, qvod eligas.

Machiav. cap. 22. del Princip. Anton. Perez. las obras p. 411. 427.

Reviviſcat in te, *Sereniſſime Princeps*, *Caroli M. prudentia*, & *fortitudo*, ex hac eris *Hercules*, ex illa *Salomon*, ex utraqve *Carolus*: *prudentia* Principi *oculus* eſt, fortitudo *dextra*: erit Princeps absqve *illa* cœcus, & ſine *hac* invalidus: *prudentia* conſiliû ſuggerit, *fortitudo* vires ſubminiſtrat: *illa* imperat, *hac*

Boter. lib. 2. della ragion di ſtato, cap. 1. p. 52. 35.

hac exeqvitur: *illa* difficultates removet, hæc rumpit: *illa* consultat, *hac* expedit negotia: *illa* judicium excolit, *hac* *Magnorũ* animos roborat, *faxit Deus* ut *duabus his columnis* insistat *Haßia*, & firmetur *præcelsa Caroli domus*, ut maneat dubiũ, *prudentiæ* ne, an *Fortitudini* hæc firmamenti gloria debeatur.

Carolus M. cum sciret *Arte* & *Marte* sustineri *imperia*, duas instituit *Academias*, in qvibus in omnes virtutes formarentur juventutis animi, *Papiensem* in *Italia*, alteram in *Galliâ* *Parisiensem*, excultus ipse literis, & in literarum cultores benevolus, ut haberet *Industria*, qvod à *Carolo* expectaret, & *Ignavia*, qvod desperaret. *Serenissime Princeps*, & tua sub tutela vigent duæ sub Imperio tuo *Academiæ*, tibi *Lanus*, tibi *Visurgis* vota nuncupat, tu novus *Sol* es, qvi beneficentiæ tuæ radiis has Academias recreas: Musæ nisi nutriantur, vix nutriunt: parnassus acclivis est, sterilescit hic mons, nisi *Principum benignitas* irriget. Te veneramur *patrem Serenißime Princeps*, & qvem omnes adorant *Principem*, nos & *Principem*, & *patrem adoram⁹*, divide *Serenissime Princeps*, favorem in filias, qvæ erga *Serenissimam domum* tuam obseqvia nunqvam divident. *Carolus M.* explevit annos vitæ duos septuaginta, regnorũ qvadraginta septem, qvibus exactis vitæ, ac gloriæ satur *An. Chr*. 814. & vita, & regnis decessit, sic natura, qvo *Carolum* qvi adhuc ibat impavidus, qvà viam monstrabant *fortunâ*, *&* *virtus*, omni exparte faceret *Herculem*, posuit *metas*. Hanc tibi metam non ponimus, *Serenissime Princeps*, sed *plus ultra*, *vive Carole*, & *Carolinos* annos supera: *vive Princeps*, exple tuorum vota, vivat in te *Carolus M.* sis *Magnus pietate*, *magnus justitia*, *magnus Clementia*, *magnus prudentia*, *fortitudine Maximus*: *Vivat Carolus*, & *Carolina felicitate* ita moderetur imperium, ut, vixisse *Carolum*, pœnitere possit neminem, nisi hostes. *Vivat Carolus*, & ita regat subditos, ut posteri indoleant, non vixisse sub *tanti Principis* Imperio, & nobis hanc invideant gloriam, qvi vitam produxerimus in aurea hæc tempora, qvibus acclamare datum est, VIVAT, VIVAT, VIVAT

CAROLUS.

Avent. lib. 4. Bojar. Fauch. f. 4. 497.

Lehemann *Chron. Spir. lib. 3. cap. 28.*

ORATIO FUNEBRIS
IN OBITUM
DAVIDIS PESTELII,
Professoris Juris Primarii habita.

Magnifice Domine Rector.

Viri admodum Reverendi, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Nobilissimi, Acutissimi, Clarissimi, Spectatissimi, Prudentissimi, Nobilissimi, Doctissimi, vosqve omnes, qvotqvot adestis, Exeqviatores, Auditores Omn. Ord. honoratissimi,

TRisti hac in Panegyri inter liberorum singult9, inter amicorum lachrymas, inter omnium planctus, dejectis humi præ mœrore oculis hæreo incertus animi, num & mihi id primum liceat admirari in nomine DAVIDIS PESTELII, Viri ætate, ac senio gravis, optimè hac de Academia meriti, & Emeriti in *Collegio JCt.* apud nos qvondam Professoris, Sacriqve apud *Bückeburgenses* Consistorii Præsidis Amplissimi, & illo etiam, qvo è vivis excessit die, (excessit autem *Die 20. Decembris Styli Gregor.* qvi DAVIDI sacer est) qvod nonmodò complures eruditos, sed & nationes inte-

integras traxiſſe in admirationem comperio. Comperio, eam hactenus invaluiſſe opinionem, qvaſi certis diebus, nominibusqve, neſcio qvo ex fato, aliqvid arcani inſit, qvod lætis aut triſtibus, fauſtis aut nefaſtis atqve ominoſis annumeret. 4. *Non. Aug.* ob cladem *Cannenſem* nefaſtas luxêre Romani, qvibus ipſis poſt evolutos 2124. annos, qvos integri componunt *ſeptenarii*, ſub *Auguſto Variana* à Germanis illata eſt: *Idus Martiæ*, qvibus cæſus in curiâ *Cæſar*, *parricidii* accepêre nomen: Roma à Gallis 14. *Calend. Auguſt.* capta eſt, & iisdem à *Nerone* incenſa: *Carolus V.* 24. *Febr.* natus, eodem *Franciſcum* I. Galliæ Regem cepit, eodem à *Clemente VII.* coronatus, eôdem de Germanis triumphavit, ac demum *pridie* illius in Hiſpania, uti anteà Regnorum curis, ita & vitæ finem impoſuit. Laudant Hiſpani ſuum *Jacobum*, & illa ipſa luce, qvæ huic ſacra eſt, ſibi proſpera qvævis illuxiſſe commemorant, adeò, ut ipſam etiam mortem *Caroli Philippi II.* filii, qvi in Pervigilio Divi *Jacobi* extinctus eſt, inter Hiſpaniæ miracula numerent: Laudant Galli *Ludovicum*; laudant Angli ſuum *Thomam*: Nomen *Johannis* Galliæ Regis ab *Eduardo* Anglorum Rege qvondam capti: *Henricorum II, III. IV.* triſte eſt atqve infelix: Nomen *Mariæ*, *Maria Sigismundi* Bohemiæ & Hungariæ Regis uxor, *Maria Alexii Comneni* ſoror, *Maria Ferdinandi* Hiſpaniæ Regis mater, *Maria* Scotorum Regina in Anglia capite plexa, *Maria* Burgundiæ hæres, *Maria Ludovici XIII.* Galliarum Regis mater, inter fatalia reliqverunt atqve infauſta. Hæc ſi qvid commonſtrant latere arcani in certis diebus, nominibusqve, veniam facile impetrabo, ſi & ego DAVIDEM noſtrum ipſo DAVIDIS die hac ex vita migrâſſe admirarer. Sed qvid vana miramur atqve inania? qvid ſatius eſt, nobis ponere ob oculos illam vitæ imaginem, qvam ipſe velut alter DAVID, ſeniô gravis, vitæ ac gloriæ ſatur, per exactos in munere 40. & amplius annos, domo opibus, ac liberis firmatâ, pietate in Deum, liberalitate in pauperes aliisqve virtutibus in hac urbe

& orbe notus (1.Reg.2.℣.11. 1.Chron.30. ℣.27.28.) nobis reliqvit, & erit qvod leniat dolorem ob ereptum nobis virtutis exemplar, & qvod pari ſtudio imitari nos deceat.

Annus agebatur *quadrageſimus primus*, cùm DAVID PESTELIUS, qvi jam pridem *Marpurgi Anno* 34. Doctoris laùreâ coronatus fuerat, felici certè omine, ut qvem Domûs H*asſiacæ* filiarum altera genuerat, ut filium, altera veneraretur ut patrem, ab *illuſtrisſima Eliſabetha Ottonis* Ultimi vidua magno omnium conſenſu in Profeſſorem juris accitus eſt. Veniam hîc mihi dabitis, *A. A.* Si hîc interrumpam dolorem veſtrum, interruptum traducam ad aliam lugendi materiam. In illam inciderat DAVID noſter periculoſiſſimis illis temporibus tempeſtatem, ut, qvi non *gregibus*, ut alter DAVID, ſed paſcendis *Muſarum Alumnis* admotus fuerat, cum *Leonibus* tamen ipſi certandum fuerit. Illa enim erat Academiæ hujus conditio, ut ex omnium ferè animis evelli non potuerit illa opinio, Academiam hanc infelici pronatam eſſe ſidere. Etenim, ſi lubet ridere vana Hebræorum deliria, qvi diem 17. *Julii* (hic *Academia noſtræ natalis eſt*) inter nefaſtos numerant, qvod illô ipsô *Moyſes* datas ſibi à DEO *legum tabulas* confregerit, ſubmiſſi in terram *Canaan* exploratores atroci terrore reduces turbârint populum, & *Solymorum* urbem ceperit *Nebucadnezar*; recurrebant tamen alia animo, qvæ trepidas mentes facile diſtrahunt. Illo ipſo tempore, qvo *Anno* 42. reſtauranda erat Academia vel ipſum Academiæ nomen miles diripuerat: Illa illa Auditoria (reliqva effari dolor vetat) non jam amplius *Muſarum* ſedes, ſed *mularum*: Non collucebant ibi inter funeſtas bellorum tenebras *Doctorum faces*, ſed madebant *faces*:

Inter *ſtertentes ſtercus*: non hic *ſubſellia*, ſed *equorum ſella*, non hic *Cathedra*, ſed *præſepium Clatra*: non hic *æqvi*, ac *juris* Schola, ſed fixum *equis* ſtabulum: Non hîc inventa eſt ſtudioſa *juventa*, ſed *jumenta*, & inconditæ Barbarorum *voces* triſti murmure *Profeſſorum* contaminabant *vices*: Hic

fumus

fumus hîc fimus, hîc fames. Qvoties recurrebat animo, qvâm obluctante & invitâ *lucinâ* nata esset *Academia*, cùm prima ejus struendæ consilia, licèt à Septem virorum Collegio ex urbe *Noriberga Anno* 1611. 8. *Octob.* Imperatori *Rudolpho* enixè commendata, ab aliis aut elusa fuerint aut elisa: Qvoties recurrebat animo, in ipso ferè partu extinctum Academiæ Patrem (is enim *Anno* 1621. *Januarii* (hic à nobis nunc Rectorum inaùgurationi post fluxas rerum vicissitudines dictus est) filiæ ereptus, hæc verô *Anno* 21. *d.* 17. *Julii* primùm lucem vidit) & in ipsis cunis vagientem relictum infantem, qvi & non multò pòst *justum Hermannum*, & deniqve *Anno* 40. *Ottonem* hac ex familia ultimum amisit nutricium: Qvoties recurrebat animo, direptam *Anno* 23. *d.* 4. *Febr.* per furentes milites Academiam, & continuato armorum cursu ipsis etiam Sceptris ac Sigillis injectas Bacchantium manus: Qvoties recurrebat animo paucos intra annos 11. *Professores*, aut contabuisse mœrore, aut fatô alió extinctos, cæteros ferè omnes hûc illûc disjectos, dicam amplius, uno, uno etiam anno totum JCt. ordinem, cui *Franciscus* Giessenbier præiverat, extinctum, non poterat non hæc illorum in animis firmari opinio, qvasi infelici sidere Academiæ navis immanibus hisce fluctibus commissa fuerit. Sed revocate animum A. A à tristibus, qvorum recordatio, uti non potest non esse injucanda, ita *Hassiacum Sidus*, qvod firmatâ apud Germanos pace hoc illuxit in cœlo, discussit nebulas, & lachrymas, qvas tot pericula, tot armorum strepitus fremitusque bellantium extorserant, detersit.

Hæc inter DAVID PESTELIUS, memor semper eorum, qvæ de *Professorum Juris* munere in *Denuntiatione instaurationis Academiæ* anxiè monuerat Vir antiqvi moris *D. Gisenius*, *Professoris* munia ad vitæ extrema ità implevit, ut ei ad summum decus nihil defuisse visum sit. Fuit PESTELIUS pestis desidiæ, pestis dissidii, pestis iniqvitatis, pestis avaritiæ, pestis mendaciorum, dignusqve compertus à bonis,

qvi

qvi repetitò veterum *Ægyptiorum* more pendulum ex collo Numen, auro gemmisqve distinctum, cui *veritatis* nomen, velut supremus judicum gestaret. Non tam illi curæ, frui, qvæ merebat, stipendiis, qvàm ut debitum ex demandato munere exsolveret pensum, & dilecta juventutis eruditæ pignora illius penderent ab ore: Non tam illi curæ, libare mel è salariis, qvàm ut doctrinæ favos avidis exprimeret; Qvam vitæ, studiorumqve rationem per qvadraginta & amplius annos ad mortem usqve produxit, ut ferè prius desierit vivere, qvàm docere: *Emeritus* licet, mereri tamen benè adhuc semper de bonis literis, & studiosa juventute impiger voluit, & licèt ipsum desererent vires, ipse tamen assidua Professoris munia non deseruit. Illos illos parietes, illa subsellia appello, qvæ spectavere tam sedulum in cathedrâ, & raram eam doctrinam admirata sunt; qvid dicam? Etiam instituto præter morem Examine eorum, qvæ explicuerat, in auditoribus memoriam audivere refricantem. Qvoties exultârunt præ gaudio, cum conspexere faces ipsius auspiciis per *Doctorum promotionis* solennia collucentes, qvæ inter jam vergente ad mortem senio vel hoc ipso felix, quòd etiam filio, qvem hic cernitis, *Philippo* paternâ dextrâ, manantibns præ gaudio lachrymis, velut victori Athletæ, coronam imposuerit, bis pater, semel dum ipsi dedit vitam, iterum, dum velut novum filium, *Doctorem* genuit. Laudent ergo alii *Alciatum*, laudent *Cujacium*, laudent alios, qvod illorum ex Scholâ prodierint discipuli, qvi jucundâ æmulatione postea cum præceptoribus ipsis certare conati sint, certè ingens decus PESTELIO nostro debetur, qvod suo ex alveari tot doctissimarum apum examina emiserit. Hic hic erat ille, qvi *Professoris codicis* gloriam meruisse visus est: qvis *titulos de Professoribus*, *de studiis liberalibus*, *de Professoribus & Medicis* impigrô adimplevit labore? Is fuit PESTELIUS: qvis fuit studiosorum pater, & juris æqviqve scientiam nullius pertæsus laboris iis depromsit? fuit PESTELIUS, qvi memor

Marci

Marci Antonini pii ſententiæ, nihil eſſe exiſtimavit iniqvius, qvam in eos *Remp.* eſſe beneficam, qui in Remp. nihil conferunt laboris, & beneficii. Qvis volutavit animo *Tit. Cod. de veſtibus holoberis, & Auratis, de intinctione ſacri muricis*? Is fuit PESTELIUS, qvi *auratas, ſericasque paragandas* usqve adeò ſemper neglexit, ut veſte pullâ indutus, neſcio an effrenem petulantis mundi luxum deriſerit magis, an verò illius in ſenium ruentis mala luxerit. Hoc eſt, demandatâ pulchrè defungi provinciâ, ut non tam ipſe capiat decus ex munere, qvam munus ex ipſo, niſi fortè qvis id unum in PESTELIO *Codicis Profeſſore* deſideret, qvod illum non abſolverit, cum in *Tit. ult. de publica lætitiæ Enunciatoribus* hæſerit, ejusqve loco me *publici præconem luctus* reliqverit, qvanqvam hoc ipſo felix, qvod in cœleſti illa æternitatis Schola ab hoc ipſo *Titulo & Tit. de S.S. Trin. capturus ſit* exordium Qvid referam notam hac in urbe, & orbe plenam commiſerationis in pauperes liberalitatem? Qvid referam ejus patrocinio plures ereptos è periculis, alios publicis admotos muneribus? Qvid referam invictum ipſius animum, qvem neqve fortunæ indulgentis proſpera extulerunt, neqve adverſa novercantis depreſſerunt, adeo, ut inter chariſſimarum conjugum funera, domeſticosqve caſus ſtoicæ etiam indolentiæ propior ſemper fuiſſe viſus ſit? Qvid referam acrem ipſius rerum Academicarum curam, & exantlatos pro conſervandis immunitatibus labores? O patrem Academiæ, qvi illam ſingulari amore ſemper complexus eſt? *O Profeſſorem* impigrum, qvem nec gravis ætas à capesſendis ſtudiis potuit abſtrahere! O ſpeculum ô Exemplar antiqvi moris ac virtutis, qvi tot beneficiis egenos, afflictosqve cumulavit, tot officiis alios ſibi devinxit, ut eorum memoria nunqvam moritura ſit.

Qvamvis autem graviſſimos illos labores firmâ plerumqve valetudine exceperit, nonnunqvam tamen *eriſypelas* adrepebat pedibus, & *tusſis* qvoqve pectus inſidebat, donec

tandem

tandem intercluso spiritibus meatu animam extrusit. Dabitis mihi veniam *A. A.* si hîc seqvar exemplum *Pestelii* nostri, &c, uti ille ipse, cum *erisypelatem* infestum haberet hospitem, per jocum dicere auditus est, *ex hac rosa sibi spem quinquennalis adhuc aetatis nasci.* (Nach der Rose hätte er noch immer Hoffnung zu 5. Jahr Lebens-Frist) ego qvoqve hos inter mortis lusus ludam. Aderat *erisypelas* anxia primùm, qvâ parte *Professorem juris* primùm lacesseret. Dicebat ipsi *diem*, non apud P*raetorem*, sed in *pedibus*, ut esset hic *judex pedaneus*: sed certus primum non comparere, tandem, non ut apud *Romanos obtortò collò*, sed *obtortis pedibus* trahebatur in judicium: Hic primùm lis de *genere actionis*, & pervicax *actor*, ne qvid sibi crearet praejudicii, miscuit omnes: erat *actio realis*, erat *personalis in rem* & *in re*, non tamen *bonae fidei*, sed semper *stricti juris*, ita miser *reus stringebatur.* Interim ipse *formularum juris* gnarus, ponebat obicem *exceptionum*, qvibus à limine *judicii* arceret importunum actorem: Stabat in acie *exceptio non competentis actionis*, exigebatur *juramentum malitiae*: numerabantur *leges ex Tit. C. undevi* & inter *Triarios* collocabatur *L. 8. invasor locorum paena teneatur legitima*: Ex *Galeni* tandem & *Hippocratis Advocatorum* consilio parabat vim, ut ex *possessione*, qvam vi acqvisiverat actor, illum ejiceret, sed hic fremabat actor, centies inclamans *L 7. Si quis in tantam furoris audaciam &c.* Qvis tandem hujus litis exitus? *Erisypelas* deniqve *pudore suffusa* non raró desistebat ab *actione*, & pro *expensis litis spem vitae in quinqve adhuc annos* relinqvebat: sed demum ferocior resuscitabat litem, secumqve adducebat tussim, qvae per modum *interventionis* acriùs adhuc urgeret reum. Qvid hìc *Juris Professor, gnarus legum & in foro apprimè* aliâs *exercitus*?

Sane vetat dolor effari plurà, *tussis, tussis, ah*! dira dira tussis, ex foro rerum humanarum beatam extrusit animam, qvae lubens, & laeta, ut de hostibus suis triumpharet victrix, hoc aerumnarum *foro cessit.* Surge nunc *Rintelium* & obnube

caput,

caput, amisisti pietatis, constantiæ in adversis, liberalitatis in egenos, omnisqve virtutis exemplar! Surge *Academia*, amisisti patrem, cujus consiliis res nostræ semper firmatæ steterunt! Surgite vos cives Academici, vos dilecti Musarum filii, atrô carbone notate infaustum hunc diem, amisistis Præceptorem, qvi paterno amore semper de vobis anxius, nulli pepercit labori, ut solidam juris scientiam adipisceremini! Surgite cives urbani, miscete lachrymas, amisistis Virum, qvi inter vos tot semper beneficia miscuit! Surgite pauperes, egeni surgite, complicate manus, amisistis patrem, qvi manus suas tam liberaliter vobis semper explicuit. Sed qvid ego indulgeo dolori, & patior, ut pectora non profuturis diducantur singultibus. *Translatus est à Deo Enoch, ne videret dies malos:* Sat vitæ, sat gloriæ datum erat. Sibi jam pridem magnis *Maximiliani I. Caroli V.* aliorumqve invitatus exemplis parârat tumbam, ut hac ex *tumba* indies mortis inaudiret *tubam:* annum agebat *octuagesimum primum*, qvo & *Augustinus Berous*, qvantus JCtus? & *Arnoldus Burenius*, & *Conradus Pegelius*, qvi per sexaginta & amplius annos in *Academia Rostochiensi* Professor vixerat, vivis erepti sunt: *Climactericus* & *enneaticus* qvidem hic annus est, *novies novem* sunt LXXXI. hic ergo ultimus erat hac in *scala*, non *prædicamentali* sed *cælesti* gradus, in qvo non *Plato*, sed *DEus jubeat quiescere.* O exoptata qvies, qvæ sistit turbidos rerum humanarum motus. Depluant ergo nunc per ora lachrymæ, mors non videt: dissonô clamore turbetur aër, mors non audit: actum est, nulla hìc *in integrum* speranda est *restitutio* Qvod si autem lubet hic juvare *JCtum*, agite, vos, qvotqvot estis *JCti*, agite, *explicate* legum volumina, mors *implicat*, *inspicite* titulos, mors *despicit: numerate* leges, *numerate* apices, mors *confudit*: Frustrà, frustra erunt omnia: *ex Digestis nihil potestis, ex Codice nihil, etiam vel modicè, instituta hic tacent, ut bruta.* Sed qvid audio? *Hìc est præscriptio octuaginta annorum & amplius, restituenda vita possessio est:* sed numerate centum, nume-

 rate

rate mille, numerate, qvot vultis, annos, mors hunc *proscribit*, qvi adversus illam *prascribit:* fixas hominum arbitrio legum tabulas, programmata non revocando refigit. Urgete acrius: *hic error calculi est, cum prater octuaginta & unum annos, aliquot adhuc menses superfint, huic errori leges medentur. L. errorem calculi C. de errore calculi.* Mirùm mehercule *si in honoribus favoris gratiâ constitutum est, ut pro plenis inchoatos accipiamus annos L. 8. ff. de Muner & Honor.* hìc superstites aliqvot menses trahendos esse in præjudicium, cùm PESTELIUS non ad perituros evectus sit honores, sed è *cano ad cœlum, è solo & salo ad caleste ut solium* translatus sit. Felix hic *error* est, qvi illuc ducit *errantem*, ut nunqvam *erret in calculo.* Enim verò superflui hi *dies*, hi, si qvi unqvam sunt in *jure*, sunt *dies illi utiles*, qvibus vitæ præteritæ *Acta*, qveant *inspici, inspecta corrigi, correcta per inrotulationem* (ut vocant) *colligi, componiqve*, ut à supremo judice (*unus favor plus valet hoc in Judice, quam mille mille* leges *in Codice*) læta exspectetur sententia. Qvid ergo nunc tandem restat *A. A.* qvàm ut ad solatium componamus animos, &, uti præcipuum amicorum munus est, non, ignavo indulgere dolori, sed meminisse, qvibus virtutibus qvis dum viveret, inclaruerit, vitæ à PESTELIO nostro hic exactæ retineamus imaginem. Ego sanè faciam hic præter id, qvod fecit *Tiberius Casar*, qvi deductos in Senarum *Germanici* filios *patribus* commendavit, ut *quorum bona malaque pertinerent Rempublicam, eorum curam haberent.* Hi ergo, qvos cernitis hìc Patre orbatos liberos, hi sunt, qvi vestram *Patres Academia* paternam exspectant sollicitudinem: Vos *Patroni*, vos *Amici*, hos *clientes* vestros fovete, qvorum in animis, uti hodie charissimi Parentis prosecuti exuvias, leniistis dolorem: ita illi hujus, aliorumqve beneficiorum retinebunt memoriam nunqvam morituram.

PROGRAMMA
Qvô
JOANNIS VALENTINI NIESII
ORATIO de ATHEISMO
indicitur.

QVoties præſentem orbis in ſenium ruentis faciem ſollicitâ mente intueor, neſcio, qvæ implacida rerum imago confundat oculos, ut gelidus etiam ſudor exterritos artus pervadat. Homines cerno, qvi incurvas in terram beſtias ſublimi qvidem faſtu deſpiciunt, ſed ſuæ ita fœdùm oblitos originis, ut natam cœlo mentem in ſolum, cœnumqve degeneri flagitio detorqveant. Nullum enim eſt hodiè tam enorme nefas, qvod non mortalium impietas flagitiosô ambitu etiam ſeligat: vivida Patrum ſinceritas contabuit in nepotibus, & ſuperſtes virtutum vigor obriguit: ardet in amores improvida juventus, &, qvod mirêre, arida etiam ſenectus in diſpari pellicum ſinu ultimo conatu elangueſcit: temerare aliorum cubilia, ſcelus priſcâ qvondam ſeveritate coërcitum, corruptis Germaniæ moribus in ſeculi luſum jam tranſiit, augetqve triumphales hominis exerciti titulos, furtivis his ludibriis ſuſpicaces thoros fatigaſſe: Religio, ſacrum illud Animarum, qvô cœlo innexæ ſunt, vinculum, hæc *fides* qvot *perfidis* hodie *fidibus* luditur, & qvod forſan eſt atrocius, hæc *fides* absqve *fide* luditur. Qvid referam præcocia liberorum vota, qvi patrios in annos impatienti inqvirunt audaciâ, & inviſam fatorum moram properatô ferrô reſcindunt, ut parentes mori dubios ſuæ aviditati immolent. Hæc fœda ſcelerum lues non tam contumaci impetu graſſaretur in Mortalium viſcera, ſi firmior cogitatio armaret intectos animos, eſſe *Deum aliqvem*, qvi, velut ſupremus rerum arbiter, & virtuti

præmia & pœnas impietati dividat; hebeſceret ad metum cœleſtis iræ ferox improbitatis aculeus, & effuſa peccandi licentia per hos obices caſtigata detumeſceret. Verum novâ ſemper flagitiorum indagine nimium felix hominum impietas, omnium immanitatem ſcelerum jam redegit in compendium, *Atheiſmum* loqvor, monſtrum atrox, deforme, horrendum, ingens, qvi velut ſtyge effuſus cancer, non jam hæret agreſti incultæ plebis fronte, ſed altiùs invaſit, exeditqve illorum animos, in qvibus erectius ingenium, & ſuperba ſapientiæ opinio acriori audaciâ nocendi artes exſtimulat. Hæc veſania timido primum, ſed callidô conſiliô, *Rationis*, vim ſuam in immenſum efferentis ambitionem occupat, qvæ, poſtqvam diversâ ab aliis ſemitâ in abſtruſa *Naturæ* arcana ſibi penetrâſſe viſa eſt, acerbô riſu proſcindit innoxiam *Antiqvitatis* ſimplicitatem, & ipſo deinde contemtu audacior, Supremi etiam Numinis tentat atria, qvaſi poſt devictam *Naturam* de *Deo* ipſo triumphatura. Interim juſtâ ultione confundunt lubrica tam veſanæ veſtigia ſapientiæ cœleſtes iræ; hinc hæret, & horret *Ratio*, donec nutantem deſperatio evertat. Adeo facilis eſt à *ſummo* declinantibus per prærupta ad infima qvæqve caſus. Qvam non deſæviit, per Deum immortalem! in hoc ſpineto paucis ab hinc annis lymphatâ mente exæſtuans SPINOZA, cujus effrenem libidinem non Dei, non Sacrorum abſterruit reverentia, qvo minus totam *Religionis* compagem uno impetu exſcinderet. Crederes Erebi monſtra, & ferales Acherontis Umbras recluſô averni ſpecu in lucem remeaſſe, adeo triceps hic Cerberus truculentum virus in orbem eructavit, atque ipſam furiarum inventionem fatigavit. Inſana Ratio! cujus ſubtilitatem vel *Palea*, qvæ ante oculos eſt eludit, & auderet illa, immenſos illos *divinitatis* montes infrunitâ, ſed inutili audaciâ ſcalpere? *hoc* obice coërcet effrenem *Rationis* impetum divina ſapientia, ut dum hæret in iis, qvæ *Natura* aperuit, admonita diſcat, fruſtra tentari

illa

illa, qvæ *Divina Mens* opperuit. Qvid nunc dicam de *Politicis*, qvi tot Regum diademata, tot ſceptra principum è prudentiæ ſuæ filo ſuſpendunt, & vaſtam illam orbis molem volubilis ſapientiæ gyro verſant, animo has in curas tam obfirmato, ut, certi qvaſi in Aula cum Deo æmulationis, ipſum etiam Numen ab imperii ſocietate contumaciùs arceant. Hoc hoc eſt illud virus, qvod cis-Alpina Machiavelli ſchola primùm effudit in orbem, qvod licet tot regnorum, tot principum exitio infame, ipſa etiam Germania alienos in mores nimium facilis tam avidè hauſit: obrepit hæc impietas ſapientiæ ſpeciem ementita, & tantum nefas ſub virtutis larva triumphat. Ita nunc omnium ætatum crimina, omnium immanitas ſcelerum in hæc tempora confluxit, & gemit ſub ſcelerum mole depreſſus orbis, ut terræ oneris ſui improbitatem dedignantis hiatum verear. Affixa eſt ſuo menſura flagitio, nemo ſceleſtus fallit ultorem Deum, veniet pœna impiis tam dura qvidem, qvam tarda gradu, nullum nefas tranſire ſuperis impune ſolet. Sed plura in tanti ſceleris atrocitatem additurum interpellat Præſtantisſimi, ac Doctiſſ. Dn. JOANNIS VALENTINI NIESII, *Homburgenſis Haſſi*, Pia induſtria, qvi poſtqvam vividam ingenii vim hactenus in non vanam ſtudiorum ſpem ſolerter impulit, Publicis etiam argumentis eandem in Academiæ conſpectu probaturus, à Deo, ſapientiæ fonte ritè capiet initium, atqve in *Atheiſmi* tam latè dominantis immanitatem ſeverâ voce detonabit. Qvam Orationem, cum 29. Julii horâ decimâ in Audit. majori expoſiturus ſit, vos, qvibus cura eſt, & ctium, huic ultioni aures & animum impendere, adeſte tam pio operi, ſtimulate vocem novi Oratoris, & ingenuos conatus favore veſtro accendite, habebitis tanti beneficii nunqvam immemorem. Valete. Dabam è Muſæo RINTELII 10. calend Aug. An. 1676.

INVITATIO

Ad audiendam
CAROLI GOTHOFREDI DEICHMANNI,
De CAROLI Magni virtutibus atqve vitiis Orationem.

EA eſt principum, Regumqve, qvos orbis adorat, conditio, ut qvò altiùs & naſcendi ſors, & fortunæ abblandientis favor illos ſubmovit è vulgi tabulis, eò acriores invitent ſapientum oculos, qvi non odio, non adulatione corrupti famam ac gloriam ex æqvo diſpenſant. Inania namqve ſtolidæ plebis judicia facilè deſpiciunt per objectam virtutum larvam ſublimes principum curæ, qvibus, *non ut ceteris Mortalibus in eo ſtant conſilia, quid ſibi conducere exiſtiment, ſed præcipua rerum ad famam dirigenda*; liberam tamen eorum verentur aciem, qvi velut arbitri, partiumqve ſtudiô aut intacti, aut majores, animi ſenſus ita temperant, ut neqve debitam virtuti laudem, gloriamqve iniqvâ obtrectatione decerpant, nec vitiis molliori voce, aut ignavo ſilentio ultionem auferant Et certè magnis hucusqve argumentis compertum eſt, inſitô vulgi errore illos ſæpe principes inſcribi cœlo, qvos tamen æqvior ſapientum opinio allidit ſolo, & ſtipari calumniæ nebulis memoriam illorum, qvorum virtutes inductam improbè caliginem fulgore ſuo facilè ſubmovent, diſpellunt. *Ita diviſis hominum ſententiis diſcerpitur Imperantium fama, & ab incertis ſuffragiis ſuſpenditur hæc cognata cœlo Regum auctoritas, dum & ipſas virtutes detorquet in ſcelerum infamiam Mortalium nequitia, neque infeliciùs hæc ſub illarum larvâ triumphant.* Alexander M. publicus ille orbis prædo fuſo tot millium ſanguine *Magni* ſibi ſcripſit titulum, & injectis Aſiæ bellorum flammis gloriam accendit, totqve Urbium ſtrage monumentum

mentum erexit nomini, vel hoc unô felix, qvod post domitum orbem hominum qvoqve linguas domuerit, de qvibus etiam post funera sub *Magni* nomine triumpharet. *Magno Magnum* adjiciam, *Carolum M.* loqvor, cujus virtutes non minoribus mixtas vitiis plus justo suspicit nata in adulationem posteritas, ut illum etiam, velut *Herculem Germanicum* Germania adoret. Non est autem mihi hîc consilium, & acerbiùs lacessere *Carolum*, & debitam tanto Cæsari libare gloriam, modò liceat & modestè irasci ejus vitiis, & vanam ridere *Pontificis Romani* pietatem, qvi nescio, qvibus consiliis *Carolum* etiam inter cœlestis Aulæ proceres adoptavit, credo, *ut adornatis in speciem hisce ludibriis ceteros quoque Regnorum arbitros ad paria in Curiam Romanam beneficia callidè illiceret.* Qvodsi autem Vitiorum semina parentum sanguis indit liberis, & proavorum imaginem fœdior sæpe refert progenies, non admirabor in *Carolo* indomitam libidinem, & acerrimum ad aliena rapienda impetum, nec barbaram in eo crudelitatem stupebo. Proavum habuit *Pipinum crassum*, qvi *plectrudem* uxorem *Alpaide* per adulteros amplexus miscuit, & tam blandus hic amor, ut fieri non raro solet, in *Lambertum Ultrajectinum* præsulem sollicitè monentem desæviit, qvi, velut oblata huic *Veneri* victima, An. 698 à *Dodono Alpaidis* fratre interemtus suo cruore firmavit illud cubile, qvod tantus adulter suo jam sanguine contaminârat. Hæc *Alpais* meretricio ex sinu *Carolum Martellum* effudit, qvi & natos ex *plectrude* fratres paternâ hæreditate depulit, & *Lotharium IV.* Imperii curis, qvod per Principis socordiam filius *Pipinus* rapuit. Hic enim corpore qvidem *Nanus*, sed animo *Gigas*, ut erat secundi gradus impatiens, regium qvoqve nomen ambiit, accitoqve in societatem consilii *Zacharia P. R. Childericum* imperio exuit, hoc uno misericors, quod *novam depulso coronam, sed tonsoris manu adornarit*, exemplum posteris, *quod Franci etiam Regum suorum sanguine nondum potuerunt eluere.* Sed

hanc

hanc Majorum infamiam in *Carolum* non transferam, qvi ipsâ vitiorum æmulatione parentum dedecus provocavit. Thorum, qvem qvatuor opplevit uxoribus, Meretricum qvoqve *Gersvvindæ Retbergæ*, aliarumqve aperuit amplexibus, qvarum in ſinu *Francicus ille Mars* delituit, excluſitqve *Pipinum Gibboſum*, qvi, velut dignus hoc nido cuculus, in patris necem poſtea manum armavit: auxere domeſticam infamiam *Immæ* filiæ cum *Eginhardo* amores, qvos *Carolus* ipſe ſudâ nocte cœlo, ſtellisqve intentus, velut nova ſidera in ſoli area vidit oberrare, & hærentem *Veneris* hujus humeris novum hunc *Martem* obſtupuit. Qvid dicam de *Caroli* ambitione, qvæ ad ſæva non raro conſilia ipſum adegit. *Carolomannum* fratrem & vivum laceſſiit, & liberos ab ejus obitu regno depulit: junctum affinitate *Thasſilonem* Bavariâ exuit, & ſocerum qvoqve (*adeo nec Sanguini parcit ambitio*) *Deſiderium Longobardorum* Regem, ad *Paviam* captum in *Franciam* abduxit: rapuit *Imperii Romani* titulum, qvem nec *Leo* pontifex dare poterat, nec *Carolus* accipere, & in ſpem qvoqve *Orientalis* Imperii ambiit *Irene* nuptias, qvæ erutis filio *Conſtantino* oculis jam matrem exuerat: crudelitatem qvoqve 300. Romanorum cæde exercuit, qvorum ſanguine primos accepti *Romanorum Imperii* dies conſecravit, tinxitqve purpuram, qvam *Romanus ille Leo Carolo* circumvolverat: in *Hildegarde* etiam Uxore redux é bello ultimum crudelitatis impetum abſumpſit, cui licèt inſonti oculos eruendos ferox, & furens mandavit. Sed hæc pluribus perſeqvi mihi integrum non eſt, cum pereximius, ac Nobil. Dn. CAROLUS GODEFREDUS **Deichmann** Haſſo-Schaumburgicus hoc argumentum eruditâ oratione complexus ſit, qvâ ipſe velut magna ſpe ſuccreſcens in Majorum virtutes, & generis ſui memor, cujus claritudinem propriis qvoqve virtutibus adaugeat, conceptam de ſe expectationem firmaſſe viſus eſt. Qvam orationem cum ipſe 10. Febr. in Aud. Majori horâ 1. pomerid. publicè expoſiturus

ſit,

ſit, adeſte, qvotqvot & Eloqventiæ ſtudium, & dicendi, qvam Carolus in Carolo uſurpabit, amatis libertatem: favete novo Oratori, & inflammatum per Caroli M. vitia ejus animum benevolentiâ veſtrâ acriùs accendite. Habebitis & me, qvi eos omnes, qvorum intereſt, peramanter atqve officiosè invitat, & Oratorem hujus beneficii non immemores. Valete. Dabam è Muséo RINTELII prid. 9. Febr. An. 1677.

IN OBITUM CHRISTINÆ BODINÆ, GERARDI BODINI, Conjugis.

EA eſt Societatis humanæ conditio, ut bona, malaqve non ad unum duntaxat, qvem rerum viciſſitudo aut levat aut premit, ſed ad omnes hoc conjunctos vinculô pertineant. Hæc ſocietas, qvò arctior eſt, eò altiùs qvoqve in cunctorum animos deſcendunt adverſa, qvibus ſinguli conflictantur. Spina ſolo fixa digito toto diffundit dolorem corpore, & reliqvas corporis humani partes, vel invitas cogit eſſe participes illius mali, qvod unô membrô cernitur. Hæc bonorum malorumqve communio præcipuè eſt in corpore Academico: cunctos unius civis fortuna afficit, proſpera gaudium, adverſa mœrorem in omnes diffundit. Mortem noſtro inimicam corpori hactenus vidimus, vidimus, nec ſine lachrymis vidimus, rapi è Profeſſorum complexu liberos, vidimus dilectas conjuges ter repetito elatas funere, & Viduos omnium penè facultatum vidimus. Novum nunc hodie indicendum eſt Spectatæ Virtutis Matronæ CHRISTINÆ, Viri Reverendi ac Nobiliſſimi Dn. GERHARDI BODINI SS. Theol D. ejusdemqve

Professoris meritissimi dilectæ Conjugis: Hæc HENRICO Schreiber Comite Palatino Cæsareo, Urbis Mindensis Consule, qviqve Regno Suediæ fuit à Consiliis, ac CHRISTINA Sobbe/ parentibus, magnisqve Majoribus orta, vividum, magnisqve rebus aptum uti nacta est ingenium, ita id ipsum magnis qvoqve Virtutibus exercuit. Tredecim liberorum mater Romanis Privilegiis vel insultare potuit, hôc ipsô etiam felix, qvod tot in liberis vivat etiamnum, ac nepotibus. Matris qvidem curam præcox fatum ab initio præripuit, sed abeuntem hanc solicitudinem Agnatæ compensavit industria, cujus firmata manu magnas in virtutes adolevit. Dolor vetat commemorare singula, qvibus Optima hæc Matrona inclaruit, nobis hoc ipso infausta, quod quartum jam Viduum Corpori Academico addiderit: Qvid referam vigilem ejus manum, quæ rei familiaris curam semper extendit? quid pietatem Conscientiæ Arbitro satis cognitam, qui Christinæ ac Christianæ, ingemiscentis inaudiit virtutes: Liberi ad pares virtutes efformari, ut Majorum factis inclyti propriis etiam virtutibus inclarescerent. Mihi Urbs ipsa imponit silentium, qvæ factorum memor factis distinxit encomia. Nobis lugendum funus, Et, postqvam tribus jam viduis qvartus accessit, Vobis Clarissimi Professores, qvos tanti mali sensus agit, ceteriqve Academiæ nostræ cives hæc mala nostra publico hoc Edicto enuncio. Uti autem defunctæ memoriam Cunctis laudatam virtutibus nostrum est retinere, ita, cum hodiè optima illa Matrona terre Matri reddenda sit, Vestrum erit, & optimi Collegæ retinere memoriam, & patrem vestrum in Conjuge venerari. Dabam Rintelii, die 26. Nov. An. 1679.

IN-

INVITATIO
Ad audiendam
BURCHARDI BRUNONIS de MENGERSHEIM,
De
Electionis dignitate Orationem.

DIversis gentium ritibus adſcitos Principes ſemper adoravit orbis, alios liberâ populi poſt ſingulorum obitum in comitia & ſuffragia euntis voluntate delectos, alios unâ ex ſtirpe Imperium velut hæreditatem ſibi vindicantes. Uti autem ſpes ac futurorum metus populos aut ad unius adegit familiæ obſeqvium, aut ab eo abſterruit; ita comperta deinde ex utroqve ſucceſſionis modo utilitatis damniqve ratio priſci moris aut amorem retinendi, aut novandi injecit deſiderium, ſimulqve politicorum acri certamine commiſit ingenia, præſtetne, uni ſe ſtirpi in hæreditatem permittere, an deligere ex civibus optimum, qvi vacuum alterius obitu principatum occupet. Electionis mala enumerant alii, diviſis procerum ſtudiis per factiones dividi Remp. & diſcordes in eligendo principe uniri in ruinam patriæ, dum qvæqve factio ſuarum partium obtrudit, animat, armatqve principem, cui primùm ſubditorum ſanguine tingenda purpura, & ex patriæ ruina ſtruendum regale ſolium: vidit Germania in *Henrico* IV. everti jura Imperii, *Rudolphum*, *Hermannum* vidit, vidit & ipſum filium turbulentis eligentium vocibus armari in Patrem: vidit *Ottonem* & *Philippum*, *Fridericum* II. *Hermannum Thuringiæ Landgravium*, ac *Wilhelmum Hollandiæ Comitem*, *Ludovicum Bavarum*, & *Fridericum Auſtriacum*, *Albertum* & *Adolphum* in mutuam ruentes necem, & Germaniæ excidium, poſtqvam tumultuaria electio cecinerat claſſicum, vidit, & ipſo in buſto errori ſuo moritura indoluit. Optimum qvidem inter cives Virtus facit, ſed hæc raro eſt ille magnes, qvi

eligentium linguas movet; trahit ſua qvemqve utilitas, & hanc in electo virtutem æſtimant, qvæ beneficii non gratis accepti recordationem excitat. *Wenceslao* non virtus, ſed promiſſæ à *Carolo* patre proceribus opes dedere Imperium, qvod uti emi *Carolus* legis Aureæ conditor ſimul, atqve everſor voluit, ità & poſtea ob ſocordiam, ac flagitia debuit adimi. Abditi ſunt animorum, qvos obſidet ambitio, receſſus, abſtruſæ latebræ, qvas nulla ſolertia facilè excutiet: ſimulata virtus virus eſt, qvod preſſum diu erumpit poſtea in ſubditorum peſtem: fucus eſt, qvi credulos fallit aliorum oculos, ſed latet focus, qvi reductis deinde integumentis flammas evomit: patrem deſiderant cives, qvì præſit, corrigat, non lædat; ſed Saturnum ſentiunt, qvi atrocem ingluviem etiam in liberos exacuat. His damnis obrui putant *liberæ electionis* gloriam. In Imperiis, qvæ per hæreditatem transferuntur ad poſteros, acriora pericula, ſpem incertam, damna certa formidant alii: in infantem, in puerum, in imbecillæ mentis hominem rerum ſummam fatorum ludibrio indignantur transferri: non hic pater patriæ, qui primum cœpit eſſe filius: non vigil in aliorum ſalutem oculus, qvi propriæ ignarus vix lucem aſpexit: qvì ſolabitur ſub onere gementes ſubditos, qvem vagientem nutricum demulcent næniæ? Ubi admiratio & metus geminæ illæ imperiorum baſes, ubi auctoritas illa principum anima, qvando ſimplex & inutilis ætas ſuperbè deſpicitur? excitantur ſeditiones, princeps puer vagit: bella avertenda, princeps puer in nutricum ſinu ludit: ineunda ſunt fœdera, puer princeps faſciis aſtrictus pigritatur. Neqve vicariæ tutorum manus his malis mederi poſſunt, aut miniſtrorum induſtriâ Reip navis feliciter dirigi, cùm in illis ambitionis non rarò accendatur æſtus, non alio qvàm pupilli ſanguine extinguendus, & turbata horum diſſidentiũ jurgiis acu magneticâ navigii hujus curſus facilè ſiſtatur. Tanti refert, in deligendo hoc navarcho ſpectare virtutem, qvâ Reip. navis è Syrtibus

tibus ac procellosi maris fluctibus in portum feliciter qveat derivari. Sed plura additurum interpellat Prænobilis, ac Generosus Dn. BURCHARD BRUNO de MENGERSHEIM, *Nobilis Paderbornensis*, literarum æqvè ac morum nobilitate apprimè excultus, qvi veneratus in Principe *deligendo* virtutem, & magno *magni* FERDINANDI, qvem sola virtus ad geminas & *Paderb.* & *Monast.* evexit infulas, animatus exemplo eruditâ atque eleganti oratione *Electionis* dignitatem ac gloriam exposuit; qvam cum 3. *Non. Augusti hora* 10. in Auditorio majori publicè habiturus sit, adeste, qvotqvot virtutis amor trahit, & Oratorem favore atqve applausu vestro excipite. Certè cujus virtutem comperietis in dicendo singularem, in eo qvoqve gratam hujus vestræ humanitatis, virtutisqve memoriam in agendo nunqvam desiderabitis. Valete. Dabam Rintelii è Muséo Sexto Non. Augusti M DC LXXX.

INVITATIO
Ad audiendam
ORATIONEM,
Qvâ Serenissimo Hassiæ Landgravio
DN. CAROLO I.
Die Serenitatis Ejus Natali
CAROLUS LUCÆ, gratulatus est.

ITa olim apud Romanos, Græcosqve à Majorum institutis comparatum erat, ut non singuli modo *diem* sibi *Natalem* magnâ religione qvotannis celebrârint, ac Genio suo annale munus obtulerint, sed etiam illum ipsum diem, qvi urbi *Romæ* dederat initium, festum, sacrumqve fecerint. Postqvam enim *Lucius Carutius* Chaldaicarum rerum apprime peritus diem XI. *Calend. May Romæ Natalem* reperit, revolutâ semper annorum serie rediere Romanorum gaudia, &

& Imperatores *Valentinianus*, *Theodosius*, & *Arcadius* V. qvoq; *diem May* Urbis *Constantinopoleos Natalem* cum *Roma veteri* concelebrandum jussere *l. 7. c. de feriis*. Sub *Tiberio*, cùm *lex Majestatis* jam adolesceret, tristi omine redibant priores metus, qvod *Considius Proculus Majestatis* postulatus, nullo pavore *diem Natalem* celebrans, raptus in curiam, pariterqve damnatus, atqve extinctus esset, *Tacit. Annal. 6*. Qvæ Majorum religio cum in singulis, privatisqve etiam hominibus, ac mutis, inanimatisqve qvoqve Urbibus tantò animorum ardore observata sit, tantum qvoqve â civibus impetrare potuit pietas in Principes, qvorum prospera qvæqve, atqve adversa pertinent ad universos, Ut in ipsos etiam transferatur hæc veneratio. *Vitellii Natalem Cæcina & Valens*, editis totâ urbe gladiatoribus, ingenti paratu, atqve ante eum diem insolito, festum peregit. *Tacit. Hist. 2.* detestante jam multò ante *Neronis* adversùs matrem truculentiæ, ac parricidii complementum *Romá*, qvod miro procerum certamine decretum, ut N*atalis Agrippinæ dies* inter *nefastos* haberetur *Tac. Annal. 14.* In horrescit orbis, dum subit animum recordatio illius noctis, qvâ primum cœlo conspecta feralis cometæ coma, infestam pandens facem, populorum ituram in exitum, qvantâ ergo lætitiâ redeuntibus semper annis excipiendus est ille dies, qvi *Optimo, Principi* ac *Patriæ Patri* Natalis illuxit primus, qvoq; tam beneficum, ac *Joviale* cœpit fulgere sidus, datum cœlo, gratumq; solo, radiis jam blandum micantibus felicitatem prænuntians. Hanc in rem intentus, Eruditus, atqve optimæ Spei Juvenis, Dn. CAROLUS LUCÆ, *Hasso-Cassellanus*, cùm sciret Natalem *Serenissimi Principis, ac Domini Dn.* CAROLI, *Hassiæ Landgravii, Principis Hersfeldiæ, Comitis Cattimeliboci, Deciæ, Ziegenhainæ, Niddæ, & Schaumburgi &c. Domini nostri clementissimi, optimi Patriæ Patris, Germanicæ Assertoris libertatis, Herois fortissimi tertio* rediturum *Augusti die*

Hæc est magna dies, cœlestis conscia partus
Augustum Carolum, qvæ tibi, Catte, dedit.

Dies, qvo classis *persica* victa ad *Mycalem* à *Xantippo periclis* Patre, dies, qvo ingens *Persarum* exercitus *ad plataas* à *Pausa-*

nia cæſus velut devotus patronorum optimo cliens hoc ipſo die, qvi erit craſtinus, votivâ oratione hunc *Principis optimi*, *Patris Patriæ*, *Principis juſtisſimi*, *Munificentisſimi*, *Religioſisſimi*, atq; animô verè *Regii*, Natalem gratulabundus excipiet, Principis, qvi velut alter *Arminius* jam ferè fugientis Germaniæ *Stator* libertatis, ad *Reinfeldiam* docuit, nec *lilia Gallica* hâc plantari in *rupe*, nec *Gallum* hâc in *petra* poſſe *nidum* ponere, Principis, qvo *adfluente confluentes* ad *Confluentiam* hoſtium copiæ cœperunt *diffluere*, Principis, cujus cura *Amurca* è *Namurco* derivata, Principis, cujus qvoqve conſiliis *Angliæ* illibata manſit religio, atqve libertas, principis, cujus armis contuſa etiam *Lunæ Ottomannicæ cornua*. Qvamobrem omnes, qvotqvot hunc ipſum diem grata in *Principem*, *Patrem Patriæ*, revolvunt pietate, oro, obteſtorqve, ut trepidantem Oratoris vocem benevolâ præſentiâ animent, precenturqve nobiscum, ut vivat *Principum decus* CAROLUS, vivat *pater patriæ*, vivat *hoſtium terror*, ac *Subditorum amor*, & qvam ipſi invidit natura immortalitatem, tribuat hic in terris virtus, & in cœlo Deus. Dabam Rintelii ex Muſéo die Secundo Aug. Anno M DC XCVI.

INVITATIO *Ad audiendam*

PHILIPPI CHRISTIANI CLODII Orationē de liberata obſidione Rhenofelsâ.

IO triumphe! depulſis hoſtibus ſoluta *Reinfeldiæ* obſidio eſt, & adflictum *Rhenanam* ad *Rupem Galli* caput, ejusqve jam ſubſaltantis criſtam *Cattus* (die Katze) admordit. Admoverat properante ad finem anno ſuperiori publicus ille Germaniæ hoſtis, ac vaſtator Europæ hanc ad arcem copias, jamqve deſperatis, uti opinabatur, auxiliis futurus hujus loci compos, ſpes ſuas in longum jecerat; ſed excisus *Galli* ferocientis *cantu Leo Hasſiæ*, alter ille *Germaniæ Arminius*, atqve indignatus hoſtium protervia, depulſis ab obſidione ſumma cum gloria victor, docuit, nec *Lilia Gallica* hoc plantari in *rupe*, nec *Gallum hâc in Petrâ* poſſe nidum ponere. Lo-

qvor patrem patriæ, Germanicæ Aſſertorem libertatis, Heroem fortiſſimum *Serenisſimum Principem*, *ac* Dominum, DN. CAROLUM, *Hasſiæ Land-Gravium*, *Principem Hersfeldiæ*, *Comitem* Cattime'iboci, *Deciæ*, *Ziegenhainæ*, *Niddæ*, *ac Schaumburgi &c. &c.* Dominum noſtrum Clementiſſimum, cujus auſpiciis, ac virtute actus in fugam hoſtis, confuſis ſubitâ formidine, ne interciperetur, veſtigiis, adverſam jam ſibi fortunam increpans (credo, ſi quid ex aſtris divinare licet, triſtiori eandem gemitu hoc anno deteſtabitur) flaccida, cruentaqve criſta ultimum cecinit, *veni*, *vidi*, *fui*, *fugi*, *disſperii*. Trepidabat jam ante *Hasſia*, jamque imminentes ſuis cervicibus hoſtium cernebat gladios, diripi, incendi, vaſtari omnia; ſed hic hic Heros, ſuo tam ſacri ac pretioſi capitis etiam diſcrimine à patria, â ſubditis, â ſociis avertit periculum, ſuô labore, ſuisqve vigiliis nobis qvietem peperit, ac ſecuritatem.

Heros fortisſime, *ac Triumphator*, *Serenisſime Princeps*, nobis non ſunt ornamenta triumphalia, non *corona*, non *patera aurea*, non *ſella curulis*, non *ſcipio eburneus*, non *toga picta*, non *tunica palmata*, qvibus te curru ſublimem triumphali, *Romanorum* ex more condecoremus; ſed vota ſuperſunt, qvibus ſupplices poſcamus â ſupremo Numine, ut te *Magnum ex Carolo Magno natum Carolum* inter tot hoſtium inſultus, inter tot præſentiſſima ſæpe pericula nobis ſervet incolumem. Qvæ inter, cum tibi gratulabunda qvoqve adſurgat *Hasſia*, lætentur amici, applaudant armorum belliqve Socii, *Viſurgim* qvoqve in gaudiorum provocabit communionem *Rhenus*, & ipſis Calend. Februarii à peractis Sacris *hor.* 10. in *Acroaterio Majori* Eruditus, ac magnæ ſpei juvenis Dn. PHILIPPUS CHRISTIANUS CLODIUS, Haſſo-Schaumburgicus, compoſita ea in rem Oratione declamabit.

Adeſte ergo, qvotqvot de tanta *Hasſiaci Leonis* lætaminè victoria, & congratulantis vocem Oratoris applauſu veſtro provocate. Tu interim vive, *Principum decus Carole*, vive *pater patriæ*, vive *hoſtium terror*, ac *ſubditorum amor*, & qvam tibi invidit natura immortalitatem, tribuat hic in terris virtus, ac fortitudo, & in cœlo Deus. Dab. Rintelii ex Muſæo 28 Ian. qvi Carolo M Sacer An. 1693.

Z.

PHILIPPI LUDOVICI PASTOIR, P.P.

De

CURA PRINCIPUM, ALIORUMQVE MAGISTRATUUM CHRISTIANORUM CIRCA OPPRESSOS FIDEI SUÆ CONSANGUINEOS,

DISSERTATIO.

DISSERTATIONIS
CONSPECTUS.

I. *Natalis Alexandri narratio de Leone III. Carolo M. Tutoris & Defensoris Ecclesiæ titulum conferente expenditur, ac demonstratur, illam juxta illud Taciti annal. I c.*81. *complecti* specio-sa verbis, re tamen inania vel subdola. *Vera Tituli istius Carolo tribuendi ratio docetur & ad ipsum Dissertationis argumentum transitus paratur.*

II. *Obtestationes eorum causâ facta, qui propter religionem premebantur. Exempla Estheris Reginæ, & Constantini Magni. Notatur error Sozomeni de occasione literarum, quas Constantinus M. ad Saporem* Persarum *Regem in gratiam Christianorum exaravit.*

III. *Proponuntur exempla tum Bernensis Reipublicæ pro quinque Studiosis ad Henricum II. Galliæ Regem intercedentis, tum Friderici III. Electoris Palatini magnô animô Reformatorum in Gallia causam tuentis apud Henricum III. Electum id temporis Poloniæ Regem. Ejusdem Friderici intercessio pro Annæ Burgio. Traditur Historia missæ Legationis ad Henricum II. Galliæ Regem ab eodem Friderico, nec non ab Augusto Saxonum Electore, Christophoro Wurtembergico, Wolffgangoque Veldentiæ Comite. Huic jungitur ex Heideggeri Historia Papatûs laudati Electoris Palatini epistola Philiberto Emanueli Sabaudiæ Duci missa de Waldensibus mitiùs tractandis. Anglici Oratoris Morlandi gravissima oratio, Carolo Emanuele Sabaudô, ejusque matre coràm habita. Frid. III. Borussiæ Regis pro Palatinis intercessio.*

IV. *Principes Christiani, afflictæ Ecclesiæ Defensores sociorum fidei suæ bono cum ipsis Persecutoribus amicitiam coluere. Id quod Probatur exemplis Constantini, Caroliqne Magni. Pal. Elect. Friderici III.*

V. *De*

V. *De facto Principum Christianorum, suo in territorio sectas tolerantium, quò suis in alieno liberum foret religionis exercitium. Exempla Valentiniani I. Justini I. Wilh. Cave notatus. Refutatur è Blondello, Labbeanorum Conciliorum Editoribus, Du Pino, Cardinalis Baronii falso relatio de Joanne I. Pontifice Romano Arrianis Ecclesias adimente. Athanasii prudentia, quâ Catholicis Alexandriæ tum agentibus suas Ecclesias conservavit. Factum Othonis Henrici Palatini Anabaptistas in suo territorio tolerantis. Aureum ejusdem monitum in illius testamenti tabulis repertum. Memorandæ Landgravii Philippi Magnanimi voces ad Granvellanum. Christiani Principes sui esse officii rectè arbitrantur, providere, ne pestiferæ omnis generis sectæ in illorum ditionibus, incrementum sumant.*

VI. *Veri afflictæ Ecclesiæ Tutores Persecutoribus nullâ re opem auxiliumque ferunt. Exemplum Cæsaris Gratiani. Error Theodoriti. Exemplum Reipubl. Tigurinæ.* Reformatarum in *Gallia Ecclesiarum ministri* Fridericum III. *Palatinum per literas obtestantur, ut impediat, ne suis Persecutoribus Protestantum in Germania Principes auxiliares subministrent copias.*

VII. *Fridericus iste Gallis Belgisque Reformatis contra suos hostes exercitum suppeditavit. Disquiritur hâc occasione, quid habendum de isthoc Ecclesiam tuendi modo. Exemplum Caroli Magni. Sententia* Hugonis *Grotii. Baconis de Verulamio, Pufendorfii, Monetur, rem esse dijudicatu difficilem. Othonis* Henrici *monitum. Factum Reipubl. Tigurinæ suos à Waldshutensium defensione revocantis.*

VIII. *Sollicitudo circà afflictos religionis socios, sub Persecutorum tyrannide fatiscentes. Præcepta & exempla in eam rem è divinis Novi Testam. literis allata. Egregia consuetudo Ecclesiæ Romanæ florentis secundô Christi seculô. Summæ charitatis officia* Peregrino *propter* Christianam *religionem captivo à suis præstita commemorantur è Luciano, cujus illustre quoddam in eam rem adfertur testimonium. Elector Saxoniæ Joh. Fridericus*

 ipse

ipse licèt captivus in suæ religionis homines munificus. Liberalitas civitatum Helveticarum *, præsertim verò Tigurinæ in Palatinos à Clero Pontificio vexatos. Cleri istius calumnia à summæ quondam prudentiæ Theologo prudenter confutata.*

IX. *Ad curam Ecclesiæ omninò quoque pertinet exulum receptio. Imprudentia Justini* II. *Caroli M. Ludovicique Pii Exules recipientium exempla.* Hujus *notabilia duo capitularia è Baluziano Capitularium opere exhibentur. Exempla Joannæ Albretanæ, Friderici* III. *Palatini. Elisabethæ Angliæ Reginæ, quam æmulatus fuit Wilhelmus* III. *Gustavi Adolphi, Sveciæ Regis, Friderici Wilhelmi Magni , Friderici* III. *Potentiss. Borussiæ Regis. Serenissimi* Hassiæ *Landgravii Caroli, pro cujus incolumitate votum adjicitur, totaque Dissertatio finitur.*

Th. I.

Natalis Alexandri narratio de Leone III. Carolo M. Tutoris Ecclesiæ titulũ conferente expenditur. Hist. Eccl. Tom. 16. Dissert. I. p. 11 -- 20.

Et demonstratur, illã juxta illud

VEllent, qui Romæ Pontificiæ bene cupere videri volunt, in iisque Natalis Alexander, Prædicatorum ordinis Monachus, Leonem III. Romanæ sedis præsulem, cum olim Carolo, nomine, reque magno nomen Imperatorium tribueret, Eidem præter nomen illud adhuc aliam quandam, eamque amplissimam contulisse dignitatem, videlicet illam Tutoris & defensoris Ecclesiæ. *Eo spectare juramentum, quo se Leoni obstrinxisse dicatur Carolus, coram Deo, B. Petro Apostolo, se Protectorem, defensoremque fore hujus Romanæ Ecclesiæ.* Hoc *ipso Leonem grati animi vicem Carolo rependisse: In hoc Ecclesiam tuendi officio maxime positam esse Imperatoris dignitatem, ejusque splendorem; eò jura ac privilegia cætera Imperatorum niti &c.* SPECIOSA VERBIS, RE INANIA, VEL SUBDOLA! Merito diceret acris ille vir ingenii Tacitus. *Speciosum* enim nomen istud esse, nemo diffitebitur, ubi splendorem ejus, atque speciem in-

intueatur: *Inane* tamen dicere cogetur, ubi nomen re omni penitus destitutum: *Subdolum*; ubi tribuentis animum. Cum enim cura vix sit alia Principe Christiano dignior, quam Ecclesiæ, quippe quæ singulari splendore coruscat, purpuramque Regum atque Principum veluti gemma quædam pulchre distinguit atque ornat, haud aliter, ac Israëlitarum nomina, cùm olim pectori sacerdotum Principis insiderent; nemo mirari facile debet, scriptores Pontificios in evehendo Leonis III. facto circa Carolum M. esse tantos, velleque nudum Tutoris ac Defensoris Ecclesiæ nomen, Leonis voce prolatum amplissimam continuisse dignitatem, quæ cuiquam Principum Christianorum, post hominum memoriam collata fuerit. Neque enim ipsa quoque Romana curia, cujus vestigia gnathones ejus hoc ipso persequuntur, summos quosvis Principes splendidis titulorum ludibriis circumagere quondam erubuit, nec gloriari dubitavit de incredibili, quam in illos exercuerit, liberalitate, ubi fortè suo verborum ex ærario, *quod habet*, illis largita fuit, (juxta illud Apostoli, cujus se successorem esse gloriatur) i. e. *speciosa verbis*, sed tamen, si verum fateri liceat, *re inania*. Quis enim tam stupidus sit, atque tam imperitæ mentis, qui sibi persvaderi sinat, illud Tutoris ac defensoris Ecclesiæ nomen Carolo M. tribuisse rem, quâ prius destitutus fuerit, quàm Imperatorium nansisceretur nomen, cum eoque, quod vellent, Tutoris Ecclesiæ dignitatem; quasi vero non jam antehâc Ecclesiam tuendi munus ad illum pertinuerit. Enimvero, subtilis est Natalis Alexandri distinctio, vel ut rectiùs dicam, inane potiùs ludibrium, distinguentis inter Ecclesiæ defensores, qui ex *pietate singulari*; *ex Zelo* tales fuerint, eosque, *qui ex officio, ex dignitate*; sed & asserentis, prioris ordinis esse Reges omnes, qui vel ante Carolum M. vel post illius tempora Regum officii crediderint esse, tueri Ecclesiam, licèt à Pontifice Romano non fuerint ad id ipsum muneris constituti; posterioris autem solos Imperatores Romano

Taciti Annal. I. complecti speciosa verbis re inania, vel subdola.

no Germanicos, inprimisque Carolum M. utpote inter Imperatores illos ordine primum. Præterquam enim, quod in ſanctisſimam Regum dignitatem, auguſtæque majeſtatis jura longè ſit iniquiſſimum pertendere, Zelum, pietatemque Regum circa Eccleſiæ defenſionem minùs eorum fuiſſe officii, cum hâc ratione diſſocientur, quæ conſocianda forent, quod nihili ſit ille Zelus, qui officii limites egreditur, omnisque demum pietas in eo evaneſcat, ad quod peragenſeſe quis nulla omnino lege, nedum divina teneri crederet; docet nos inſuper Carolinum Capitulare, quod habetur Editionis Baluzianæ Tom. I. p. 189. Carolum M. licet adhucdum dignitate fulgeret nonniſi regia, nihilo ſecius fuiſſe *defenſorem Eccleſiæ* cognominatum; id enim nominis ei memoratum Capitulare tribuit jam inde ab anno 769. Mirum proinde nemini non videbitur, quâ fronte vel verecundia dici poſſit, Carolum M. Pontificia demum liberalitate Tutoris & Defenſoris Eccleſiæ dignitatem obtinuiſſe; cùm tamen illa gauderet, cum Imperator nondum factus eſſet, adeoq; ſcenicâ illa ſceniceæ dignitatis collatione Leonis ore factâ, (ſi quidem illa quoad Tutoris & Defenſoris Eccleſiæ titulum facta ſit unquam, (quod negat Fridericus Spanhemius Introduct ad Hiſt. Eccl. T. 2. ſ IX.) præter ſpecioſum verbis titulum nihil acceperit. Qua in re tamen Leo III, quòd *ſubdolum* etiam ſeſe præſtiterit, facilè probat ſubdolus ejusdem Carolo titulum illum conferentis animus, quem haud obſcurè prodit Sigonius in de regno Italiæ lib. IV. ubi *Leonem*, inquit, *arrepta ex novis Romanorum turbis occaſione ſibi explendum exiſtimaviſſe*, *ut Catholicum eundem*, &c. *NB potentisſimum Regem firmum ac fidum Chriſtianis*, *atque ipſi Romanæ Eccleſiæ tutorem ac patronum pararet*, *ipſumque Imperatoriô titulô inſigniret.* Neque enim ſedi Romanæ beneficiorum illi à Carolo præſtitorum grata quædam recordatio nomen illud expreſſit (ingratus enim illius animus vel ex intermiſſa Romæ Caroli M. canonizatione patet, falſam

ſam licet iſtius rei cauſam allegante Cardinali Baronio ad an. 814. n. 63.) ſed πλήρης παντὸς δόλου καὶ πανουργίας animus (quem olim Simoni Mago Simon Petrus tribuit, tribueretq; dubio procul adhuc hodie, ſi ſupereſſet, Romanæ ſedis Epiſcopis, Simonis quippe Magi, non vero Simonis Petri ſucceſſoribus) Imperatori onus quoddam impoſiturus, *præter id, quod lex divina Imperantibus imponit*, ut rectè judicat laudatus nobis antea Spanhemius, qui, dum viveret, ſacræ antiquitatis, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ principatum, nemine non ei faſces ſubmittente, tenuit. Enimvero, ne quid diſſimulem, qui Romæ Pontificiæ benè cupientes tanti ſunt liberalitatis Leoninæ buccinatores, id agunt, ut evincant, Carolum M. magnificâ in ſpeciem, ſplendidâque dignitate auctum ſedi Romanæ juramentô ſe obſtrinxiſſe, fore, ut eidem periclitanti, quandocunque neceſſe fuerit, ſubſidio veniret, eoque demum ſuam omnem curam & operam conferret, ut ne detrimenti quidquam caperet ſacra illa Reſpublica, quæ inſanâ quondam dominandi cupiditate velut œſtrô quodam percita, juſtum Italiæ, Romæque Dominum diris devovere non dubitavit, *exactione tributorum Italia privavit* (ſunt verba Baronii ad a. DCCXXX. n. 4. 5.) *Romanosque non minus, quam Italos ab illius obedientia penitus recedere fecit*, eô ſolùm fine, ut excuſsô veteri legitimorum Principum Imperiô ſibi novum aliquod conſtrueret ipſa. Hoc enim vi & aſtu partum, quia ſubdole quoque conſervandum erat, eique rei potentiſſimorum principum & Regum auxilia cumprimis inſervire poſſe videbatur, cedere ſtatim cœpit in arcanum Pontificiæ Dominationis, Principibus Chriſtianis omni operâ hanc mentem inſtillandam eſſe, nulli unquam rei laudabiliùs ipſos impendere ſudorem, ſanguinemque ſuum, niſi conſervandæ, tuendæque ſedi Pontificiæ. Hinc enim Gregorio II. in mentem veniebat mittendæ ad Carolum Martellum legationis, hôc quidem obtentu, ut contra Longobardos ab Orientis

Im-

Imperatore ſtaret, re tamen vera, ut Pontificis accederet partibus, & orbis terrarum dominæ recens natum, ſed obſtetrice rebellione Imperium tueretur adversùs arma Leonis Iſaurici, cujus imperio ſemet Italia, Romaque ſubduxerant. Hinc etiam arceſſenda origo illius tituli, quo Galliæ Reges hodienum gloriantur, i. e. Regis Chriſtianiſſimi, quippe quem beneficio Romanæ Curiæ Pipinus nactus eſt, quòd in tuendo Petri Patrimonio ſe promtum adeo præſtitiſſet. Eodem modo ſeſe res habet circa dignitatem Tutoris & Defenſoris Eccleſiæ Leonis III. liberalitate Carolo M. Pipini filio collatam. Adeo certum eſt, & exploratæ penitùs veritatis, à potentiſſimorum Principum auxiliis Romanæ ſedis poteſtatem duci debere potiùs, quam à Chriſto; id quod nec ipſe Pontifex Paulus III. olim diſſimulare potuit, qui, ut eſt apud Pithœum in præfatione, quam ſcripto Guicciardini de Poteſtate Pontificis præmiſit, *cùm de ſumma ipſius poteſtate aliquando familiares inter mentio incideret, ridere illos ſolitus erat, qui à Chriſto eam tam anxie repeterent, cujus ſe poſſesſionem vel ſolam, optimum & firmisſimum titulum habere dicebat, quam viribus, opibusque ſummis, civitatibus munitisſimis, & NB. Potentiſſimorum Principum ſibi conjurantium auxilio tueri ac defendere poſſit.* Veriſſime! Hoc igitur è fonte Pontificia Leonis III. in Carolum M. profluxit liberalitas, *ſpecioſa quidem verbis*, ſed tamen extra controverſiam *re inanis & ſubdola.* Nobiliori proinde ſenſu Tutoris & Defenſoris Eccleſiæ nomen tum demum Carolus ille promeruit, cùm innocuam Chriſtianorum ſectam à Saracenis in Hiſpania magnopere preſſam ſummô ſtudiô, curâque tueretur, eorundemque neceſſitatibus piâ quadam liberalitate diligenter admodum proſpiceret. Dignam verò Principe Chriſtiano curam! quæ mihi dum ante oculos obverſatur, me ita vel capit, vel incendit, ut, quâ ratione & alii quoque Chriſtianorum vel Reges vel Principes, pietate præ aliis ac miſericordia inſignes, afflictis ſuis fratribus opitulati fuerint, quinam inde

Vid. Differt. D. Vagedes de Ludibriis aulæ Romanæ cap. 1. §. 9.

Vera tituli iſtius Carolo tribuendi ratio docetur.

Et ad ipsũ Diſſertationis argumentum tranſitus paratur.

inde præ aliis illustre sibi fecerint Christianorum in orbe nomen, quæve solatia misera cæteroqui gens illinc perceperit, paucis disquirere placeat. Nobile argumentum, & à nostris quoque temporibus haud alienum, quæ quidem etiam ita videmus esse comparata, ut optimum quemvis laborantis Ecclesiæ Defensorem curæ fidelium possint, meritòque debeant commonefacere. Igitur, ut ad rem ipsam, quod dici solet, aggrediar, lubet hic agere de remediis, quæ Christiani Magistratus, inprimisque Principes afflictis suis religionis causâ fratribus adhibuere; Faxit Deus, ut ad sanctissimi sui nominis divinique gloriam!

Th. II.

PRincipem vero locum hîc sibi vendicant obtestationes, atque preces illæ, quibus optimi quique Principes apud Persecutores ipsos oppressis consultum ibant, iisque vel omnem ab illis persecutionem avertere, vel saltem furoris in miseros effusi mitigationē impetrare studuerunt. Illustre præ aliis exemplum est Estheris, quæ, licet Christianorum ætatem diu præcesserit, meretur tamen, quæ inter Principes Christianos, qui pro fidei suæ sociis intercesſére, compareat: Hæc enim virilis animi Regina, *quam conspecta virtus inter magnos viros posuit* (quod memini Senecam de quadam fœmina dicere) pro salute suorum Judæorum, queis Haman, juratus ille Judæorum hostis tantùm non extrema paraverat, Ahasverum, maritum suum regium non minore prudentia, quàm animi magnitudine precata fuit. vid Esther. VII, 3. 4. 5. 6. Hujus vestigia persecutus fuit, plurimorum licet seculorum ab ea sejunctus intervallo Constantinus M. Is enim, cùm intelligeret, crebras in Persia Christo Ecclesias colligi, lætus isthôc nuntiô, Persarum Regem, qua potuit, humanitate per literas rogavit, ut Christianis omnem benevolentiam præstaret, sicque dubio procul egregium sese Tutorem & Defensorem Ecclesiæ exhibuit. Lubet hæc enarrare verbis Eusebii, qui lib. IV. de vita Constantini cap. 8. sic infit:

Obtestationes eorum causâ facta, qui propter religionem premebantur.

Exemplum Estheris Reginæ.

Constantini M.

Πυθόμενος γε τοι παρὰ τῷ περσῶν γένει πληθύειν τὰς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, λαούς τε μυριάνδρους ταῖς χριστοῦ ποίμναις ἐναγελάζεσθαι, χαίρων ἐπὶ τῇ τούτων ἀκοῇ, οἷά τις κοινὸς τῶν ἁπανταχοῦ κηδεμὼν πάλιν κἀνταῦθα τὴν ὑπὲρ τῶν ἁπάντων εἰσῆγε πρόνοιαν. Quæ Henricus Valeſius ita latinè tranſtulit: *Cumque apud Perſas crebras eſſe Eccleſias Dei accepiſſet, & numeroſam populorum multitudinem intra Chriſti ovilia congregari, hòc nunciò magnopere delectatus, utpote communis quidam omnium ubique agentium hominum tutor & curator, ad illa etiam loca providentiam ſuam pro cunctorum commodis laborantem extendit.* De Conſtantino qui refert iſthæc Euſebius, idem quoque nobis conſervavit literas ejus ad Regem Perſarum miſſas, quarum partem, quæ nobis hùc facere videtur, è d. l. c. XIII. producimus: Τούτου τοῦ καταλόγου τῶν ἀνθρώπων δὴ τῶν χριστιανῶν, ὧν ὑπὲρ τούτων, ὁ πᾶς μοι λόγος, πῶς οἴει με ἥδεσθαι ἀκούοντα, ὅτι καὶ τῆς περσίδος τὰ κράτιστα ἐπιπλεῖστον ὥσπερ ἐστί μοι βουλομένῳ, κεκόσμηται. σοί τ' οὖν ὡς ὅτι κάλλιστα, ἐκείνοις θ' ὡσαύτως ὑπάρχοι, τὰ κάλλιστα ὅ, τι σοὶ κἀκείνῳ· οὕτω γὰρ ἕξεις τὸν τῶν ὅλων Δεσπότην πατέρα Θεὸν, ἵλεω καὶ εὐμενῆ. τούτους τοιγαροῦν ἐπειδὴ τοσοῦτος εἶ, σοὶ παρατίθεμαι, τοὺς αὐτοὺς τούτους, ὅτι καὶ εὐσεβείᾳ ἐπίσημος εἶ, ἐγχειρίζω. τούτους ἀγάπα ἁρμοδίως τῆς σεαυτοῦ φιλανθρωπίας· αὐτῷ τε γὰρ καὶ ἡμῖν ἀπερίγραπτον δώσεις διὰ τῆς πίστεως τὴν χάριν: quæ rurſum Valeſii verbis ita latinè ſonant: *Quanta porro voluptate me affici cenſes, cum audio, id quod mihi maxime in votis eſt, horum hominum multitudine, Chriſtianorum ſcilicet (de his enim in præſentia loquor) nobiliſſima quæque Perſidis loca longe lateq; eſſe decorata. Opto igitur, ut & tuæ res quàm florentiſſimæ, & illorum perinde ſint florentiſſimæ: hoc eſt ut tuæ, ſic illorum. Hoc enim modo ſummum omnium Dominum ac Parentem Deum pro-*

Conf. Theodor. lib. I. Hist. Eccl. c. 25.

pitium

pitium ac placatum habiturus es. Hos itaque quandoquidem talis, tantusque es, tibi commendo. Hos quandoquidem pietate excellis, tibi in manum trado. Hos pro tua humanitate complectere. Sic enim & tibi ipsi, & nobis, hâc tua fide immensum beneficium præstabis. His autem Constantini literis quòd occasionem dederit cruenta illa Christianorum persecutio, quam Sapor Persarum Rex in illos movit, atque præ aliis describit Sozomenus lib. II. c. 9. 10. 11. 12. 13. 14. errorem esse ejusdem Sozomeni, putat Cardinalis Baronius ad annum Christi CCCXLIII. capite decimo, post eumque Henricus Valesius ad Sozomenum, quorum vestigia legere videtur Minoritarum in Provincia Provincialis Pagius, dum Saporis persecutionem annô demum Constantii, Constantisque septimô, mortuôque proin Constantinô contigisse scribit ad An. Ch. CCCXLIII. Illorum Argumenta sunt, 1. quòd Eusebius in libris de vita Constantini nullam hujusce persecutionis, quæ regnante Constantino contigerit, mentionem faciat, 2. ipse Constantinus in Epistola, quam paulo ante suum obitum ad Saporem dedit, de eadem persecutione taceat, sed & 3. Hieronymus in Chronico ad annum 7. Constantii disertè scribat. *Sapor Rex Persarum Christianos persequitur.* Natali Alexandro tamen secùs videri video, qui Cardinalem Baronium arbitratur parùm prudenter Sozomenum erroris arguere, quod vero non sit dissimile, persecutionis illud incendium sub Constantino exarsisse, posteaq; sub Constantis Imperio acerbius recrudescere cœpisse; videatur Bibliotheca librorum novorum à doctissimo viro Henrico Sikio collecta anno 1699. mens. Novembr. & Decemb. Utcunque tamen illa se habeant, & Constantinus literas suas non eô scripserit consiliô, ut à Christianorum persecutione Saporem deterreret, nihilosecius eas afferre placuit, quòd Constantinus hisce suis literis maximam suam curam, quam gerebat omnium ubique Christianorum (ῥωμαίων καὶ ἀλλοφύλων dixit Sozomenus) Christianis etiam, qui degebant in Persia, egregiè probârit.

Notatur error Sozomeni de occasione literarum Constantini.

Hist. Eccl. l. II. c. 15.

Th. III.

Proponuntur exempla tum Bernensis Reipublicæ pro 5. studiosis ad Henricum II. G. R. intercedentis.

Sleid de statu Rel. & Reip. l. 25.

Tum Friderici III. Electoris Palatini Reformatorũ in Gallia causam agentis apud Henricum III.

Vid. monum. Pietatis & liter. P. I. p. 315.

HÆc de Constantino pro Christianis apud Persarum Regem intercedente dicta sunto; videamus etiam, quænam exempla recentior nobis historia suppeditet. Hæc quidem eorum plena est, & inter alia commendat illud, quod egregia Bernatum Respublica præbuit, cum pro quinque Christi martyribus, qvi natione quidem Galli fuerant, sed tamen sumtu Bernatum, atque liberalitate, Losannæ, illorum ditionis urbe literis operam navârant, diligenter ad Regem Galliæ Henricum II. intercessit, illosque sibi donari, sed frustra petiit, cùm Gallus id sibi per leges non esse integrum causaretur, & Cardinalis Turnonius, infensissimus protestantium hostis, uti putatur, flabelli vicem præstaret, quod ignem, quo miseri mortales isti perierant, naviter excitabat. Mihi vero præcipuè memorandus est Fridericus III. Elector Palatinus, incomparabili pietate, prudentia, moderatione, sed & animi magnitudine Princeps. Is enim in colloquio, quod an. 1573. Heidelbergæ habuit cum Henrico III. noviter tum electo Polonorum Rege, manu que sua Electorali memoriæ postea consignavit, Reformatorum, qui tum in regno Gallicano religionis gratia supra, quam dici potest, crudeliter habebantur, tam egregie causam egit, ut nemo neque majori virium contentione, nec gravitate, nec piâ magis sollicitudine potuisset unquam, ut ipsam colloquii descriptionem inspicienti clarissimè patebit. Neque enim Friderico graves defuere causæ, quæ ipsum ad suscipiendam, fortiterq; tuendam adeo sociorum fidei suæ causam stimulare poterant. Meminerat occisorũ jam inde à Francisci I. temporibus in Gallia tot mille mortalium solius religionis gratia, tenebat memoria Parisinas illas, inauspicatas vero Protestantibus calamitosasque nuptias, quæ superiori demum anno, i. e. 1572. ante diluculum diei Bartholomæo festi celebrabantur, incertum, sunimâne perfidia fœdiores, an truculentiâ plusquam barbaricâ, cui parem omnium omnino

popu-

pulorum nec prisca, nec recentior novit ætas. Adeo dubium non est, quin isthæc de laniena Parisiensi cogitatio tam alta Friderici mente reposita fuerit, ut hôc ipsô præsertim tempore, qua erat misericordia, supra, quam dici potest, eum cruciârit, quod illum coram intueri cogeretur, qui juxta cum scelerata matre sua tam horrendi facinoris pars magna fuerat. Huc sane spectat & illud Friderici consilium, quo suum illum hospitem Henricum, postquam perhonorifice excepit, de industria per porticum quandam deduxit aulæ Electoralis ornatam imaginibus Principum aliorumque illustrium virorum egregiè pictis, & cum ad imaginem Admiralis Colinii ventum esset, detractô imagine, quô hæc erat obnupta velô, sic statim ad Henricum: *Hic est vir ille*, dixit, *quem ex omnibus Galliæ Proceribus cognovi maxime omnium Gallici nominis studiosum, dicique nequit, quantam Rex & universa Francia jacturam tanto in viro fecerit.* Hæc verba Fridericus quoties repetiit, toties Carolo IX. non minùs, quam ipsi Henrico summam in hujus viri cæde commissam imprudentiam & immanitatem exprobrabat, *antiquâ severitate Princeps, & ab omni fuco alienus*, summi viri Thuani judicio. Henricus autem, egregius simulandi & dissimulandi artifex, quam sibi hoc ipso factam existimabat injuriam, eam affectato silentiô dissimulavit. Colloquium vero, quod spectat superius à nobis memoratum, non id hôc loco, sed in conclavi Principis Electoris habitum fuisse, vel ex Cisneri literis ad Posthium datis fit verosimile, quibus Henricum per diem integrum ferè cum Electore paucissimis præsentibus in ejusdem conclavi collocutum fuisse scribit. Hactenus de Friderico III. inter omnes, qui unquam fuere Principes Electores, dignissimo, quem omnis memoria cogitet, posteritas ultima loquatur, à quo tamen priusquam discedam, mihimet imperare nequeo, quin illius etiam obtestationis mentionem faciam, quâ summæ virum auctoritatis, piumque Christi martyrem Annam Burgium eripere morti, sed

Thuanus lib. LVII. Hist. sui temporis.

Ejusdem Friderici intercessio pro Anna Burgio.

ſed proh dolor! nequidquam ſtuduit. Hujus enim res, cùm auctore Thuanô tam triſti locô eſſent, ut propter confeſſionem ſuam cum Helvetica ac Genevenſi congruentem vitâ propediem exuendus eſſet, Fridericus indignum ratus tantum virum tam innocenter mori debere, de repentè miſſis ad Galliarum Regem Henricum II. literis extremum à Burgio ſupplicium deprecabatur, eumque ſibi tradi ſummi beneficii locô poſtulabat. Sed tantum abeſt, ut iſthâc interceſſione ſuâ Fridericus quidquam profecerit, ut potiùs contrà ſpem omnem maturandæ Burgii necis eſſe cauſa debuerit. Cardinalis enim Turnonius *metuens, ne Rex Palatini precibus expugnari ſe pateretur, & in ejus gratiam Burgum liberaret,* omni effecit operâ, ut non diu poſt miſſas à Friderico literas, tres delegati judices Burgum ad mortem condemnarent, quam ſumma cum animi magnitudine ſubivit eliſis laqueô faucibus in ignem conjectus, vir ſummâ præditus animi magnitudine & Chriſtianô digna, qui *magna cum laude juris ſcientiam Aureliani profeſſus, inde Pariſienſis Senator majore integritatis gloria eo in ordine claruit, multorum votis ac precibus, dum in carcere eſſet, etiam eorum, qui ipſius de religione ſententiam minimè probabant, adjutus & commendatus, ac poſt mortem veris lachrymis deploratus, illorum verò, qui à majorum ſacris defecerant, animos partim conſtantiâ ſuâ ita confirmavit, partim exacerbavit, ut ex ejus cineribus ampla defectionum ac conjurationum ſeges enata credatur, quæ regnum antea florentiſſimum diu poſtea malè habuit,* quæ ſunt memoranda Thuani verba. Sed Fridericum vel intenſiſſimis uſum precibus nihilominùs repulſam tuliſſe, mirum non erat, quòd, licèt eôdem adhuc annô unà cum aliis nonnullis Imperii Principibus ad Henricum II. Legatos cum literis miſiſſet, nihil tamen impetrare potuerit aliud, niſi ut ignis, qui Legatorum adventu quaſi reſtinctus putabatur, eorundem diſceſſu violentiùs inflammaretur. Meretur tamen egregium iſtud charitatis officium, quod illi ſummæ dignationis in Germania Principes affli-

Hiſtor. ſui temporis lib.XXIII.

Traditur hiſtoria Le-

afflictis suis fratribus præstitêre, ut, quamvis fructu suô caruerit, nonnihil distinctiùs hôc locô commemoretur. Occasionem legationi dedisse videtur alia quædam Ecclesiarum Gallicarum Legatio, quæ missa fuerat ad Augustanæ Confessionis Theologos Wormatiæ cum nonnullis Ecclesiæ Pontificiæ Doctoribus collocutos an. 1557. quæque Beza, Farellô, Carmelo, Budæôque constitit. Hæc eâ mente venerat, ut peteret à memoratis confessionis Augustanæ Theologis, *efficerent suos apud Principus*, (verba sunt Altingii) *ut eorum intercessione mitigaretur Henricus II. Galliæ Rex, ne & Waldenses, & alios ejusdem fidei socios per Galliam tam graviter persequeretur.* Eum in finem scriptam exhibuerat confessionem suam de cœna Domini, additâ peculiari declaratione, quid captivi in Galliis de eodem doctrinæ suæ capite sentirent, probantibus confessionem Theologis tanquam consentientem in omnibus cum Augustana, nisi fortè, quoad caput de S. Cœna, quod nonnihil obscuriùs propositum esse dicebant, de quo tamen in Synodo, legitima posset collatio sententiarum institui. Quidquid autem quoad Eucharistiam Ecclesiis Gallicanis cum Augustanæ fidei sociis illô tempore non per omnia conveniret, certum tamen est, quòd nihilosecius an. 1559. à Protestantibus Germaniæ Principibus, Friderico Comite Palatino, jam aliquoties laudato, qui agnato suo Ottoni Henrico sub initium istius anni in Electorali dignitate successerat, Augusto Saxoniæ Septemviro, Christophoro Wirtembergico & Wolfgango Veldentiæ Comite missi cum literis, quas singuli illorum Imperii Procerum subscripserant, Legati coràm Henrico Gallorum Rege comparuerint. Literarum summam prolixè Thuanus l. 22. breviter autem & nervosè Sarpius Hist. Concilii Trid. l v. referunt. Hæ paucis istûc redeunt: *Orare Regem Electores, cæterosque Principes, uti Præfectos suos juberet uti minore in suæ religionis homines severitate, illisque majorem præstare caritatem Christianisque digniorem, quàm fuerit huc-*

gationis ad Henr. II. à nonnullis Protestantium Germaniæ Principum missæ.

hucusque factum; patere corruptissimos Curiæ Romanæ mores, & Ecclesiasticæ disciplinæ neglectum; de hisce rebus jam ante centum annos & amplius impunè licuisse conqueri compertâ pietate viris. Controversias in causa religionis exortas à nemine sopiri posse commodiùs, nisi à viris præstanti doctrinâ præditis & ad concordiam pronis, qui Protestantium confessiones ad normam literarum divinarum doctrinæque Patrum Ecclesiæ primitivæ examinarent. De cætero, summi se beneficii locô habituros, ubi à nimio persecutionis æstu Rex ad suas preces nonnihil remittere voluerit. Has autem irritas fuisse, tristis eventus docuit, ut est ab Historicorum Principe Thuano l.c. fusiùs perscriptum.

Frid. III. Palat. epist. ad Philib. Eman. Sabaudum in gratiam Waldensiũ exarata.

His quidem, quæ hactenùs proponere placuit, exemplis contentus ad alia progrederer, nisi calamitosa Waldensium sors, & in eorum gratiam à Friderico Palatino pio, ad Philibertum Emanuelem, Ducem Sabaudiæ scripta epistola, memoranda sanè, cedrôque digna mihi priùs hôc locô videretur exhibenda. Cùm enim Dux Sabaudiæ Philibertus Emanuel an. 1565. pacem Waldensibus jam aliquoties concessam denuò infregisset, Fridericus missô ad Ducem Legato ei per literas ostendit, ut est apud Heideggerum Historia Papatûs Per. VII. §. CCLXV: *Crudelitatem Papæ Romani ergà fideles & Reformatos Principi Christiano & justo nequaquam tolerandam, neque combustiones & martyria legitima esse propagandæ religionis media. Quin cogitet Dux, sibi aliquando coràm terribili tribunali Dei comparendum, & effusi sanguinis rationem reddendam esse. Abusus & errores Ecclesiæ Romanæ tam tetros & abominabiles esse, ut justam causam omnes, qui salvari cupiunt, habeant eos fugiendi, & quicunque eos propterea occidunt, & persequuntur, hostes esse ipsius Dei, æternæque damnationis reos.* Crederet aliquis, non potuisse non acres hanc epistolam aculeos relinquere Ducis in animo, sed nihil omninò, quoad Dux iste viveret, profici potuit. Carolus Emanuel autem Philiberti Emanuelis filius nonnulla quidem miseris concessit halcedonia, non tamen diuturna, si, quas

gens

gens innocua quadragesimô & secundô, quinquagesimô & secundo, aliisque post annis subire debuit, persecutiones, inprimisque atrocem illam omniumque cruentissimam cogitemus, quam annô superioris seculi quintô suprà quinquagesimum perpessa fuit. Horret animus meminisse! tam horribilia crudelissimaque penitùs sunt illa, quæ ex Samuele Morlando, Protectoris Anglicani Cromvelli nomine ad Sabaudi curiam legato Hornius, ex Hornio repetit Heideggerus, ut fidem ferè superent, & in homines, nedum Christianos tam dira sævitia cadere vix posse videatur. Morlandi tamen hîc à Nobis ideò potissimùm fit mentio, quia nobilissimum longè documentum edidit intercedentis pro afflictissimis religionis gratiâ fidei suæ sociis. Est enim ævis omnibus memoranda sanè, quam in publica (ut vocant) audientia Reginâ & Duce coràm tum habebat, oratio, dignissimaque sanè, quæ in cæteris etiam obtestationibus à Christiano Magistratu pro fidelium salute factis compareat: *Misericordiam*, sic infit, *hisce pauperrimis & ejectissimis subditis impertiri dignemini, rogo. Illis nimirum, qui radices Alpium, & valles quasdam in ditione vestra incolentes Protestantium religioni sua nomina dederunt. Audivit enim (quòd nemo Celsitudinis vestræ regalis voluntate factum esse dixerit) Olvarius Protector, miserrimos illos partim à vestris copiis crudeliter esse occisos, partim expulsos, domôque patriâ exturbatos, adeoque sine lare, sine tecto, inopes omnique ope destitutos, per asperrima loca atque inhospita, montesque nivibus coopertos cum suis conjugibus ac liberis vagari. Quid enim per hosce dies, quod genus crudelitatis inausum illis militibus, aut præteritum fuit? Fumantia passim tecta, & laceri artus, & cruenta humus, virgines post stupra differtô lapillis ac ruderibus uterô, misere efflârunt animas. Centenarii nonnulli senes, effœtâ ætate ac morbo clinici in lectulis combusti! infantum alii saxis allisi, alii jugulati, quorum cerebrum ab interfectoribus, immanitate plusquam cyclopicâ coctum ac devoratum! Quid plura? quanquam vel plurima hujusmodi*

Hist. Papatûs Period. VII, §. 265.

Gravissima Morlandi Anglici oratoris oratio.

commemorare possem, nisi horreret planè animus. Si reviviscant omnes omnium temporum Nerones (quod sine ullâ Celsitudinis vestræ offensione dictum velim, quemadmodum & nullâ ejus culpâ factum esse credimus) puderet profectò eos, ut qui nihil non mite ac humanum (ad hæc facinora si spectes) excogitâsse se reperirent. Interim exhorrescunt Angeli! mortales obstupescunt! ipsum cœlum morientium clamoribus attonitum esse videtur, ipsaque terra, diffusö tot hominum innocuorum cruore erubescere! Noli, summe Deus, noli vindictam sumere tantis sceleribus & parricidiis debitam! Tuus, Christe, sanguis eluat hunc sanguinem! Hæc sunt Oratoris Anglicani Morlandi verba, satis quidem libera, sed necessitate quâdam extorta, quia miserandæ Waldensium sorti vix aliter illâ ætate consuli poterat. Essent adhuc alia quædam præter ea, quæ hactenus proposita sunt, intercessionum pro afflicta piorum salute documenta, quæ hûc adferri mereantur, sed ad alia nobis est properandum. Neque tamen imperare mihi queo, quin verbô saltem illius intercessionis faciam mentionem, quam Potentissimus Borussiæ Rex in Palatinorum gratiam apud modernum Electorem Palatinum adhibuit, sane frequentis atque efficacis, quâque Serenissimus Elector Palatinus permotus palàm declaravit, Cleri Pontificii, quem in suo territorio haberet, infractiones insciô semet ac invitô contigisse; serióque se operam daturum, ut omnis isthæc cleri violentia cohibeatur; vid. Heidegg Hist. vitæ & obitus I. L. Fabr. p. m. 127.

Th. IV.

Principes Christiani sociorum fidei suæ bono cum ipsis persecutoribus amicitiam coluere.

ENimverò Defensores Ecclesiæ nec alia destituêre remedia, quibus oppressorum religionis gratiâ Christianorum saluti cavere studuerunt. Hæc inter quoque memorari debet sapiens istud institutum, quô sibi cum iis ipsis vel Regibus vel Principibus, qui fidei suæ socios vel modò premerent, vel adhucdum premere possent, intercedere sibi voluêre jura haud mediocris necessitudinis, id quod illustre par Imperatorum egisse comperio, Constantinum scilicet

Caro-

Carolumque Magnos. Prioris enim amicitiam cùm Rex Persarum studiosè quæreret, in eumque finem illi dona misisset, Constantinus eum, ut eò arctiùs sibi devinciret, ταῖς ἀντιδόσεσι superare studuit, ut est apud Eusebium de vita Constantini lib. IV. c. VII, qui causam tantæ liberalitatis haud obscurè prodit, dum subjungit, πυθόμενός γέ τοι περὶ τῷ περσῶν γένει πληθύειν τὰς τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας &c. De Posteriore verò illustris est Eginharti locus ita disertè in de vita Caroli M. scribentis: *Ob hoc maximè transmarinorum Regum amicitiam expetiit, ut Christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac relevatio proveniret.* Addi potest ex Historia recentiori, quem aliquoties laudavi, Fridericus III. Palatinus. Is enim præcipuè Reformatorum in Gallia bono, cum Rege Galliarum Carolo nono majorem coluit amicitiam, quàm optimi Principis amicis ac familiaribus probari poterat; hûc pertinent ejus ad Henricum III. voces, quibus de Karolo referebat! Er sey so verhaßt/ daß viel meiner Freunde nicht gern sehen / daß ich so viel Gemeinschafft mit Jhm habe.

Id quod probatur exemplis Constantini

Caroliquè Magni.

Frider. III. Palatini.

Monument. Pietatis & liter. p. 313.

Th. V.

CUm autem ob incredibilem Persecutorum truculentiam optimi Defensores Ecclesiæ sese nec precibus suis nec amicitiæ testimoniis quidquam proficere, viderent, aliam coacti circumspicere viam, quâ miserorum afflictissimam salutem tuerentur, novam aliquam, eamque memorandam illis opitulandi rationem inivere, de qua nonnihil distinctius; illam designo, quâ suis in provinciis toleravêre sectas, & aliùs à sua confessionis homines, iisque concessêrunt Ecclesias, eò inter alia fine, quò suæ religionis hominibus liberũ impetrarent in alieno territorio religionis exercitium. Non dubito, quin Valentinianus senior Imperatorum longè prudentissimus isthôc planè consiliô religionis

De facto Principum Christianorum, suo in territorio sectas tolerantium, quò suis in alieno liberum foret religionis exercitium.

Exempla Valentin. I.

in Imperio ſuo ſtatum, mutare noluerit, ſed eum potiùs, ſicuti deprehendebat, reliquerit. Cùm enim ipſum minimè clàm eſſet crudele fratris ſui Valentis ingenium, quod obſervante Sozomeno δεινὸν ἡγεῖτο, μὴ βιάζεσθαι πάντας ὁμοδόξους αὐτῷ ποιεῖν *molestè ferebat, quòd omnes ad ſententiam ſuam per vim non cogeret*, conſultò nemini de religione moleſtiam creavit ullam; quò ſpectat illuſtris quidam Ammiani Marcellini locus, quem ego, quin hûc transſcribam, imperare mihi nequeo; Sic enim ille loquitur hiſtoricorum facilè prudentiſſimus: *Poſtremò hoc moderamine Principatûs inclaruit, quòd inter religionum diverſitates medius ſtetit, nec quenquam inquietavit, neque, ut hoc coleretur, imperavit, aut illud. nec interdictis minacibus ſubjectorum cervicem ad id, quod ipſe coluit, inclinabat, ſed intemeratas reliquit has partes, ut reperit.* Idem planè de Valentiniano Socrates tametſi paulò breviùs memoriæ conſignavit: Οὐαλεντινιανὸς μὲν γὰρ τοὺς μὲν ἐκείνους συνεκρότει, τοῖς δὲ ἀρειανίζουσιν οὐδαμῶς ἦν ὀχληρός. *Valentinianus ſuæ quidem ſectæ atque opinionis homines fovebat: Arrianos tamen nullâ afficiebat moleſtiâ.* Licèt autem Valentinianus iſthâc ſuâ moderatione nihil proficeret, cùm Valens Orthodoxos nihiloſeciùs acerrimè ſit perſecutus, hôc tamen egregiô ſuô factô mirificam ſuam de laborante tum temporis ſuprà quàm dici poteſt, Eccleſia ſollicitudinem uberrimè declaravit. Eâdem omninò mente Juſtinus I. edictum ſuum de purganda ab Arianiſmi labe Orientis Eccleſia, eidemque tradendis, quæ ſectæ illius homines illâ ætate tenebant, templis, quod jamjam publicatum fuerat, revocavit. Cùm enim Rex Italiæ Theodoricus, quòd Arrianis eſſet deditus, illorum de facto Juſtini querimoniâ motus Chriſtianorum in Italia templis idem omninò, quòd in Oriente Juſtinus Arrianis, minitatus eſſet, Joannemque primum Romanæ ſedis Epiſcopum, qui Juſtino id oſtenderet, Conſtantinopolin abire juſſiſſet, Joannes, ut refert Ana-

l. XXX, c. 9.

Hiſt. Eccl. l. 4. c. 1.

Juſtini I.

Anastasius in de vitis Pontificum, suis licèt ingratiis profectus Constantinopoli quàm optimè habebatur, & in gratiam Ecclesiarum Italiæ, ut edictum Cæsareum refigeretur, facili negotiô impetravit, adeoque *non*, contra quàm *Cavius* errat, *infectâ re abiit.* Non quidem nescio, Cardinalem Baronium hanc Anâstasii de illo Joanne narrationem in figmentis habendam pertendere, quia Joannes in epistola Decretali II. dicat; *sese, cùm apud Justinum esset, Arrianis omnes ademisse Ecclesias.* Ast decretalis hujus epistolæ νοθείαν demonstravit in Pseudo Isidoro suo p. 573. Galliæ Reformatæ Decus incomparabile, David Blondellus. Hunc post novissimos conciliorum Editores secutus est, qui à candore non minùs, commendari meretur, quam à doctrina sua, judiciique, quô pollet in detegendis ψευδεπιγράφων fraudibus acei du Pinus, cujus verba mihi non indigna videntur, quæ hîc compareant. Sic enim de illa Epistola liberè quidem sed tamen verè judicat: *Cette lettre se trouve contraire a l'histoire, a la bonne foy, & au bon sens. A l'histoire, parce, qu' Anastase nous assevre, que Jean s'acquitta de sa Legation: a la bonne foy, parce qu'il ne falloit pas, que Jean se chargeast de cette negotiation, s'il vouloit demander a Justin le contraire de ce, dont il estoit chargé: enfin, elle est contraire au bon sens; car rien n'est plus ridicule, que ce raisonnement. J'ai consacré des Eglises des Ariens en Orient sous un Prince Chrestien, qui le souhaitoit: dont vous les devez consacrer en Italie, malgré un Prince Arien, lequel irrité de cette action ruinera entierement les Eglises catholiques. Quelle consequence!* Nullum itaque dubium est, quin memoratus anteà Joannes, legationis suæ partes, uti par erat, obierit, Justinoque Cæsari persuaserit, ut Ecclesiarum Italicarum bono Arrianis in ditione sua viventibus templa sua ne adimeret. Hôc loco mihi venit in mentem mirificæ magni illius Alexandrinorum Præsulis Athanasii prudentiæ, quâ Orthodoxis Alexandriæ tum agentibus suum quoque templum, quod illis Arriani, vel

Hist. liter. sec. VI. ad a 523.

Refutatur Baronius.

Biblioth. Nouvelles des auteurs Ecclesiastiques Tom. V. p. m. 42.

Athanasii prudentia, quâ Catholicis Eccles. suam conservavit.

vel (ut eos Theodoritus describit,) οἱ τότε παραδυναστεύοντες, τὴν ἀρειανικὴν εἰσδεδεγμένον νόσον ereptum ibant, quàm felicissimè conservavit. His enim ad Constantium, Constantioque vicissim ad Athanasium ajentibus, χρῆναι τὸν ἀθανάσιον μίαν παραχεῖν ἐκκλησίαν τοῖς κοινωνεῖν οὐ βουλομένοις αὐτῷ. *Athanasium iis, qui cum ipso communicare nollent, unam Ecclesiam concedere debere*, non detrectare quidem id Athanasius, sed tamen vicissim pertendere, δεῖσθαι καὶ τοὺς ἐν ἀντιοχείᾳ, τοῖς τὰς ἐκκλησίας κατέχουσι κοινωνεῖν οὐ βουλομένοις εὐκτηρίου νέω. *Eos quoque, qui cum illis, qui Ecclesias obtinebant Antiochiæ* (i. e. Arrianis) *communicare nollent, Ecclesiâ aliquâ opus habere*, Constantius hoc Athanasii postulatum nihil iniqui complecti arbitratus, illique proin annuens continuò reclamantes habuit Arrianos, μηδ᾽ ἑτέροις χρῆναι τὰς ἐκκλησίας παραχεθῆναι εἰπόντες. *Neutris Ecclesias tribuendas esse dicentes.* Ita catholicis conservata fuit Alexandriæ sua Ecclesia, faciente prudentissimo Athanasiô, suffragante Imperatore Constantiô. Quòd autem non multum dissimili ratione Christiani Principes alius à sua confessionis hominibus templa non ademerint, id illos vix aliâ quàm suorum salutis fecisse causâ, satis nî fallor evicêre, quæ paulò antea adferebamus, Valentiniani, Justinique primi Cæsarum exempla. Quibuscum tamen comparari quoque merentur ea, quæ à nostra hac ætate propiùs nonnihil absunt, velut Ottonis Henrici Electoris Palatini, qui dubiô procul cogitans infesta Reformatis suis calamitosaque tempora, cùm institutô Pfeddersheimii, vicino Wormatiæ oppidô conventu Anabaptistas à præconceptis suis opinionibus, ad veram Ecclesiæ doctrinam traducere nequiret, *non tamen gravius quid in eos statuit, sed tranquillam illis habitationem indulsit, modò etiam ipsi à turbandis novandisque rebus abstinerent*, quæ Magni sunt Altingii voces.

v. Theod. H. E. l. II. c. 12.

Factum Othonis Henrici Anabaptistas in suo territorio tolerantis.

voces. Quò facit etiam aureum omninò, quod habetur in illius testamento, monitum non ad Successores modò suos, Evangelicorumq; Principes alios, sed ipsos etiam Pontificios, tam Electores, quàm Principes, atque Status: *Ut sepositis dißidiis ac diffidentiâ animi pro salute Imperii, quæ non unò modò extremè periclitetur, sese consocient: piæ reformationi ad tollendos abusus, quos ne ipsi quidem negare poßint, ex animo studeant; vel si id obtineri non poßit,* LIBERUM RELIGIONIS EXERCITIUM PERMITTANT, & PACEM RELIGIONIS IN IMPERIO à CÆSARE SANCIENDAM PROCURENT: NEQUE AD ARMA INDUENDA, RELIGIONIS CAUSA UNQUAM SE ADDUCI PATIANTUR, *& quæ sunt hujus generis alia.* Hujus egregii Electoris laudatissima sanè animumque pacis & Tranquillitatis Ecclesiæ studiosum pulchrè spirantia quâ ratione secutus etiam fuerit successor Fridericus, diligenter commemorat, è quo superiora descripsi, laudatus jam aliquoties Altingius. Sed nec domestica nos exempla destituere Principum virorum, qui sociorum fidei suæ bono suis in finibus alienæ penitùs, quin & ipsius persecutricis Ecclesiæ homines tolerare non dubitârunt, id vel solæ Philippi Magnanimi voces, memorandæ quidem illæ comprobant, qui Granvellano post alia quædam objicienti; *ne Protestantium quidem Principes liberam permittere religionem, & qui ab iis diversum sentiant, tum carcere tum pecuniâ mulctari,* sequentia reposuit: *Ad religionem nostram, ubi vi cogantur homines, locum nullum scio: diversam quidem aut variam in eodem locó doctrinam non patimur, vim autem nemini facimus, nec occidimus quenquam, nec spoliamus bonis:* QUÓD SI VESTRIS IN FINIBUS NOSTRÆ RELIGIONIS HOMINES ESSENT INVIOLATI, SUAQUE TEMPLA SEPARATIM HABERENT, EGO SANE, UT PRO ME TANTUM LOQUAR, IDEM VESTRIS PER MEAM DITIONEM ATQUE FINES PERMITTEREM! *Sed quoniam id à vobis minimè conceditur, nos etiam æquabilem & eandem esse cupimus ubique doctri-*

Aureum Othonis Henrici Palatini monitum.

Hist. Eccl. Pal. p. 213. 215.

Memoranda Landgravii Philippi Magn. voces ad Granvellanum.

De Statu Rel & Reip. l. XVII. Hist. Conc. Trident. l. 1. p. m. 77.

Christiani Principes sui esse officii rectè arbitrantur, providere, ne pestiferæ secta in eorum ditionibus incrementum sumant.

doctrinam, ut est apud Sleidanum. Memorandæ verò voces, & prudentissimô Principe, qualis Philippus erat, vel Pauli Sarpii, magni illius ingeniorum æstimatoris, judiciô, perdigna! quæ declarant, religionis causâ non modò nemini vim fieri debere, sed & pro ratione temporum heterodoxæ religionis homines à Principibus Christianis solitô benigniùs habendos, ubi videlicet afflicta fidei suæ sociorum in aliis ditionibus fortuna illud suadere videatur, de quibus ut nemo prudens ambiget, ità nihilosecius tamen genuini Tutoris & Defensoris Ecclesiæ partes esse, fatebitur, ut omni curâ diligentiâque provideat, nè pestiferæ cujuscunque generis Societates atque vel universæ religionis Christianæ fundamenta dirutum euntes, vel turbas in Republica concitantes, vel aliâ quâcunque ratione Christianorum genti ruinam ac interitum adferre parantes in Republica tolerentur. Neque enim putandum Christianorum Principes, quia homines diversa planè sacra sectantes suorum in gratiam, alibi propter religionem suam duriter & acerbè tractatorum fuere passi, ideò nullam omninò potestatem in illos sibi relictam existimâsse; quin potiùs certum, illos eâ, quàm sibi jure tum divino tum humanô competere meminerant, constanter fuisse usos, prudentique sæpè consiliô fieri censuisse, ut Princeps, ubi suos in aliis fortè ditionibus religionis gratiâ periclitaturos prævideat, illis etiam, quos suis in provinciis habeat persecutricis Ecclesiæ sacris operantes, eandem omninò fortunam minitetur, eô solùm fine, ut impendentem religionis suæ sociis persecutionis æstum eò faciliùs dispellat; Quod facile mihi foret exemplis illustrare, vel è nostris hisce temporibus petitis. Adeò fixam penitùs & locatam in fratrum suorum salute mentem habuere semper Principes quicunque verè Christiani, ut nihil sibi vel priùs vel antiquiùs esse passi fuerint, quàm ut ex isthâc suâ sollicitudine *refrigerium illis aliquod ac relevatio proveniret*, ut Eginharti verbis utamur superiùs relatis.

Th. VI.

Th. VI.

IN eam egregiorum laborantis Ecclesiæ Defensorum ordine & illi videntur collocandi, qui perspectâ Persecutorum immani crudelitate, quâ illos in optimos religionis suæ socios uti videbant, hanc sibi dixêre legem, ne Persecutoribus ullâ re opem auxiliumque ferrent, vel impensissimè rogati, hôc ipsô studiosissimè caventes, ne suâ illos armare videantur imprudentiâ. Duo in eam rem observata mihi sunt exempla, commemoranda sanè, quorum alterum est Imperatoris Gratiani (non Valentiniani, ut errat Theodoritus, Henrico Valesio propterea meritò notatus, annot. in Theodorit. l. v.c.81.) alterum Reipublicæ Tigurinæ. De priori res ità se habet. Cùm imperator Valens bello Gothico implicitus ad Gratianum mitteret, militares ab eo copias, quas Gothis opponeret, rogatum, Hic memor atrocissimarum illarum persecutionum, quas Valens priùs moverat in orthodoxæ fidei confessores, illi subitò rescripsit: ὡς οὐχ ὅσιον ἐπαμύνειν ἀνδρὶ πολεμοῦντι θεῷ δίκαιον δὲ τὴν τούτου καταπαύειν θρασύτητα. *Nefas esse, suppetias ferre homini, qui DEO bellum inferret, sed ejus potius comprimendam esse temeritatem.* Erat enim illô adhuc tempore Gothorum illa gens, cui cum Valente res fuerat, ejusdem omninò fidei, quam Gratianus profitebatur, licèt ad Arrianos posteà fœdè deficeret, postquam præbuisset aures Episcopo suo Ulfilæ, quem Arrianorum Præsul Eudoxius muneribus & blandimentis ad partes suas traduxerat. Posteriùs autem exemplum, longè quidem nobilissimum è Sleidano proponere licebit. Summa narrationis, quæ in de statu Religionis ac Reipubl. l. 3.&4. eâ de re habetur, hæc est. Universam Helvetiorum Rempublicam Galliæ Rex Franciscus I. an. 1521. de fœdere, deque milite sibi subministrando sollicitat. Huic ut illa auscultet, Proceres Helvetici pænè omnes expugnati donis atque pollicitationibus efficiunt, sola resistit inclyta Tigu-

Tutores Ecclesiæ Persecutoribus nullâ re opem auxiliumque ferunt.

Exemplum Cæsaris Gratiani.

Error Theodoriti.

Theodorit. Hist. Eccles. l. IV. c. 37. conf. Vedelium in de Prud. Vet. Ecclesiæ l. 2. cap. 2. §. 2.

Exemplum Reipubl. Tigurinæ.

Tigurinorum Respublica, monitore Zwinglio, qui fœdus istud pro concione vehementer dissvaserat, &, quàm esset non modò turpis illa militia, verùm etiam impia, demonstrârat, multisque in medium adductis incommodis, ad majorum institutum atque frugalitatem, qui rem pecuariam & agriculturam exercuissent, & præclarè multa fecissent, suos Helvetios inprimisque Tigurinos fuerat adhortatus. Quâ quidem in re, licèt quoad omnes reliquas Helvetiorum civitates frustrà fuisset, Tigurini tamen fœdus facere, Galloque militem promittere recusant, & jurejurandô confirmant nullum donum aut stipendium accipere ab ullo principe militandi causâ, egregiô sanè invicti animi documentô, sed & æquitatis ac innocentiæ studiosissimi, &, quod caput est, de salute fidei suæ sociorum, suprà quàm dici potest, solliciti. In eorum enim gratiam Tigurinos egisse, quidquid hîc erant moliti, mihi comprobare videntur eorum literæ, quas ad universos suos socios exaraverant occasione motûs cujusdam, quem Pontificius aliquis sacerdos à Præfecto Turegiæ comprehensus suô clamore concitaveræ: Illis enim liquidò testantur, quòd à cæteris sociis suis dissensissent, Galloque nequaquam suppeditandum esse militem dixissent, ejus instituti hanc sibi præ aliis fuisse caussam, quòd minimè judicârint æquum subministrare copias & militem suum aliis, *ut mercede conducti bellô persequantur eos, à quibus nunquam læsi fuissent.* His enim vocibus, qui Protestantes Gallos dixerit indigitari, meâ quidem sententiâ non errabit, cùm prudentissimæ civitati id jam ætatis perspecta esse potuerit atrox illa persecutio, quæ secuturô tempore fidei suæ sociis in regno Galliæ subeunda fuit. Quæ, cùm regnante Carolo IX. mira planè sumsisset incrementa, Ecclesiarumque Reformatarum in Gallia ministri prudenter animadverterent, non mediocre sibi periculum vel inde oriri posse, ubi Protestantium in Germania Principes persecutoribus suis auxiliares subministrâssent copias ad Fridericum

Simlerus de Rep. Helvet. f. 84.

Ministri Eccles. gallic. à Friderico per literas contendunt, ut

cum Palatinum mihi non unâ vice memoratum IV. Non. Maji an. 1562. dedere literas, *pro insito ergà Gallicas Ecclesias amore enixè rogantes, ut conjuratorum ictus in se directos, quantum in ipso esset, & ne auxiliares é Germania copiæ non solùm in suorum, sed & Regis ac Regni hostium gratiam subministrentur, impediret, ut* est apud Thuanum. Hic licèt l. c. non referat, Fridericum istum illorum precibus auscultâsse, mihi tamen vix est dubium, eum nulli neque labori nec operæ pepercisse, ut, ubi fortassis è Protestantium in Germania Principibus aliquis Reformatorum in Gallia persecutoribus auxiliares suppeditare copias constituisse, id ipsum ocyùs impediret. Neque enim in universa retrò antiquitate facilè quisquam vel Regum vel Principum Christianorum deprehendi poterit, quocum ille oppressorum fidei suæ sociorum curâ comparari queat.

impediat, ne Persecutoribus illorum copiæ auxiliares suppeditentur.

Hist. sui temp. l. XXIX.

Th. VII.

De hoc autem Friderico, dum in Altingii Hist Eccles. Palat. literis consignatum reperio, illum periclitantibus ob religionem Galliæ rebus, rogatu Ludovici Principis Condæi Filium Joannem Casimirum cum instructo exercitu in Galliam misisse, impetratâque à Carolo IX. pace, cùm in Palatinatum exercitus ille reduceretur, eum Auriaco Principi Wilhelmo, Heidelbergæ præstolanti concessisse, qui tyrannidi Ducis Albani, in Belgio illâ ætate immaniter grassantis opponeretur, mihi hôc locô disquirere posse videor, quid habendum de isthoc oppressam Ecclesiam tuendi modo, quô in gratiam ejus Christiani Principes cum illius Persecutoribus bella suscipere, suscepta gerere non dubitârunt. Cujusmodi bellum fecisse Saracenis olim Carolum Magnum Christianorum Ecclesiæ bono sub illorum jugo laborantis retulit auctor vitæ Ludovici Pii apud Pithœum ann. Franc. de Karolo illo hanc in sententiam commentatus: *Ibidem* (i.e. in Vasconia) *etiam, quæ opportunitas utilitasque dictavit, explicitis statuit Pyrenæi montis superatâ difficultate*

Fridericus III. Gallis Belgisque Reformatis contra suos hostes exercitum suppeditavit.

Disquiritur de isthôc Ecclesiam tuendi modo.

Exemplum Caroli M.

tate ad Hispaniam pergere, LABORANTIQUE ECCLESIÆ SUB SARACENORUM ACERBISSIMO JUGO CHRISTO FAUTORE SUFFRAGARI. Magnus vir Hugo Grotius non dubitare videtur, pro alienis ſubditis arma licere capere, ut ab illorum cervicibus imperantis injuriæ arceantur *lib. 2. de J. B. & P. c. 25. §. 8.* Huic etiam in dialogo de Bello Sacro adſtipulatur Baconus Baro de Verulamio, quin imò, non tam licite poſſe quam oportere Chriſtianos talia ſuſcipere bella putat, & ex communis inter homines cognationis fonte deducit Chriſtianorum, qui ſibi charitatem magnopere commendatam habere debeant, obligationem ad ſuſcipiendam conſanguineorum fidei ſuæ liberationem. Illuſtris autem vir Samuel Pufendorffius licitè quidem arbitrari videtur alienorum ſubditorum defenſionem ſuſcipi, non tamen aliô caſu, niſi eô, quô ipſi ſubditi ſuperiorum ſuorum immanem ſævitiam armis à ſemet jure queant amoliri. *l. 8. de J. N. & G. c. 6. §. 14.* Quod tamen poſteriùs quô caſu fieri poſſit, vel non poſſit, quia pronunciatu perquam eſt difficile, mihi de priori quoque vix aliquid definiri poſſe videtur. Dignum conſideratione Palatini Electoris Othonis Henrici monitum, de quo ſuprà mentionem fecimus, *Ne Imperii Principes atque Status ad induenda propter religionem arma ſe unquam adduci patiantur*; Sed & prudenter meâ quidem ſententia Tigurinæ Reipublicæ Proceres, cùm intellexiſſent, è ſuis aliquot ſuâ ſponte ad Waldshutenſes Ferdinandi Auſtriaci ſubditos, qui ob religionis profeſſionem in diſcrimine tum erant, transcurriſſe, ut ab inſontibus vim & injuriam depellerent, illos ſuæ ditionis homines illicò revocârunt.

Sententia Hugonis Grotii. *Baconis de Verulamio.* *Pufendorffii.* *Monetur, quæſtionem eſſe difficilem.* *Othonis Henr. Pal. monitum.* *Factũ Reip. Tigurinæ circa defenſores Waldshutenſium.* *Sleid. de St. Rel. & Reip. l. IV.*

Th. VIII.

SEd ad laborantis Eccleſiæ curam omninò quoque referri debet illorum ſollicitudo, qui oppreſſis religionis gratiâ fratribus ſuis, in ipſo perſecutorum territorio miſeram acerbamque vitam trahentibus proſpicere diligenter,

Sollicitudo circà afflictos religionis ſocios

ac

ac necessaria vitæ subsidia illis largâ manu suppeditare non dubitârunt. Cùm Ecclesiam Christianam divinus ille charitatis Spiritus adhuc animaret, nulla sibi Christiana gens antiquiora esse patiebatur, nullaque ferè frequentiùs exercere solebat, officia, quàm illa Christianæ charitatis in oppressos fidei consanguineos; quippe quæ Christus ipse non leviùs æstimaret, quàm si fuissent ipsi præstita Matth. XXV, 43. quæ hinc in Paulo vix dum Christiano exercebantur Act. IX, 25. qui propterea sedulò monebat, uti fideles vinculorum ejus essent memores Col. IV, 18. sed nec aliorum immemores Hebr. XIII, 3. Quæ tamen charitatis opera secundô â nato servatore seculo necdum cessâsse, testatur illustre Dionysii Corinthiorum Episcopi de Romanorum Ecclesia testimonium, quod nobis conservavit Eusebius H. E. l. IV. c. 24. quóque Dionysius ille declarat, antiquam illi Ecclesiæ consvetudinem esse, non solùm integris aliarum urbium Ecclesiis necessaria vitæ subsidia transmittere, sed & eadem ἐν μετάλλοις ἀδελφοῖς ὑπάρχουσιν ἐπιχορηγεῖν, *fratribus ob* Christianæ fidei professionem *in metallis agentibus* illa subsidia *suppeditare*, quò tolerandis calamitatibus suis & ærumnis eò magis forent idonei. Eum etiam in finem in Ecclesia Romana diebus dominicis collectas olim fieri solitas, è Leonis Papæ epistolis ad illum Eusebii locum eruditè monet Valesius. Neque tamen unius fortean Ecclesiæ Romanæ, sed & complurium aliarum, quas illa tulit ætas, ea consuetudo fuit. De Christianorum certè per Palæstinam & Asiam Ecclesiis minimè nos ambigere sinit illustre Luciani Samosateni in de morte Peregrini testimonium, quod mihi vel ideò videtur fide dignum, quòd è maledicentissimo cæteroquin ore, sed & Christianis inimicissimo sit profectum; tàntæque charitatis officia Peregrino ab illis Ecclesiis exhibita tantum valuerint, ut Persecutor illius, qui Syriæ Præfectus erat, Peregrinum è carcere rursùs dimiserit invidens

sub Persecutorum tyrannide fatiscentes.

Præcepta & exempla in eam rem è divinis N.T. literis allata.

Euseb. H. E l. IV. c. 25.

Egregia consuetudo Ecclesiæ Romanæ florentis secundô Christi seculô.

Vales. not. ad d. l. Eus.

Officia charitatis Peregrino Philosopho præstita.

ei martyrii gloriam, cujus ille cæteroqui tam incredibilis benevolentiæ ſibi à ſuis præſtitæ documentis animatus mirô flagrabat deſideriô. Luciani locum ducti brevitatis ſtudio ſed &,quia græcum operum ejus exemplum nobis ad manus non eſt, è Gallicis Tillemontii verbis dans les memoires pour l'hiſt. Eccleſ. T. 2. Latinè translatum hûc adferimus; Dicit autem ille, *Peregrinum, cùm in Palæſtinâ propter Chriſtianæ religionis profeßionem ab illius Provinciæ Præfecto captivus detineretur, Chriſtianos, cùm ſeſe illum è carcere liberaturos eſſe deſperarent, omni operâ in eo elaborâſſe, ne captivitatis incommoda ſentiret. Hinc primô ſtatim diluculô deprehenſas fuiſſe magnô natu fœminas, viduas, orphanos fores carceris circumſedentes. Presbyteros autem Chriſtianorum atque Diaconos* (hos enim per magiſtratus illorum deſignare videtur Lucianus) *per noctem integram apud eum fuiſſe moratos, & ut ejus ærumnam dictis allevarent, ſanctos cum eo miſcuiſſe ſermones; quin & Aſiaticas Chriſtianorum Eccleſias communi nomine ſuorum aliquos, eosque pecuniâ inſtructos ad ipſum ablegâſſe, qui ei ſolatium adferrent, ac eum animarent ad perferendas carceris moleſtias, providerentque, ne res eum ulla deſtitueret.* Hæc Lucianus.

Lucian. de morte Peregrin.

Memoratu cæteroquin etiam haud indigna ſunt, quæ de Joh. Friderico, illo infelice Saxonum Electore Thuanus retulit, cum Theologos ac Ludimagiſtros ſuæ confeſſionis à Carolo V. Cæſare, Auguſtâ Vindelicorum aliisque per Sueviam locis ejectos, ipſe licèt captivus eſſet, per miniſtros ſuos pecuniâ, viaticô, ac ſolatiô perbenignè fuiſſe proſecutum. Hæc autem talia Chriſtianæ charitatis in oppreſſos fidei ſuæ ſocios officia nec à noſtris hiſce temporibus eſſe aliena, teſtatur illa civitatum aliquot Helveticarum, inprimisque Tigurinæ liberalitas in Eccleſiam Palatinam à Clero Pontificio Gallorum ope ſuccincto haud mediocriter vexatam, quâ inde ab anno 1692. ad an. 1697. ab utroque illarum ordine, Politico non minùs, quàm Eccleſiaſtico ſuſtentandis primò ſeminariis, dein Paſtoribus & Ludi-Magiſtris non

Joh. Frid. Sax. Elect. in exules fidei ſocios munificentia. Thuan. hiſt. ſui temp. l. 8. ad an. 1551.

Liberalitas civitatũ Helveticarum in Palatinos.

non pœnitenda pro ærarii ratione facta fuit ſumtuum collatio. Quam, ut Eccleſiæ illius hoſtes, ſi non penitùs ſufflaminarent, certè tamen retardarent, ſpargere cœperunt, *Eccleſiam Palatinam eſſe En rationis, quidquid Senatus Eccleſiaſticus Palatinus hominibus perſuadere ſtudeat, eſſe illam adhuc ens aliquod reale.* Hanc invidorum calumniam ut retunderet Theologus quondam Archi-Palatinus J.L.F. prudenter Paſtorum atque Ludi-Moderatorum, qui muneribus ſuis publicis conſtanter fungebantur, catalogum deſcribi curavit, & ad Eccleſiæ Palatinæ Evergetas illos transmiſit.

Cleri Pontificii calumnia de Ecclesia Palatina. *Heidegg. in vita J. L. F.*

Th. IX.

FAllor autem, aut nullâ unquàm re aliâ laborantis Eccleſiæ Tutores clariùs oſtenderunt, quàm ſibi commendatam haberent labefactatam illius afflictamque ſalutem, quàm fratrum ſuorum, cùm pulſi patriâ carerent, receptione. Hâc enim illis tutiora effecerunt alcedonia, quàm ſuâ ſolùm interceſſione, vel partâ geſtâve cum ipſis Perſecutoribus amicitiâ, vel præſtitâ diverſæ religionis hominibus in gratiam ſuorum omni benevolentiâ, vel hiſce ſuis beneficentiâ, piâque liberalitate. Hâc miſeris præbuere tanta, tamq; ævô omni memoranda ſolatia, ut eorum ſola recordatio facilè delêrit in illorum animis omnium, quas priùs ſuſtinuerant, miſeriarum, acerbitatumque memoriam; De qua proinde nunc etiam pro inſtituti ratione diſſerendum. Principio autem monemus, nonniſi cautè admodùm atque prudenter hoc in negotio Principi, aliûsque generis Magiſtratui Chriſtiano procedendum eſſe, quippe quod niſi fiat, in graviſſimos longè calàmitates Eccleſias Reque publica coniici poſſunt; id enim ſuo quondam exemplô Juſtinus II. Imperator docuit, qui Perſarmenios fidei ſuæ ſocios ad ſeſe confugientes promptè quidem ſuſcepit, in eo tamen cùm imprudenter admodum ſe gereret, ſibi non minùs, quàm imperio ſuo ac Eccleſiæ miram ſanè calamitatem attulit. Cùm enim Perſarmenii cùm Juſtino pactum ini-

Ad curam Ecclesiæ pertinet exulum receptio.

Imprudentia Justini II.

iniiſſent, quô excuſsô jugô Perſicô ſeſe Romanis acceſſuros eſſe, polliciti erant, Juſtinusque viciſſim illis fidem ſuam obſtrinxerat, ſe nunquam Perſis eos eſſe proditurum, indeque præfectos Choſrois Regis ſui trucidâſſent, ejusdemque ſemet imperio ſubducentes Juſtino ſe dedidiſſent, Chosroes miſſis ad eum Legatis graviter hâc de re conqueſtus hoc à Juſtino reſponſi nactus eſt: *μὴ οἱόν τε εἶναι χριστιανοὺς ἀποῤῥίψαι, ἐν καιρῷ πολέμου χριστιανοῖς προσφεύγοντας*, *fieri non poſſe, ut Chriſtiani Chriſtianos belli tempore ad ſeſe confugientes rejicerent.* Neque tamen interim Juſtinus ad bellum ſeſe paravit, ſed conſuetis deliciis immerſus libidinibus ſuis cuncta poſthabuit; unde non poterat non affici magnis illis cladibus, quæ poſtmodum evenêre. Videatur Evagrius Hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 7. & conferatur Henrici Valeſii ad hunc Evagrii locum annotatio. Longè prudentiùs nî fallor, magnus ille Francorum Carolus, qui poſtquam inſigni priùs exercitu ſe muniviſſet, quem Saracenis Chriſtianorum Perſecutoribus opponeret, exules illos fidei ſuæ conſanguineos, horum tyrannidi ſe ſubducentes promtiſſimâ voluntate ſuſcepit. Sic autem diſertè Ludovicus Pius, illius Caroli Filius in Capitularium Præcepto ſecundo, quòd è Baluzii capitularibus mox integrum repetemus. *Quia poſtquam Hiſpani, qui de poteſtate Saracenorum ſe ſubtraxerunt, & ad noſtram, ſeu* GENITORIS NOSTRI *fidem ſe contulerunt.* Quâ in re Patris veſtigia perſecutus eſt filius, Ludovicus Pius, cujus in exules Chriſtianos commemorandæ profectò liberalitatis duo nobis illuſtria ſanè monumenta conſervavit Baluzius, vir in hoc literarum genere ſummus. Illa verò, quòd complectantur complura ſingularia, ſeculique noni antiquitatibus lucem clariſſimam affundant, ſed & exemplorum operis Baluziani, hiſce ſaltem in oris mira ſit paucitas, haud ingratum exiſtimavi Lectori antiquitatum illius ævi ſtudioſo forè, ubi

Exemplum Caroli M.

Ludovici Pii.

Capitular. Reg. Franc. Tom. 1.

ubi cum eo primum non minùs, quam ſecundum, quod in hanc rem exſtat, Ludovici Pii præceptum, idque non mutilum, ſed integrum communicavero. Sic itaque prioris verba ſe habent.

PRÆCEPTUM PRIMUM.

Pro Hiſpanis, qui in Regno Francorum manebant. Hoc eſt præceptum remiſſionis ſive conceſſionis, quod fecit Ludovicus Imperator Hiſpanis, qui ad ſe perfugerant.

IN nomine Domini Dei, & Salvatoris noſtri JEſu Chriſti: HLudovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Auguſtus omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtris præſentibus ſcilicet & futuris partibus, Aquitaniæ, Septimaniæ, Provinciæ & Hiſpaniæ conſiſtentibus. Sicut nullius veſtrûm notitiam effugiſſe putamus, qualiter aliqui homines propter iniquam oppreſſionem & crudeliſſimum jugum, quod eorum cervicibus inimiciſſima Chriſtianitati gens Saracenorum impoſuit, relictis propriis habitationibus & facultatibus, quæ ad eos hæreditariô jure pertinebant, de partibus Hiſpaniæ ad nos confugerunt, & in Septimania atque in ea portione Hiſpaniæ, quæ à noſtris Marchionibus in ſolitudinem redacta fuit, ſeſe habitandum contulerunt, & à Saracenorum poteſtate ſe ſubtrahentes noſtro dominio liberâ & promptâ voluntate ſe ſubdiderunt, ita ad omnium veſtrûm notitiam pervenire volumus, quod eosdem homines ſub protectione & defenſione noſtra receptos in libertate conſervare decrevimus.

CAPUT I.

EO videlicet modo, ut ſunt cæteri liberi homines, cum Comite ſuo in exercitum pergant, & in Marcha noſtra juxta rationabilem ejusdem Comitis ordinationem atque admonitionem explorationes & excubias, quas uſitatô vocabulo Wactas dicunt, facere non negligant, & Miſſis noſtris, aut filii noſtri, quos pro rerum opportunitate illas in partes miſerimus, aut legatis, qui de partibus

 Hiſpa-

Hispaniæ ad nos transmissi fuerint, paratas faciant & ad subvectionem eorum veredos donent. Alius vero census ab iis neque à Comite neque à junioribus & ministerialibus ejus exigatur.

II.

IPsi verò pro majoribus causis, sicut sunt homicidia, raptus, incendia, deprædationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum invasiones, & undecunque à vicino suo aut criminaliter aut civiliter fuerit accusatus, & ad placitum venire jussus ad Comitis sui mallum omnimodis venire non recusent. Cæteras verò minores causas more suo, sicut hactenus fecisse noscuntur, inter se mutuò definire non prohibeantur.

III.

ET si quispiam eorum in partem quam ille ad habitandum sibi occupaverat, alios homines undecunque venientes adtraxerit & secum in portione sua, quam adprisionem vocant, habitare fecerit, utatur illorum servitiò absque ullius contradictione vel impedimentô, & liceat illi eos distringere ad justitias faciendas, quales ipsi inter se definire possunt. Cetera verò judicia id est, criminales actiones ad examen Comitis reserventur.

IV.

ET si aliquis ex his hominibus, qui ab eorum aliquo adtractus est in sua portione conlocatus locum reliquerit, locus tamen qui relictus est, à Domino illius, qui eum prius tenebat, non recedat.

V.

QUòd si illi propter lenitatem & mansuetudinem Comitis sui eidem Comiti honoris & obsequii gratiâ quippiam de rebus suis exhibuerint, non hoc eis, pro tributo vel censu aliquo computet, aut Comes ille, vel successores ejus hoc in consuetudinem præsumant, neque eos sibi vel hominibus suis aut mansionaticos parare, aut veredos dare, aut ullum censum, vel tributum, aut obsequium preter id, quod jam superius comprehensum est, præstare cogat. Sed liceat tam istis Hispanis, qui præsenti tempore in prædictis locis resident,

sident, quàm his, qui adhuc ad nostram fidem de iniquorum potestate fugiendo confluxerint, & in desertis atque incultis locis per nostram vel Comitis nostri licentiam considentes ædificia fecerint, & agros incoluerint, juxta supra dictum modum, sub nostra defensione atque protectione in libertate residere, & nobis ea, quæ superius diximus, tam cum Comite suo, quam cum Mißis ejus pro temporum opportunitate alacriter atque fideliter exhibere.

VI.

NOverint tamen iidem Hispani, sibi licentiam à nobis esse concessam, ut se in vassaticum Comitibus nostris more solitò commendent. Et si beneficium aliquod quisquam eorum ab eo, cui se commendavit, fuerit consecutus, sciat, se de illo tale obsequium seniori suo exhibere debere, quale nostrâtes homines de simili beneficio senioribus suis exhibere solent.

VII.

IDcircò has nostræ authoritatis litteras eis dare decrevimus, per quas decernimus atque jubemus, ut hæc nostræ liberalitatis & mansuetudinis constitutio erga illos tenore perpetuò ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris inviolabiliter conservetur. Cujus constitutionis in unaquaque Civitate, ubi prædicti Hispani habitare noscuntur, & alteram, quam Comes, & tertiam ipsi Hispani, qui in eodem loco conversantur. Exemplar verò in Archivo palatii nostri censuimus reponendum, ut ex illius inspectione, si quando, ut fieri solet, aut ipsi se reclamaverint, aut Comes, vel quislibet alter contra eos causam habuerit, definitio litis fieri poßit. Hanc quoque constitutionem, ut per diuturna tempora à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris & veriùs credatur, & diligentiùs conservetur, manu propriâ subscripsimus, & annuli nostri impreßione signari jußimus.

Signum Dn HLudovici Serenissimi Imperatoris.

Durandus Diaconus ad vicem Helisachar recognovit.

Datum Calendas Januarias anno, Christo propitio, primo Imperii Dn HLudovici Piißimi Augusti. Indictione VIII.

Actum Aquisgrani Palatio regio in Dei nomine feliciter Amen.

Cum hoc autem egregiè convenit,

PRÆCEPTUM SECUNDUM.

Pro Hispanis qui in Regno Francorum manebant.

Hoc est præceptum concessionis quod fecit Ludovicus Imperator Hispanis, qui ad se perfugerant.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU Christi. HLudovicus Divina ordinante providentia Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris tam præsentibus quam & futuris, seu etiam successoribus nostris, quia postquam Hispani, qui de potestate Saracenorum se subtraxerunt, & ad nostra seu genitoris nostri fidem se contulerunt, & præceptum auctoritatis nostræ, qualiter in Regno nostro cum suis Comitibus conversari, & nostrum servitium peragere deberent, scribere & eis dare jußimus, querimoniam aliqui ex ipsis Hispanis nostris auribus detulerunt duo capitula continentem, quorum unum est, quòd, quando iidem Hispani in nostrum regnum venerunt, & locum desertum, quem ad habitandum occupaverunt per præceptum Domini & genitoris nostri ac nostrum sibi & successoribus suis ad poßidendum adepti sunt, hi, qui inter eos majores & potentiores erant ad palatium venientes, ipsi præcepta regalia susceperunt, quibus susceptis, eos, qui inter illos minores & infirmiores erant, loca tamen sua bene excoluisse videbantur, per illorum præceptorum auctoritatem aut penitus ab eisdem locis depellere aut sibi ad servitium subjicere conati sunt. Alterum est, quod simili modo de Hispania venientes, & ad Comites sive vassos nostros, vel etiam ad vassos Comitum se commendaverunt, & ad habitandum atque excolendum deserta loca acceperunt, qui, ubi ab eis exculta sunt, ex quibuslibet occasionibus eos inde expellere, & ad opus proprium retinere, aut aliis propter præmium dare voluerunt. Quorum neutrum justum aut rationabile nobis videtur esse. Et ideo per hanc nostræ præceptionis auctoritatem decernimus atque jubemus, ut hi, qui vel nostrum vel Domini & genitoris nostri præceptum accipere meruerunt, hoc quod ipsi cum suis hominibus de

de deserto excoluerunt, per nostram concessionem habeant. Ceteri verò qui simul cum eis venerunt & loca deserta occupaverunt, quicquid de inculto excoluerunt, absque ullius inquitudine posideant, tam ipsi quàm illorum posteritas, ita duntaxat, ut servitium nostrum, cum illo, qui ipsum præceptum accepit pro modo possessionis, quam tenet, facere debeat. Hi verò, qui postea venerunt, & se aut Comitibus aut Vassis nostris aut paribus suis se commendaverunt, & ab eis terras ad habitandum acceperunt, sub quali convenientia atque conditione acceperunt, tali eas in futurum & ipsi posideant, & suæ posteritati derelinquant. Hoc nostræ auctoritatis decretum non solùm erga præteritos & præsentes, verum etiam erga futuros, qui adhuc ex illis partibus ad nostram fidem venturi sunt, conservandum statuimus, de hac constitutione nostra septem præcepta uno tenore conscribere jussimus: quorum unum in Narbona, alterum in Carcassona, tertium in Rosciliona, quartum in Empuriis, quintum in Barchinona, sextum in Gerunda, septimum in Biterris haberi præcepimus, & exemplar eorum in Archivo Palatii nostri, ut prædicti Hispani ab illis septem exemplaria accipere & habere possint. Et per exemplar, quod in Palatio retinemus, si rursum querela nobis delata fuerit, faciliùs posit definiri. Et ut hæc nostræ auctoritatis constitutio firmiorem obtineat vigorem, & à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ pleniùs per tempora conservetur, manu propriâ subterfirmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Dn. HLudovici Serenissimi Imperatoris.

Arnoldus ad vicem Helisachar recognovit.

Data IV. Id. Februarii anno, Christo propitio, tertio Imperii Domini H*Ludovici Piissimi Augusti, Indictione IX.*

Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei Nomine feliciter. Amen.

Pulcherrima sanè duo antiquitatis Christianæ monumenta, quæ, sicuti declarant, quàm promtos esse deceat Christianos Principes in excipiendis suis fratribus, ubi eos compluribus jactatos calamitatibus ac ærumnis ad sese veluti miseriarum por-

portum aliquem confugere videant, ità nihilofeciùs etiam oſtendunt, quibus conceſſum fuit, hôc receptionis frui beneficiô, eos, quòd membra ſint facti novæ cujusdam Reipublicæ, hujus ſemet oneribus nequaquam poſſe ſubducere, præſertim verò, quia cum iis longè benigniùs agi ſoleat, quàm cum cæteris civibus; unde prius Ludovici Pii Præceptum, ſicuti præter prolixam ejus voluntatem recipiendi, tuendique Hiſpanos exules oſtendit, quænam tributa fuerint illis beneficia, velut immunitas à tributo, quod cæteroqui Comitibus pendi ſolebat, tum & *apriſiones*, [vel ut du Cangius in Gloſſario mediæ latinitatis legendum eſſe probat, *adportiones*, quâ voce deſignabantur ii potisſimum agri inculti, quos Hiſpani à Ludovico Pio donô accepere, & inter ſe in varias diviſere *portiones*; videatur du Cangius in voce *apriſiones*] jus quoque feuda recipiendi, & alia, ità ſimul haud obſcurè teſtatur, Hiſpanos illos exules non ab omni penitùs onere fuiſſe liberos, (hùc enim ſpectat explorationum illud onus, ac excubiarum, quas illâ ætate dixêre *Wactas*, hodiè wachten/ veredarumq; pro ſubvectione Legatorum (hi enim ſunt miſſi illi.) quæ latiùs ut deducantur, hæc non permittit, quâ coërcemur, anguſtia. Neque tamen & alia Principum, aliorumque Magiſtratuum Chriſtianorum exules religionis ſuæ ſocios recipientium exempla nos deſtituunt, quin potiùs tanta eſt eorum, quæ nos circumſtat, copia, tantaque varietas, ut quænam potisſimum hûc adferenda ſint, ambigamus. Nobiliora tamen adducimus, eaque noſtris temporibus propinquiora. De Joanna Albretana, Navarrenorum Regina diſertè Leodius, vit. Frid. II. Palat. f. 229. memorat, eam exules è Germania, aliisque regionibus religionis causâ ejectos clementer admodùm recipere ſolitam. De Friderico III. Palatino, toties à nobis jam memorato, Altingius: *Exules Belgas & Gallos ſævitiem Perſecutorum in gente ſua fugientes benevolè excepit, gratiosè fovit, & peculiares Eccleſias iis attribuit*, Heidelbergæ, *Schonavii, S. Lamberti vico & Francothalii.*

Exemplum Jo. Albret. Leod. vit. Frid. f. 229. Frider. III Pal. ex Alt. Hiſt. Eccl. Palat.

De

De illo Regio sui seculi atque sexûs ornamento, Elisabetha, Magnæ Britanniæ Regina Thuanus: Eam an. 1568. Gallos exules, qui ex Neustria, & aliis citrà Ligerim provinciis propter religionem in Angliam confugerant, omni ope & humanitatis genere fovisse, & à suis, ut idem facerent, procuravisse. Hujus tantæ Principis, Reginarumque Reginæ liberalitatem verè regiam mirificô sanè studiò expressit in eodem Gallorũ Populo, qui Anglorum Genti, si quisquam Regum felicissimè præfuit, sed annô demùm superiori nõ suæ solũ Britanniæ, sed & omnibus benè animatis Europæis gentibus flebilis occidit, Magnus Wilhelmus Terti⁹, de quo tàm verè, quàm tersè maximi Regis laudator Grævius: *Sed inprimis magno documento est, quanta cura illi fuerint sacra, quòd purioris religionis tuendæ causa corriperet arma, & quòd, qui propter ejus cultum cogebantur Patriæ fines relinquere, & dulcia arva, & qui extorres omnibus terris & maribus miserè jactabantur, amicè, liberaliterque excipiebat, fovebatque benignissimè. Quot enim omnis loci & ordinis exulibus, quot matronis & virginibus honestissimis, quæ incensæ studiò religionis defæcatæ, ne illam cogerentur ejurare, fugâ se his malis eripuerant, stipendia ex suo constituerat fisco, ut patientiùs exilium ferrent, aut amißis omnibus fortunis in summa egestate miserrimã agerent vitam.* Hæc ille. Bello Tricennali, quô religio Protestantium tantum non pessum ire videbatur, multique illorum funestum calamitosumque illud: Veteres migrati Coloni, sentire cogebantur, Gustavus Adolphus Sueciæ Rex, Religionis ille vindex diploma quoddam publicari curavit, quô Protestantibus religionis suæ causâ solum Germanicũ vertere coactis liber dabatur aditus, in Sueciæ Regno degendi, eôque, si libitum fuerit, rursus egrediendi potestas. v. Theatr. Eur. T. I.

Elisabetha Angliæ Reginæ è Thu. Histor. sui temp. l. 16.

Wilh. III. ex Orat. Fun. *à Cel. Grævio habita.*

Gustavi Adolphi Sueci è Theat. Eur.

Verum, quid Vetera, vel externa miramur, Domesticorum atque recentium incuriosi?

Tacit. Ann. II.

Vix enim quisquam erit, illa qui nesciat, quæ Fridericus Wilhelmus Magnus, Elector Brandenburgicus in Gallis exulibus excipiendis an. demum 1685. egregiè præstiterit, quippe, quibus non solùm Hagæ Comitum, per Ablegatum Diestium, Amstelodami, Hamburgi, Francofurti, Coloniæ per suos, quos

F*rid. Wilh. M. Elector. Brandenb. è Pufend.*

in hiſce locis tum habebat, homines, ut eò commodius iter ſuum in ditiones Brandenburgicas proſequerentur, navigia, pecuniam aliaque neceſſaria præbuit, ſed & in omnibus ſuis Provinciis, in Clivia, Marca, Ravensburgo, Marchia, Boruſſia &c. liberrimam ipſis poteſtatem fecit eligendi ſibi domiciliū, quod ſuo vitæ generi ducerent quàm commodiſſimum, quin

Pufendorf. de R. G. F. W. M. l. 19. §. 17.

& alia complura iis otia fecit, de quibus adiri meretur Edictū ejus apud Sam. Pufend. in illo ſplendido ſatis opere de rebus geſtis Frider. Wilh. M. l. 19. §. 17. qui de morituro mox Electore refert, eum pridie illius diei, quô è vivis exceſſit, Filiorum Principum illâ ætate natu maximo, moderno Boruſſiæ Regi Potentisſimo Friderico III. *refugos ob ſacra ſua Gallos impenſisſimè commendâſſe.*

Id. l. 19. §. 100. Frider. III. Potentiſſ. Boruſsiæ Regis.

Hic ut declararet, quanti apud ſe ponderis eſſet paterna commendatio, tam benignè tamq; clementer illos hucusque habuit, ut nemini dubium ſit, quin illa gens perſecutrice ſua Patriâ nunc facillimè careat, felicisſimumq; diem illum prædicet, quô illi, ut regionem, ut aëra, ita Principem etiam mutare contigit. In qua felices tamen &

Sereniſsimi Haſsiæ Landgr. Dn. Caroli.

illos eſſe, quis dubitaverit, quibus in hunc usq; diem imperitat Sereniſſ. Haſſiæ Landgravius, *Carolus* I. Pater ille Populi ſui, ſed & omninò quoq; Pater calamitoſorum, Pater egentium, qui, ſicuti magnum illum Francorum Carolum nomine ſuô refert, ità profectò quoque ſuâ ſingulari mirificâque circà exules, religionis ſuæ ſocios curâ atq; ſollicitudine; loquentur enim me quoq; tacente tot illis exulibus conceſſa privilegia, memorabit nullô non ævo Principis indulgentisſimi beneficentiam νεάπολις illa Gallica, quam cum ſua metropolì conjunxiſſe vel ideò videtur, ut ejus neceſſitatibus eò velociùs ac efficaciùs providere poſſet; celebrabit omni tempore Caroli, Tutoris & Defenſoris Eccleſiæ liberalitatem, quod eius auſpicio ſurgit in memorata jamjam urbe templum, divino cultui conſecratum, cujus ipſe locavit primum lapidem anno 1698.

Pro cujus incolumitate votum adjicitur.

Hunc Deus immortalis ut tueatur & conſervet, Eiusdemque regimini, ſapientisſimo illi & optimo felicisſimis rerum illius omnium ſucceſſibus benedicat, Sereniſſimamque Domum perpetuo florere jubeat omnigena felicitate, voveo, & opto, ac in hoc ipſo meo voto deſino.

INDEX EORUM,

Qvæ hôc Volumine continentur, ordine Alphabetico digeſtus.

A.

Abſolutio qvare apud Pontif. latine fiat 39
Adelheit Conjux Ottonis 153
evocat Ottonem Reg. Germ. ibid
Ædium antiqva perqviſitio per lancem & licium 239
Advocatia Caroli M. 138. 348. 349
Advocatiæ jura an adhuc retineant Imp. 171
Advocaturam Nobilitati non eſſe contrariam 236
Africani Innocentiũ P. pro ſum̃o Pont. non agnovere 12. 13. 14
Aiſtulphus Romam devincit 116
Alaricus Romam occupat ibid
Alapam vendicare non licet 238
Alſatia in Gallos transfertur 214
qvomodo ibid & 215
incorporatur Franciæ 212
hujus rei cauſa 213
Alſaticorum motuum cauſa 215
Alraunæ 296
Ambitionis natura 13
Anglicæ linguæ origo 30
Apoſtolica ſedes qvid ſit? 142
Appellatio ab Imperatore ad Papam an procedat? 167
Aqvilæ Rom. bicipitis origo 115
Arboris Jovis (der alten Eichen zu Geißmar) origo 296. ſeq.
Arcanum Monarchiæ Papalis primarium 18
Arcanum Imperii eccleſiaſtici eſt ſcripta ſibi adverſa ſacro interdicto ſubjicere 133
Arnulphus fit Imperator 149
Articulus fidei Pontif. *non poſſe alibi quàm Romæ Pont. eſſe* 114

Attilæ Orig. debetur Reipubl. Venetæ 116
Aulæ Rom. vitia 21. 42
ejus Imperium in orbem terrarum ibid
ejus calliditas in amoliendo exterorum Imp. 136
invertit Judicia Germaniæ 167
respuit protectionem Imperatoris 172
Augustus primus Imperator 113
Austrasiæ Regni ambitus 189
hujus Regni primus Rex Pipinus 190
hujus Regni nomen exolescit 198
Autocheiria est illicita 235. seq.

B.

Barbarorum in Italia motus Constantini M. tempore 23
Barbarorum in Imperium irruptio 115
Baronii sententia de primatu Petri refellitur 23
Batavos pertinuisse ad Lotharingiam 195
Bavariæ Dux in Carolum V. à Paulo III. concitatur 67
Belgarum ab Hispanis defectio 141
Belgicæ provinciæ traductæ ad Austriacos 211
septem peculiarem constituunt Rempubl. 212
Bonifacius Christianam Religionem in German. docuit 31
invexit latinam linguam in German. ibid
Bononiam Concilii Trid. translatio decernitur 56
an id legitimè factum 57
an insciô Pontifice Paulo III. ibid
Brisacum ab Ottone I. capitur 208
Bruno Archi-Episcopus Coloniensis 208
Burchardus Franconiæ Dux à Pipino declaratur 97
Burgundia Franciæ accedit 186
Bunge-lose Strasse zu Hameln unde dicta? 280
Byzantium nova Roma dicitur 115

C.

Cabbalisticæ literæ אגלא
effectus earum in incendio 266

Cæ-

Cæſarum ſubditi inſtinctu Papæ rebellant 161
eorum vires Papa debilitat 161. & 162
Canonicorum apud veteres ſtatus 257. ſeq.
Caniſius proditor conſiliorum Cæſareorum 82
Capetingorum familia 216
Capitulum *unam Sanctam* qvare evulgatum? 262
Cappa Franciſci 281
Carbonaria dogmatum deciſio in Concil. Trident. 80
Cardinalibus non eſt permiſſum Simoniæ crimen 20
Carnificum officium an ſit infame? 233. 251
Carolus M. Patricius Roman. 123
fit advocatus eccleſiæ 124. ſeq. & 139
ubi Pacificus à lapide notatur 139
regna ſua non tenuit ut Imperator 129
qvid per Coronationem Pontific. acceperit? 129. 130
qvid per transactionem cum Græcis 134
Non fuit Dominus Romæ 136
ejus rei argumenta ibid
Conſtituit Pontifices 138
non fuit Germanus 145
deminuit Principum auctoritatem 143
qvando & ubi mortuus 147. 191
Carolingicæ familiæ finis 150. 202
Caroli V. & Pauli III. lites 162
Carolus Simplex Rex Galliæ capitur 202
Caroling. fam. exſtinctà nulla natio juſtè prætendit Imp. 146
Carolomannus ne, an verò Car. M. fuerit Princ. Auſtraſiæ 191
Carolus Calvus Lotharing. occupat. 196
cogitur dividere regnum ibid
an id jure factum 197
Caroli I. Haſſiæ Landgr. liberalitas in Gallos exules 384
Cathedræ Petri potiùs aulici, qvam Theol. admoventur 76
Childericus ob qvam cauſam depoſitus 92. ſeqq.
in Monaſterium detruditur 97
defenditur contra Bellarminum 98

ejus in administrando regno desidia 107
Christum non esse auctorem Pontificiæ potestatis 28
Chrisma Clodovæi
Clementis VII. fraus erga Germanos 44
Germanis ad Concilium provocantibus irascitur 45
ejus rei causa ibid
ejus studium in Concilio Trident. declinando 45. 46
Clericorum à Principum Imperio exemtio 157
Clodovæus I. Rex Christianus Merovingorum 91. 97
Primus devicit Alemannos 182
Coloniam occupat 183
Colorum diversitas in qvibusdam fontibus 273
Concilii Tridentini Translatio an fuerit justa 56
Conc. Trident. introduxit latinum idioma in Sacris 28
fuit Pontificiæ potestati favorabile 72
Minist. & Patrũ in hoc Conc. indoles 75.79.80.86.87
omnia aguntur ad nutum Papæ 18. 62. 63. 81. 83
cursores in bulgis Spir. S. Tridentum detulerunt 83
defuit huic Concilio Spir. S. 72. 80. seq.
sub qvibus Pontificibus habitum 72
hujus Concilii libertas 80. seqq.
hujus Concilii Spiritus qvalis fuerit 67
Secretariorum in Conc. perfidia 76
Conrâdinus Svevus dolo Papæ interficitur 161
Conradus I. non fuit Imperator 151
Constantinus Imperii ruinam maturavit 114
qvomodo ibid
transfert sedem regiam Byzantium 115
ejus donatio vana est 13
Conventus Carthaginensis in causa Pelagii 11
Cruciatæ prædicatio contra Principes 160

D.

Danielis Vaticinium, qvod habetur cap. II. 44
non prodest Germanis 171
Degradatio an sit ignominiosa? 231

Deo

Deo ſoli in rebus fidei credendum 17
Deſiderius R. Longobardorum à Carol. M. capitur 122
Diſpenſatio Pontif. in matrimonialibus 75
qvomodo ea fiat ibid
Dæmones an igne corporeo uſtulentur 259
Donatio Conſtantini refellitur 132
Duellorum apud antiqvos uſus 230
exemplis probatur 230. & ſeq.
meritò prohibetur ibid

E.

Eccleſiam Rom. non poſſe occultos errores ſupplere 20. 21
Eccleſiaſtici Imperii Origo 157
Eduardus III. provocat Philipp. Valeſ. 230
Electorum Origo 254. 255
Ottonis temporibus non eſt aſſcribend. 154. 254
an Papa eos inſtituerit 166
Pallio carentes an habeant jus ſuffragii? 166
Imperatori ſucceſſorem deſtinant 167
horum numerus diſſentiente Papa augeri poteſt 168
Eliſabethæ Angliæ Reg. beneficia Gallis exulib⁹ præſtita 383
Epiſcoporum in Concilio Tridentino Impietas, 80
ſermo, qvô referunt aſinam Bileami ibid
auctoritatem Papa per monachos minuit, 81
cur adhæreant Pontifici 158
Exarchi Græci 118
Excommunicationis effectus 159. 160
prava de ea Pontific. ſententia ibid
Exempla Principum exules ſuſcipientium 356. ſeqq.

F.

Fabula monachorum de cauſa depoſitionis Childerici 90
Factio inter Dominic. & Franciſcanos in Conc. Trid. 52
Feſti Cathedræ Rom. S. Petri auctor cauſa & initium 2
Fines Franciæ Teutonicæ & R. tempore Clod. & Car. M. 184
Fons Nobloſus 272
Flandriæ comitatus origo 195
For-

Formulæ ich wil dich schlagen du solst Jodut rufen origo 299
Formulæ du Krötendüvel origo 288
Formosus I. in numerum sanctorum refertur 150
Francia nunqvam dicta regnum Rom. 170
Franciæ regni initium 116. 181
in Teutonicam & Romanam divisio 183
hujus divisionis causa ibid
Franci unde dicti? 182
Prima eorum sedes ibid
Francici regni divisio inter filios Ludovici P. 193
qvas partes singuli acceperint 194
Francisci Reg. Galliæ obitus 52
Franciscus I. provocat Carol. V. 230
Franciscani insurgunt contra Joh. XXII. 159
Francorum regum inde à Clotario socordia, 91. 92. 187
cur 1. Maji tantùm comparuerint in publico? 187
Francofurtum ad Mœn. conditum, 190
Fridericus II. in judicia reduxit linguam Germanicam 32
Friderici Wilh. Brandenb. cura circà exules Gallos 383
Friderici III. Borussiæ Regis circà eosdem sollicitudo 384
Frid. III. Elect. Palat. beneficia fidei suæ sociis exhibita 356
357. 358. 359. 360. 363. 371. 382
Frisia à Francis occupatur 187
Frondium der Mayenbäume origo 93

G.

Gadebusch oppidi Meklenburg. origo 116
Gallicæ linguæ origo, 27
ea primum rustica audiit ibid
Galli frustra in Concil. Trident. de Vulgari lingua in Sacris adhibenda contendunt 35
petunt Conc. Trident. ibid
ejus rei ratio ibid
Gallorum jus in regnum Hierosolymit. 145
ira in Lotharium, 209. 210
Germania serò religionem Christianam amplectitur 31
me-

mediante latina lingua Romanis ſubigitur 32. 39
amplectitur duce Carolo M. Catholicam religionē 32
provocat ad Concil. Trident. 44. 45
qvando facta ſit Imperium diſtinctum? 147
non eſt feudum Pontif. 164
non eſt verè Imperium Rom. 170
ſemper diſtincta fuit ab Imperio Romano, 170
ejus Præminentia, 174
miſera ejus conditio ſub Clemente VII. 44
non poteſt dici Imperium Romano-Germanicū 170
ejus præeminentia unde ſit orta? 173. ſeq.
detrimenta varia ex Imperatorio nomine ſenſit, 175
ejusdem gemitus ſub jugo aulæ Rom. 43. 44.
ejus libertas expulſo latino idiomate 40
Germani ægrè didicere latinam linguam 27
Germanicæ linguæ veteris ſtatus 31
non poterat ſcribi ibid
Germanorum candor 44
Germani nullum jus habent in Imp. R. ex perſona Car. M. 145
Gibellinorum & Guelforum factio 161
Giſelberti in Lotharingia motus 207
Godofredus Ardenn. Lotharing. Domin. 210
Gothici regni initium 117
ſedes ibid
à Juſtiniano deſtruitur 118
Gothi Imperium Romanum invadunt. 116
Gratianus qvare fratri ſuo Valenti copias auxiliares denegaverit 369
Græci Imperii finis 118
qva occaſione factus ſit? ibid
Græci metuunt Carol. M. 134
cum eo tranſigunt ibid
hujus transactionis effectus ibid
Gregorius VII. Latinum idioma in ſacris propagat 34
Hiſpaniam ſibi vectigalem eſſe putat 13
Gu-

Gustavi Adolphi Sveciæ Regis, diploma Protestantibus exulibus concessum 383

H.

Hamburgenses Rolandum suum dejecerunt 290
Hamelensium puerorum exitus 279
Hassiam Coloniensi Episcopo subjectam fuisse 183
Hasso Misnica confraternitas 300. seq.
à Rudolpho I. Cæsare confirmata 301
variis casibus agitata 303. seq.
Helena triumphans in Conc. Trident. 80
Helvetia fit respublica 211
Henricus V. investituræ renunciat 158
Henricus Auceps fit Rex Germaniæ 151. 202
non fuit Imperator 151
ejus stemma 202
an Lotharing. à Carolo simplice acceperit 203. 206
an legitimè electus 204
Litigat cum Giselberto 205
in Lotharing. jus nullum habuit 205
sed occupat eam jure belli 207
Hexen-Tantz in der Walpers Nacht 282
auf dem Blocksberg 286
Hildebrandus tuba & fax turbarum sui temporis 158
Hispanicæ linguæ initium 30
Hollandiæ comitatus origo 196
Hugo Capetus 210
Hugonis, Spurii Lotharii turbæ in Lotharing. 199
Hugoni' explorator consiliorum Gallicor. in Conc. Trid. 82
Hunsfaut unde dictum 292

I.

Idea de Deo innata an detur? 261
Jesuitarum opera in Concil. Trident. 82
Imperatorum antiqva jura 165
Imperatores an à Papa examinandi ibid
fraus Paparum hac in causa ibid

an

an à Papa confirmandi 166
Imperium abdicaturi an Papæ id reſignare debeant? ibid
quale juramentum præſtent Papæ? 167
hodiè nihil juris habent in Elect. Papæ ibid
nec jus convocandi Synodos 172
Imperii Romani antiqvi majeſtas 23
Infallibilitas Papæ unde nata? 18
non poteſt probari 17
Inqviſitionis Roman. Autor Paulus IV. 2
ejus effectus ibid
Inveſtituram Epiſcoporum Pontifex ſibi vendicat 158
Jodut unde dicatur? 288
Johannes XII. Pontifex unde dictus? 153
evocat Ottonem I. ibid
perfidia ejus in Ottonem 154
pactum facit cum Ottone 153
plagâ à diabolo inflictâ mortuus 154
Joh. VIII. dict. *nullum eſſe idioma, qvod Deus à Sacris excl.* 32
Italicæ linguæ origo 29
Italiæ Status Gothis expulſis 118
Græcis devictis fuit Anarchicus 140
Itali ſibi proprium Regem eligunt 149
Italorum in Concil. Trident freqventia 79
Judæ ſ. proditores Conc. Trident. interfuerunt 85
Julii menſis 17. dies apud Hebræos inter nefaſtos num. 324
Juſtinianus Vandalorum Regem ultimum devincit 115
Gothicum regnum deſtruit 118
Juſt. I. edictum ſuum de templis Arrian. cur revocaverit? 364
Juſtini II. Perſarmenios recipientis imprudentia 375

L.

Lambertus Brabantiæ Dominus 210. ſeq.
Laici Sacris arcentur à Pontific. 36
ejus rei cauſa à Pallavicino allata rejicitur ibid
& vera cauſa detegitur 37
hoc modo Pontif. poteſtatem eſſe ſtabilitam 38

Lat. ling. R. art. ad subigendos populos 26. 27. 28. 32. 33. 35. 37. 38
ea erat vulgaris circà initium Christianæ relig. 27. 28
illius per barbariem corruptio 29
Romani eam in devictis gentibus propagaverunt 36
qvomodo & ob qvam causam? 27. 36
non fuit eliminata è Gallia ante Ludov. XI. 27
ejus in Imperio Germanico usus 28
ejus in civilibus causis usus 32
Legati officium est è mittentis præscripto agere, 13
Legati Pontificis in Conc. Trident. qvales fuerint? 76
describitur eorum imperitia in Theologicis ibid
ad nutum Papæ omnia fecêre ibid
eorum in Conc. Trident. autoritas & astutia; 77. 82
jus proponendi sibi sumsêre 83
Lex 20. Cod. de pœn. 278
Lis inter Bonifac. VIII. & Philipp. pulch. 262
Longob. regni initium in Italia 118 ejus regni finis 122
Lotharingia unde dicta? 194 ejus fines 195
hujus regni mutationes 211
pervenit ad Germanos 200
qvomodo & an id jure factum? ibid
redit iterum ad Carol. Simplicem 201
Lotharius Carol. M. nepos Imperator dictus 145
fit monachus 148. 196
dividit regnum inter filios 96
Lotharius Galliæ R. abjurat Lotharing. 209
Ludovicus P. Carol. M. unicus hæres 191 ejus regni div. 147
inde orta lis inter filios 192
ejus insignia duo capitularia 377. 380
Lud. Germ. cum Car. Calvo fœdus contra fratrē Lothar. 192
Ludovicus transmarinus R. G. occupat Lotharing. 207
ducit in uxorem Sororem Ottonis ibid
habet exercitum stramineis pileis utentem ibid
Lutherus an natus fuerit ex incubo 268
fuit libertatis Germanicæ restitutor 42
jugum aulæ Rom. sustulit ibid

M.

Madruccii & Montani lites 51
Magistrorum Palatii in Gallia olim potentia 94. 107
eorum regimen post Clodovæum 187
Marozia Romæ domina 149
Martyres esse, qvi pro Papa moriuntur, Pontif. opinio est 160
Martini V. lepidum votum 32
Matrimonii inæqvalitatem esse vitandam 244. seqq.
Majestas summa non potest innocenti famam auferre, 239
Mercaturam nobiles non decere 236
Meretrices an tolerari debeant? 224
Merovingorum regum Socordia 90. 92
Missæ secretæ, die Winckel-Messen 257
Moderamen inculpatæ tutelæ 239
Monachorum origo fuit utilis Aulæ Rom. 159
illis concessum votum in Conc. Trident. 48. 49
eorum ridicula sent. de tribus ling. in cruce Chr. 34
Monasteriensis pacificatio 214
actum in ea de Alsatia transferenda in Gallos 214
Hanc translationem primum dubiam fuisse 215
Montanus episcopatu Papiensi privatur 54
ejus subdolæ artes in Conc. Trid. 55

N.

Nobiles fidem servare debent 234
in carcerari possunt absqve dedecore 240
doctores fieri possunt 241
Normandiæ in Gallia origo 198
Normanni devastant Lotharing. 199
Noviana civitas 191
Nox ignorantiæ seculo IX. orta 30

O.

Obtestationes pro oppressis ob relig. factæ 353
Occidentalis Imperii finis in Augustulo 117
Oratio Dominica & Symb. Apost. veterum German. 31
Orat. Dom. qvare alii ordiantur Vater unser alii unser V. 256
Origo des witten Sonntags 183

Otto I. Longobard. regnum Berengario in feud. dat. 153
Coronatur Imperator ibid
qvale juramentum Papæ præstiterit ibid
Otto III. non fuit auctor electorum 154
Otto I non fuit Dominus sed advocatus Romæ, 154
ubi Pacif. à Lapide sententia refutatur 155
Otto Henr El. Pal. qvare Anabapt in suo territ. toleravit 366
ejusdem aureum planè monitum 367

P.

Pacecus Conc. Trident. translationem impugnat 56
Pacensis consiliorum Hispan. explorator 82
Pallavicini Hist. Conc. Trident. qvomodo descr. Veneti 173
Papa an sit Vicarius Universalis Christi? 166
non potest tollere principum jura 174
non habet jus in terrarum orbem 132
est legitimus Princeps in suis terris 130
an huic semper sit credendum? 18
Paparum mores & ingenium 13
Patriciatus Rom. 123
Patrimonii D. Petri Origo 119. 120
Patrum in Concil. Trident. ingenium 78
Pauli III. calliditas in Transl. Conc. Trid. 46. 53. 54. 57. seq.
cur â egre Conc. Trident. haberi voluerit? 50
vult Conc. Trid. transferri in locum Pont. obnox 53
Franciscum contra Carol. V. incitat 52
Cervino & Mont. utitur in transfer. Conc. Trid. 54
Ducem Bavar. contr. Imperat. incitat. ibid
Paulus IV. Pontifex qvando electus 1 ejus indoles ibid
Austriaci & Germanici regni hostis 3. & 13
Imperatoris titulum Ferdinando denegat 13
Pelagii in Africa motus 11. seq.
Periscelidis aureæ origo 292
Petri primatus Romæ falsitatis arguitur 6. & 9
respond. Pallav. aliorumq; argumentis 10. 11. 12. seqq.
cur Romani eum prætendant 15
Ligneus ejus suggestus 16. seq.

hujus nomen obtenditur ambitioni Pontif. 137
an ei traditum dominium Romæ & aliar. urbium 142
Petrum Sim. Magum cœlo detruisse precibus fabula est 7
non fuisse Monarcham ecclesiæ 15. 16
Philippi Magnanimi Hassi memor. voces ad Granvell. 367
Pipinus regnum occupare tentat. 95
qvibus artibus ibid obstacula ibid
indicit comitia regni 96 illorum decretum ibid
Rex inungitur 97 hujus unctionis causa ibid
ejus regnandi pruritus 140
ambitionem Pontificis auxit 108
incommoda plurima Reip. intulit 108. 109
Longobardos compescit 121
non fuit dominus directus Romæ ibid
nominatur Rex Christianissimus ibid
ejus iniqvitat. non obesse successoribus 103. 104. 105
relinqvit filiis regnum 190
Pontifex Longobardis regnantibus nov. regn. molitur 119
qvibus consiliis ibid
deprimit Episcopum Ravennatens. 141
Pont. Rom. Germ. Italia depellunt 157 qvibus artibus ibid
Pontificem ultra 24. annos non debere regnare 6
non habere jus fidei regulas præscribendi 17
non esse infallibilem 18
Pontificum fœda explicatio LL. matrimonialium 75
arcanum in concedendis titulis 121
non possunt deponere Reges 98. 99. 100
eorum dogma Sp. S. non operari modo extraord. 80
eorum astutia in Concil. Trident. 47
eorum odium in domum Suevicam 270
Præscriptionibus regna transferri posse 130
Præsulum Transm. Conc Trid. studium depr. aut. Pontif. 52
Præsulum Italorum multitudo in Concil. Trident. 79
Precum primariarum jus unde? 175
Principes LL. civilibus tenentur 238
Principes non habent jus convocandi Synodum 172

Probationes per aqvam frigidam 274
per prunam & ignitos vomeres ibid
Proverbium es seynd faule Fische/ ejusqve origo 234
Provocatus an se sistere debeat? 230

Q.

Quercus & luci qvare ab antiqvis consec. soleb. 296. seq.

R.

Radagisus Gothorum rex interficitur 116
Radagisus à Meklenburg; ut Deus habitus 116
Religionis horror quid valeat. 157
Religionis Christianæ prima tempora 38
Reputatio unde dicatur? 222
variæ ejus significationes ibid
ejus divisio in simplicem & extensivam 223. 224
Rinteliensis Academiæ fata 325
Ritus gentiles in ecclesia Christiana 29
Rituum in ecclesia Pontificia origo 28. 101
Romanæ Curiæ metus à Transmontanis Præsulibus 81
Romanum imperium olim à militibus pendebat 113
Hoc arcano evulgato varie distractum fuit 114
Id. Imp. Papa nec populus R. in Car. M. tr. pot. 130. 131
nec ad G. nec ad Gal. in Car. M. pers. transl. fuit 145
Roma Gothis subjecta 117
quo jure dicatur olim imperasse orbi 129
Rudolphi Habsburgici prudentia 162
Rügen Saxonibus dictum fuit sententiam ferre 291

S.

Sacra Rom. quare lingua latina peragantur 28
Sacræ Cœnæ apud vet. germanos admin. modus 256. 257
Santarelli Jesuitæ liber comburitur in Gallia 98
Saluti potationes 235
Saracenorum in Italiam irruptio 148
Saxones partem Thuringiæ capiunt 186
Schuffe unde dicatur 233. 250
an sit vox ignominiosa? ibid
Sejani historia 220

Servitus orbis ſub jugo aulæ Rom. 42
Sfentus Sacra Illyrico Sermone peragit 32
à lingua latina divino cultui adhibenda abhorret 33
Simonis Magi hiſtoria 7
Simoniæ labes in electione Pontif. 19
Sindon Sabaudica corporis Chriſti 277
Sozomeni error de occaſione lit. Conſt.M.ad Perſ. Reg. 355
Societas Jeſuitarum Prætoria Curiæ Romanæ cohors 159
Spiritus bullaris & bulgaris Concil. Trident. 69. 72
Spiritus S. Concil. Tridentino non adſuit 72.73.74. ſeqq.
eo caruêre miniſtri hujus Concilii 76
Striges Majii. die conventus agitare fabula eſt 91.282.283.ſeq.
ejus fabulæ origo 91
Strumæ qvomodo à Galliæ & Franciæ Reg. curentur 271
Status Imperii Rom. ab Aug. ad Car. M. 113. ſeqq.
Sudarium S. Veronicæ 276
Suffragiorum in Conc. Origo eorumq; in Trid. ratio 79
Suffragii jus Monachis in Concil. Trid. tribuebatur 78
Qvare 79
Surlandicorum luporum fabula 90
Sylveſier II. an fuerit magus 248. ſeq.
an a dæmone diſcerptus ibid

T.

Theodoſiana Imperii Romani diviſio 115
Theodobaldus Rex Franc. 187
Theodebertus R. Fr. Rhætiam ſubigit ibid
Theodoricus rex Auſtraſiæ 184
an ex concubina natus? 185
dividit regnum cum fratribus ibid
qvomodo diviſio illa facta? 186
illius portio 185
Subjicit Thuringiam 186
Thomas Aquinas quare ſit Canonizatus? 159
Tigurinæ Reipublicæ cura circà afflictos fidei ſocios 274
Titulus regis Chriſtianiſſimi cui primum collatus 145
Tolbiacenſe prælium 182

Transmontanorum & Curialium factio in Conc. Trid. 87
Curiæ Rom. circà hanc factionem astutia 81. 82
Tridentini Concilii historia 173
Turcam esse legitimum Principem in suis ditionibus 130
Tutores Eccl. Persecutoribus ejus nullâ re auxiliantur 369
V.
Valentiniani I. moderatio circà res religionis 364
Vandali urbem Romam occupant 116
Vasconia à Francis subigitur 187
Virginum & uxorum saltationes an reputat. repugnent 231
Virgula Mercurialis 264. seq.
Vitulus aureus Israëlitarum 286
Urbanus VIII. largitur indulgentias 168
Urbes nullas ad visurgim ante Carol. M. fuisse 290
Urbes in Germania liberas non extitisse Franc. tempore 290
W.
Waldens. horrenda pers. a. 1656. graphicè des. 361
Weisse Frau 285
Westphaliæ pars accedit Episcop. Colon. 208
Wilhelmi III. Angliæ Regis cura circà exules Gallos 383
Z.
Zacharias Pont Pipinum ad reg. Franc. dignit. promov. 96
illius rei causa ibid.
Francos juramento solvit 96 98
in depos. Child. potestatis suæ terminos excedit 102

Errata typographica potiora, qvæ annotare visum est, relictis cæteris humanitati lectorum vel corrigendis, vel excusandis.

Pag. 13. *l.* 29. *pro* Pualus *l.* Paulus.
Pag. 34. *l. pen. pro* sanctæ *l.* consecratæ.
Pag. 39. *l.* 20. *pro* calidè *l.* callidè
Pag. 301. *l.* 26. *pro* Marchion *l.* Marchione
Pag. 364. *l.* 17. *pro* ὀκείȣς *l.* οἰκείȣς
Pag. 376. *l.* 7. *pro* Peregrinum, cùm, *l.* cùm Peregrinus.

FINIS.